PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

TOMUS VIGESIMUS SEPTIMUS
(1938)



ROMAE
APUD PONTIFICIAM UNIVERSITATEM GREGORIANAM
1938

17262

v. 27
1938

IMPRIMI POTEST

Romae, 18 febr. 1938. P. Raphael Bitetti

Praep. prov. Rom. S. I.

IMPRIMATUR

Romae, 19 febr. 1938. † Aloysius Traglia

Archiep. Caesarien. Vic. Ger.

ROMAE - TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

Regunturne Orientales dissidentes legibus matrimonialibus Ecclesiae latinae?

Vi can. 1 *CIC* certum est Orientales catholicos iure regi proprio nec subici canonibus eiusdem Codicis « nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem (Ecclesiam) afficiunt ». Res vero multo minus liquet, si non de catholicis sed de dissidentibus Orientalibus agitur. Nuper in egregio periodico *Apollinaris* clar. DALPIAZ dissertationem edidit in qua probare studuit eos in re matrimoniali saltem subiacere legibus *CIC* (1). Eandem quaestionem paulo ante docte tractaverat P. GERHARD OESTERLE (2). Quamvis invitus contradicam viris his in iure

---

(1) T. x. (1937), p. 457-459. Hic proponitur casus duorum Orientalium schismaticorum qui matrimonium inierunt praevia dispensatione ab episcopo schismatico concessa super impedimento consanguinitatis in quarto gradu lineae collateralis aequalis. Idem casus iam propositus erat in *Ius Pontificium*, XV (1935) p. 127, ubi sponsi Russi, et in *Theologisch-praktische Quartalschrift*, 89 (1936) p. 145, ubi Graeci dicuntur. Ad casum sic a tribus inter praecipua iuris canonici periodica propositum id tantum noto: neque apud Russos neque apud Graecos neque apud alios ullos Orientales dissidentes impedimentum consanguinitatis usque ad quartum gradum lineae collateralis aequalis seu usque ad octavum gradum secundum computationem orientalem producitur, sed neque unquam productum est, quantum scio, si excipias solos Armenos qui tempore medii aevi ex parte adoptaverunt impedimentum consanguinitatis latinum. Cf. J. DAUVILLIER-C. DE CLERCQ, *Le mariage en droit canonique oriental*, Paris 1936, p. 123-136; E. HERMAN, *De impedimentis matrimonialibus secundum codificationes iuris ecclesiastici recentes « orthodoxorum »*, in *Orientalia Christiana Periodica*, III (1937) p. 241 ss. Sumne immodestiae reus si votum facio, ut iuris canonici cultores magis operam dent etiam scientiae iuris ecclesiastici orientalis?.

(2) *Theol.-prakt. Quartalschrift*, 90 (1937) p. 680-684.

peritissimis, tamen ne sententia, altera parte inaudita, feratur, liceat nobis hanc quaestionem hic brevi examini subicere. Neminem enim rei fugit gravitas, cum et ex solutione validitas multorum matrimoniorum pendeat, et de principiis agatur quae se ad multas quaestiones similes extendant.

Antequam autem de legibus matrimonialibus videamus, investigemus oportet utrum Orientales dissidentes in genere legibus Ecclesiae latinae regantur an secus. Rationes quibus eos subici probatur, hae fere sunt:

1 - Canon 1 *CIC* solos catholicos respicit ritus orientalis. Nam « esto quod Index analytico-alphabeticus Codicis non sit documentum authenticum seu officiale, sed nemo est qui non videat quanti momenti sit explicatio quam sub voce « Orientales » ipse dat: « Orientales seu catholicos ritus orientalis generatim Codex non respicit etc.... (1).

2 - Haeretici, schismatici, apostatae et excommunicati « per se adstringuntur legibus ecclesiasticis in genere, cum sint subditi Ecclesiae, licet rebelles et transfugae, nisi Ecclesia, pia mater, ne peccata multiplicentur, velit illos eximere ». Iam vero non solum illos qui facto proprio culpabili ab unitate fidei et communionis recesserunt, sine dubio Ecclesia a suis legibus non eximere vult; « sed etiam illos qui in haeresi et schismate nati sunt, si aliis fortasse legibus Ecclesia ob rationem commiserationis ligare non intendit, vult tamen eos impedimentis matrimonialibus adstringere, excepta forma canonica et impedimento disparitatis cultus. Id certissimum est ac illi AA. catholici, qui de hoc dubitant, nesciunt quid dicant » (2). Quae dein confirmantur tum ex can. 12, 87, 1038, § 2, 1099, 1960, tum ex actis praeparatoriis Codicis.

---

(1) *Apollinaris, loc. cit.*

(2) P. GASPARRI, *De matrimonio*, I, n. 257, laudatus *Apollinaris, loc. cit.*

3 - In *CIC* nullum fit discrimen inter schismaticos occidentales et orientales. Hoc argumentum praesertim acute a P. Oesterle exponitur, qui censet non admittendum Orientales schismaticos excipi in omnibus illis canonibus ubi de schismaticis sermo est, v. g. can. 731, § 2, 751, 765, 2°, 795, 2°, 985, 1240, § 1, 1°, 1325, 1453, § 1, 1470, § 1, 6°, 2314, § 1, 2318, 1° et 2°, 2339, 2372.

4 - Praesertim vero nulla ratione negari potest matrimonium catholici cum orthodoxa russa initum esse matrimonium mixtum secundum canonem 1060 ideoque hic schismaticos orientales comprehendi; vel similiter orthodoxum ad Ecclesiam catholicam conversum invalide cum non baptizata matrimonium inire; ex eodem canone igitur necessario sequi orthodoxum valide hebraeam uxorem ducere.

5 - Idem probatur ex responso quod dedit S. Congregatio Concilii die 28 martio 1908, cum interrogata esset: « An in art. xi § 2 eiusdem decreti (= Decreti *Ne temere*) sub nomine acatholicorum comprehendantur etiam schismatici et haeretici rituum orientalium » (1). Si Orientales dissidentes hoc decreto comprehenduntur, certo idem affirmandum est de can. 1099, § 1, 2°, qui omnino art. xi, § 2 respondet.

6 - Ultimum argumentum est historicum, nempe post infelix schisma saeculi xi nomine schismaticorum semper venerunt et adhuc communiter veniunt in documentis ecclesiasticis schismatici orientales. Ecclesia non simpliciter et absque addito hoc vocabulo in suis legibus uti potuisset, si alios tantum schismaticos prae oculis habuisset et orientales excepisset.

His mihi rationes quae pro opinione obligationem Codicis affirmante adducuntur, attulisse videor. In examine huius quaestionis triplice gradu procedemus; interrogabimus i, num Orientales dissidentes regantur in genere

(1) *ASS*, 41, p. 288.

legibus Ecclesiae latinae; II, num regantur legibus latinis in re matrimoniali saltem; III, num subiciantur can. 1070 ita ut matrimonium inter Orientalem extra Ecclesiam baptizatum cum persona non baptizata initum de se semper sit validum.

I

Quod soli Ecclesiae catholicae ius competit statuendi de matrimonio baptizatorum, licet ab Ecclesia separatorum, inter catholicos vix controvertitur; haec exclusiva Ecclesiae catholicae competentia bene probatur a clar. DALPIAZ in solutione alius casus (1). Nullum igitur dubium quin Ecclesia possit ligare dissidentes si ipsa velit. Hanc fuisse quoque et esse voluntatem Ecclesiae, Emus Card. GASPARRI optime in loco supra citato probat. Sed si haec applicantur etiam ad dissidentes orientales, non consequitur ut hi subiciantur legibus *latinis*, ut optime vidit P. OESTERLE qui explicite quaerit Orientales dissidentes utrum legibus Ecclesiae latinae an legibus Ecclesiae orientalis regantur. Nullum mihi documentum notum est quo S. Sedes ex proposito vel expressis verbis hanc quaestionem decideret, sed ex variis argumentis mihi certa solutio dari posse videtur.

Et primo quidem Romani Pontifices saepissime declaraverunt se ritus et mores Orientalium conservare velle neque sibi in animo esse illos immutare dummodo ne adversarentur catholicae fidei neve periculum generarent animarum aut ecclesiasticae derogarent honestati. Id sane imprimis de Orientalibus post eorum ad Ecclesiam reditum dicta sunt. Sed numquam ullo loco innuitur eos ante reditum adstrictos esse legibus Ecclesiae latinae.

(1) *Apollinaris*, IX (1936) p. 659 ss.

Audiatur v. g. quod dicit Benedictus xiv in constitutione *Allatae sunt* (1).

« Utque uno verbo compleamur omnia, in reditu Graecorum, Schismaticorumque Orientalium ad Catholicam Religionem curando, id unum Romanis Pontificibus maxime curae fuit, ut ex illorum animis radicitus evellerent Arii, Macedonii, Nestorii, Eutychis, Dioscori, Monothelitarum aliorumque errores, in quos infeliciter proruerunt; salvis tamen et intactis ritibus ac disciplina, quam ante Schisma servabant, et profitebantur, quaeque venerandis ipsorum antiquis Liturgiis, ac Ritualibus innititur; quin unquam iidem Romani Pontifices poposcerint, ut ad Catholicam Fidem redeuntes, suum Ritum dimittere et Latinum amplecti deberent; id namque Ecclesiae Orientalis et Graecorum ac Orientalium Rituum omnimodam secum ferret internecionem, quod porro non modo nunquam tentatum, imo vero semper fuit et est ab huius Sanctae Sedis consilio quammaxime alienum ».

Neque solum catholicos adloquentes, sed etiam cum ad dissidentes sermonem haberent, Romani Pontifices ita locuti sunt, v. g. Leo xiii in Epistula Apost. *Praeclara* (2):

« Itaque os nostrum patet ad vos, quotquot estis, graeco aliove orientali ritu, Ecclesiae catholicae discordes.... Quae sint postulata Nostra, proba per se ipsa et coram Deo perpendite. Nulla quidem humana re, sed caritate divina, communisque salutis studio permoti, reconciliationem coniunctionemque cum Ecclesia romana suademus: coniunctionem intelligimus plenam ac perfectam: talis enim esse nullo modo potest ea quae nihil amplius inducat, quam certam aliquam dogmatum credendorum concordiam fraternaeque caritatis commutationem. Vera coniunctio inter christianos est, quam auctor Ecclesiae Iesus Christus instituit voluitque, in fidei et regiminis unitate consistens. Neque est cur dubitetis, quidquam propterea vel Nos vel successores Nostros de iure vestro, de patriarchalibus privilegiis, de rituali cuiusque Ecclesiae con-

(1) § 18, Benedicti xiv *Bullarium*, t. iii, pars ii. Prati 1847, p. 255. Cf. etiam constit. *Demandatam*, § 3; Benedicti xiv *Bullarium*, t. i, Prati 1845, p. 329. Multa alia documenta citantur ab A. Petrani, *De relatione iuridica inter diversos ritus*, Taurini-Romae 1930, p. 10-25.

(2) Leonis xiii P. M. *Acta*, vol. xiii, Romae 1894, p. 201.

suetudine detracturos. Quippe hoc etiam fuit, idemque est perpetuo futurum in consilio disciplinaque Apostolicae Sedis positum, propriis cuiusque populi originibus moribusque ex aequo et bono non parce tribuere ».

Quid? Si Orientales separatos legibus latinis subiecissent, quo modo Romani Pontifices nulla huius praescripti mentione facta ipsis persuaderent, se inviolabiliter custodituros ritus et mores orientales. Nonne responderent: vos nobis promittitis nos ritus et mores nostros esse conservaturos, sed de facto quantum ex vobis est, nobis lege praescripsistis ut omnia nostra iura, patriarchalia privilegia, ritualem consuetudinem relinquamus et leges latinas sequamur. Ex factis non ex promissis vos iudicamus. Nescio num quid altius in animis Orientalium dissidentium aversionem et persuasionem de « Romanae Sedis superbia et insolentia » firmare posset ac praescriptio qua abrogatis propriis legibus et consuetudinibus ad servandas leges latinas adstringerentur.

Neque de facto ullum talis praescriptionis vel legis vestigium invenitur. Ceterum ex hac opinione admissa multa sat singularia consequuntur. Certum est Orientales ante schisma propriis legibus et consuetudinibus subiectos fuisse. Per schisma, nulla lege interveniente, ad ius latinum servandum adstricti essent. De se gravem obligationem habuissent se conformandi in omnibus legibus latinis; sed cum, post reditum, has leges latinas servare vellent quae eis iam iuridice impositae erant, Romani Pontifices eis praescripsissent ut nunc servarent leges apud schismaticos vigentes neque permisissent ut tamquam catholici illas leges tenerent quibus schismatici cum essent, subiecti erant. Neque conservatio, sed vera mutatio ritus haberetur!

Quod autem iam ex his considerationibus generalibus efficitur, id multo clarius apparet ex ipsa agendi ratione S. Sedis, nempe quaestiones ad Orientales dissidentes spectantes non diiudicandas esse secundum ius latinum.

Inter documenta quae demonstrant Orientales catholicos non subiectos esse disciplinae latinae, sed propriis legibus regi, primum locum obtinet celeberrimum responsum datum a Congregatione particulari S. Congregationis de Propaganda Fide, die 4 iunii 1631 in palatio Cardinalis Pamphili habitae super quaesitis missionariorum Orientis (1).

« II. Fuit latissime discussus articulus: An summus Pontifex intendat graecos et alios sedibus patriarcharum schismaticorum subditos comprehendere in bulla Coenae Domini, aliisque constitutionibus apostolicis, in quibus casus sibi et Sedi Apostolicae reservat.

Et post allegatam... Patres praedicti quoad dictum articulum convenerunt in negativam sententiam, quam tamen limitarunt tripliciter:

1 - In materia dogmatum fidei;

2 - si Papa explicite faciat mentionem in suis constitutionibus et disponat de praedictis subditis patriarchalium sedium, ut in casu schismaticorum bullae Coenae;

3 - si implicite in eisdem constitutionibus de eis disponat, ut in casibus appellationis ad futurum concilium, et deferentium arma ad infideles et similibus ».

Ad recte intelligendam hanc responsionem, sciendum dubia proposita esse a missionariis Capuccinis qui in Oriente inter catholicos et dissidentes laborabant. Illo tempore catholici et dissidentes nondum plene separati erant, sed saepe sub iisdem Episcopis vivere pergebant, ex quibus alii unionem aperte profitebantur, alii ei favebant, alii Ecclesiae catholicae infesti erant. Haud raro Patres Capuccini et Societatis Iesu ab Episcopis dissidentibus invitabantur, ut in eorum ecclesiis sermones vel etiam missiones haberent. Vivide hic status depingitur in alio dubio missionariorum die 7 maii 1631 proposito: circa facultates ipsis a S. Officio commissas, utrum sibi petenda sit licentia ab Episcopis schismaticis etc. (2). Dubium igi-

(1) Mansi, t. 50, c. 36* (= 1092).
(2) *Ibidem.*

tur a missionariis propositum et responsio ad dubium data non solum catholicos spectabat, sed vel fortiore ratione dissidentes qui Ecclesiam ingredi quaerebant. Nullo verbo statuitur eorum condicionem, eorum matrimonia etc. diiudicanda esse secundum leges latinas, sed indiscriminatim omnes sive catholicos sive schismaticos, praeter exceptiones indicatas, propriis legibus orientalibus subici edicitur. Id vel eo magis notandum quod hoc responsum non solum a Benedicto xiv citatur in constitutione *Allatae sunt* (1), sed licet numquam authentice approbatum sit, toto tempore posteriore servatum est tamquam norma practica quam secutae sunt Congregationes Romanae (2).

Aliud exemplum desumitur ex disciplina confirmationis. Notum est in Ecclesia latina sacerdotem nec licite nec valide administrare sacramentum confirmationis, nisi in casu particulari a S. Sede hanc facultatem acceperit. In Oriente vero omnes sacerdotes ex antiquissima consuetudine et tacita delegatione hac facultate gaudent exceptis aliquibus regionibus vel ritibus ubi hic usus abrogatus est. Etiam in Oriente tacita quadam delegatione sane opus est ut sacerdos valide conferat hoc sacramentum, cum vi solius ordinis solus Episcopus illud administret; ubi de exsistentia tacitae eiusmodi delegationis dubitatur vel de eius limitibus, ipsum sacramentum dubium evadit.

Iamvero S. Officium saepius respondit non expedire ut infantibus a sacerdotibus schismaticis confirmatis hoc sacramentum conferatur (praeter regiones ubi expresse revocata est facultas), nisi ageretur de promovendis ad ordines vel ipsi confirmandi vel eorum parentes id expeterent; in hoc casu confirmationem administrandam esse secreto et sub condicione (3). Idem praescriptum da-

(1) § 44, *loc. cit.*, p. 270.

(2) Cf. litt. encycl. S. Congregationis de Propaganda Fide d. d. 5 nov. 1882, *Collectanea S. C. de Prop. Fide*, t. II, n. 1578, p. 165. Vide E. Herman, *De « ritu » in iure canonico*, in *Orientalia Christiana*, XXXII (1933) p. 122 ss.

(3) *Collectanea S. C. de Prop. Fide*, t. I, n. 1095, p. 585; t. II, n. 1381, p. 52; n. 1515, p. 130; n. 1630, p. 206.

tum est cum agebatur de infantibus latinis confirmatis a sacerdotibus catholicis ritus orientalis (1). Si S. Officium iudicasset Orientales dissidentes regi legibus latinis, decrevisset absolute omnes illas confirmationes repetendas esse. Apparet igitur secundum mentem S. Officii Orientales dissidentes non regi iure latino.

II

Postquam ita demonstratum est Orientales dissidentes in genere non subici disciplinae Ecclesiae latinae sed Orientis propriae, qui tenet eos in re matrimoniali saltem diiudicandos esse secundum Codicem latinum, ei onus probationis incumbit. Rationes vero peculiares non afferuntur. Ex nostra vero parte nonnulla adducere possumus quibus quae diximus, etiam quod ad ius matrimoniale attinet, confirmamus.

Benedictus xiv ubi de obligatione servandi caelibatum et de vi irritante ordinis sacri in diaconis coptis loquitur qui inter dissidentes cum essent, infantes hunc ordinem receperunt, amplam dissertationem de fontibus iuridicis et de historia huius impedimenti in Ecclesia Orientali proponit, quin cogitet de applicando eis normas iuris latini (2). Idem doctus Pontifex, ubi de Graecis Orientalibus agit qui in sacris ordinibus constituti matrimonium contraxerunt, postea ex schismate ad Ecclesiam revertentes simul uxorem retinere et ordines exercere desiderabant, dubium relinquit hoc matrimonium utrum invalidum an illicitum fuerit, secundum ea quae alio loco de hoc impedimento secundum ius Ecclesiae Orientalis dixerat (3). Si eis ius latinum applicuisset, sine ullo dubio matrimonium invalidum erat.

---

(1) *Ibidem*, t. II, n. 1660, p. 206.

(2) Constit. *Eo quamvis tempore*, § 36 ss: *Benedicti XIV Bullarium*, t. I, p. 522 sq.

(3) Fr. Heiner, *Benedicti XIV opera inedita*, Friburgi 1904, *De Sacramentis*, tit. IV, c. IX, n. 11, p. 413.

Sed multo maiorem gravitatem habent quae de disciplina actu vigente affirmari possunt. Si Orientales dissidentes regerentur iure latino, Episcopis et sacerdotibus orientalibus accurate inquirendum esset, matrimonia ad Ecclesiam revertentium sintne valida secundum has normas. Notum est haud paucas differentias inter ius latinum et ius orientale haberi. Sed tuto affirmari potest, nusquam tale quid fieri, immo ne in mentem quidem Episcoporum et sacerdotum orientalium venire. Neque S. Congregatio pro Ecclesia Orientali umquam reclamavit. Consuetudo autem immemorialis et tam universalis est optima interpres legis. Potestne etiam exsecutioni mandari lex quae praescriberet sacerdotibus orientalibus ut applicarent in reditu leges latinas, i. e. ut praeter proprium ius etiam ius latinum bene callerent? Hoc dubio nullo modo detrahere volo clerum orientalem; nam experientia doctus sum multo maiorem esse numerum sacerdotum orientalium qui cognoscunt ius latinum, quam latinorum qui cognoscunt ius orientale.

III

Superest ultima quaestio quam nobis proposuimus: Estne canon 1070 *CIC* saltem dissidentibus applicandum ita ut de se semper valide cum personis non baptizatis matrimonium contrahant?

Ante omnia animadvertendum, licet in genere Orientales dissidentes iure Codicis non teneantur, tamen nulla ratione exclusum esse eos determinato quodam canone teneri, si rationibus peculiaribus probetur hunc canonem ad eos quoque pertinere. Quaeritur id num valeat de canone 1070?

Iam primum advertendum est impedimentum disparitatis cultus independenter a lege latina et proprio iure introductum esse apud Orientales. Quod Codex I. C. dein

impedimentum in latinam Ecclesiam consuetudine introductum arctius limitavit, ut ex can. 1 apparet, non tangit Ecclesiam orientalem et ius orientale. Neque enim nominantur Orientales, ut in aliis multis canonibus qui ad eos pertinent, neque de iis agitur, quae ex ipsa rei natura Orientales quoque afficiunt (1).

Porro mirum esset quod *CIC* nulla ratione habita adiunctorum peculiarium Orientis et nullo examine instituto abrogaret impedimentum in Oriente antiquissimum quod apud omnes Orientales exsistit (2) et apud « orthodoxos » et catholicos ritus byzantini vi canonis Synodi Trullanae viget, quae summa apud eos auctoritate gaudet (3). Ita nova differentia inter catholicos et dissidentes crearetur et novae difficultates pararentur reditui eorum qui dissidentes cum essent, matrimonium nullum se inire persuasi erant, secundum ius catholicum vero vinculo huius matrimonii tenerentur.

Restat ut breviter respondeamus ad probationes pro sententia contraria allatas.

Quod ad argumentum ex Indice analytico-alphabetico allatum attinet, quidquid est de eius auctoritate, certo per talem brevem declarationem non definitivam solutionem difficilis quaestionis et quae accurata examinatione opus habet, tradere intendit. Ceterum quod ibi dicitur optime intelligi potest. Nam leges Ecclesiae, quamvis de se haereticos et schismaticos teneant, directe et principaliter ad illos qui vere et simpliciter sunt membra Ecclesiae diriguntur.

---

(1) Orientales dissidentes etiam hodie impedimento disparitatis cultus teneri docent explicite P. A. Vermeersch, in *Periodica de re mor., can., lit.*, xxiv (1935) p. 41 ss., et P. F. Cappello, *De matrimonio* 3, Romae 1933, n. 906.

(2) J. Dauvillier-C. De Clercq, p. 164 sq. In aliquibus ecclesiis minoribus impedimentum non viros baptizatos sed tantum mulieres baptizatas tenet.

(3) Canones teste Anastasio Bibliothecario a Ioanne viii approbati sunt, « exceptis illis quae rectae fidei, bonis moribus et consuetudinibus Ecclesiae Romanae opponuntur ».

Aliter ex can. 859, § 1 et 906 ratione fortiore deducendum esset, solos fideles ad communionem paschalem et confessionem annuam teneri, cum de eis solis explicite canones dicant, non vero haereticos aut schismaticos, licet proprio facto culpabili tales, quod est contra communem doctrinam.

Si dein secundo affirmatur haereticos et schismaticos per se adstringi legibus ecclesiasticis, id a nobis admittitur, ut ex dictis patet. Tantummodo dissidentes occidentales latinis legibus, orientalibus legibus orientales teneri affirmamus.

Sed praecipuum argumentum ex voce « schismaticorum » ut in Codice adhibetur, desumitur. Iamvero distinguatur oportet significatio historica et significatio iuridica huius vocis. Historice sine ullo dubio usque ad recentissima tempora, etiam in documentis authenticis S. Sedis dissidentes orientales et praesertim « orthodoxi » qui dicuntur, voce schismaticorum designantur. Significatio iuridica traditur canone *CIC* 1325, § 2 qui ita habet: « Post receptum baptismum si quis nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, haereticus; si a fide christiana totaliter recedit apostata; si denique subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat, schismaticus est ».

Vix probandum videtur in Codice vocem « schismaticorum » non sensu historico sed iuridico adhiberi. In ipso enim Codice definitio traditur quam in omnibus canonibus ubi vox occurrit, servari praesumi debet, donec contrarium probetur. In nullo canone vero probari potest hanc vocem non sensu iuridico et abstracto sed sensu historico et restricto intellegi. Immo valde singulare esset si adhiberetur pro nomine proprio, quod omnino alienum est a modo dicendi Codicis. Contra plerumque exhibetur in enumeratione plus minusve producta conceptuum gene-

ralium (v. g. can. 2339: infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos aliosve sive excommunicatos sive interdictos... etc.). Porro, quod caput est, « orthodoxos » constat, quidquid est de eorum bona fide, obiective varias haereses profiteri. Sine ullo dubio igitur etiam secundum Codicem ut haeretici tractari debent. Quo modo eos sub voce *schismaticorum* designaret, ut significaret eos poenis obnoxios esse *haereticorum*?

Ceteroquin neque clar. Dalpiaz neque P. Oesterle affirmant canones in quibus sermo est de schismaticis, exclusive de Orientalibus esse intellegendos. Volunt ab eis non excludi Orientales quod nos libenter concedimus, etsi hos haereticis potius quam schismaticis adnumerandos esse contendamus. Id tantum negamus ex hoc deducendum esse Orientales subiacere omnibus canonibus Codicis seu legibus latinis in genere. Nam quod plerumque comprehenduntur, ubi sermo est de acatholicis vel de haereticis et schismaticis, id optime explicatur ex can. 1 *CIC.* Ut enim ex repetitis declarationibus S. Sedis et ex ipsa rei natura patet, omnes leges quae fidem fideique praeservationem spectant, afficiunt etiam Orientales. Similiter, ubi de rebus mixtis latinorum et dissidentium orientalium agitur, ex natura rei liquet, ratione partis latinae comprehendi sub voce haereticorum et schismaticorum etiam dissidentes Orientis, v. g. in can. 731, § 2 de sacramentis acatholicis non administrandis, can. 1060 de matrimoniis mixtis etc. Ad hoc genus reducendum est responsum S. Congregationis Concilii de decreto *Ne temere* supra memorato. In eo enim edicitur eos qui in Ecclesia catholica nati sunt, teneri ad formam hoc decreto praescriptam etiam si cum haereticis vel schismaticis orientalibus matrimonium contrahant. Sed idcirco non efficitur Orientales dissidentes legibus latinis teneri si agatur de eis quae ex natura rei Orientales non afficiunt (1).

(1) Ad quaestionem interim rediit P. G. Oesterle, in *Theol.-prakt. Quartalschrift*, 91 (1938) p. 129. Hic ad confirmandam sententiam suam

Finem dissertationi nostrae iam nimis protractae imponamus. Noto tantum altioribus forte principiis hanc controversiam niti quam primo aspectu apparet. Ex multis enim saeculis iuris periti latini assuefacti sunt ut quidquid discrepat cum iure latino communi, pro exceptione vel pro iure particulari habeant. Ita etiam de disciplina orientali iudicaverunt, illam sub iure particulari vel sub privilegio subsumentes. Res si ita se haberet, facile intellegitur, illum qui se privilegii vel favoris indignum reddit, beneficio privari et recidere sub ius commune a quo per benignam tantum concessionem principis exceptus erat. Sed non ita est. Ius orientale multo altioribus principiis innititur. Christiana religio naturales hominum et populorum condiciones non destruit, sed elevat. Pro singularum gentium indole et ingenio ab initio magna in Ecclesia cultus, traditionis, disciplinae varietas observatur. Pulchra haec rituum et morum diversitas, salva necessaria fidei et regiminis unitate, Ecclesiae non nocet sed eam ornat et ex intima eius natura profluit. Ea enim demonstratur Evangelium non ad unum populum missum esse, neque unum populum alteri anteferri, sed quemadmodum Summi Pontifices saepe proclamaverunt et repetivit BENEDICTUS XV « Ecclesiam Iesu Christi non esse latinam, non graecam, non slavonicam, sed catholicam » (1).

AEMILIUS HERMAN, S. I.

adducit praeter dissertationem clar. DALPIAZ supra laudatam, decisionem S. R. Rotae diei 9 augusti 1926 (cf. *S. Romanae Rotae Decisiones*, XVIII p. 315 ss.). Haec cum applicet tantum responsum datum a S. C. Concilii d. d. 28 martio 1908, nihil videtur supra expositis adiungendum.

(1) Motu proprio *Dei providentis*, d. d. 1 maii 1917.

« Dummodo cadaver sit physice praesens ».

Ab ipsa missa exsequiali et a missis die III, VII, XXX, anniversaria obitus vel depositionis defuncti, vel etiam prima post acceptum mortis nuntium celebrandis discernuntur missae privatae, at privilegiatae, quae a decessu usque ad depositionem defuncti « ut in die obitus » seu « pro die obitus », praeterquam dominicis et aliis quibusdam diebus, pro more dici possunt. De his agunt *Additiones et Variationes in Rubricis missalis*, tit. III, n. 5.

Tres autem ea rubrica talium missarum rationes distinguuntur, cum de iis singulis definitur in quibus ecclesiis vel oratoriis et quot diebus celebrari possint.

Prima ratio illarum missarum est quas in ipsa ecclesia vel oratorio publico in quo defuncti funus sollemniter agitur atque ipsa funeris die dicere fas est, modo ipsi defuncto applicentur.

Altera ratio complectitur omnes missas quae una — et eadem — ab obitu usque ad depositionem die celebrari possunt in quolibet oratorio semipublico quod, sicubi deest ecclesia vel oratorium publicum, pro his adhibetur, non autem in ipsa ecclesia vel oratorio publico.

Tertiam rationem constituunt missae quae singulis ab obitu usque ad depositionem diebus, etiam omnes, dici possunt in quolibet oratorio semipublico quod ab usu quem diximus liberum sit, vel in oratorio stricte privato domus defuncti.

Ad finem vero eiusdem rubricae haec adiungitur condicio: « dummodo cadaver sit physice praesens in domo, ubi erecta sunt ipsa oratoria »; eo autem modo adiecta est, ut non appareat ad quasnam missarum rationes referenda sit: utrum solum ad missas in oratoriis stricte privatis dicendas, an ad missas quoque in quolibet oratorio semipublico usui publico non obnoxio cotidie agendas, an

etiam ad missas in oratorio semipublico ad usum publicum converso una die, vel ipsa die funeris in ecclesia vel oratorio publico celebrandas? Res non liquet et quoniam facile inde error gignitur in interpretanda ipsa rubrica, obscuritatem pro viribus nostris amovere conati sumus.

Certum omnino est praesentiam physicam cadaveris necessariam non esse ad celebrationem missarum primae rationis, quoniam una earum condicio est ut agantur ipso funeris die ac loco; ad numerum autem 4 definitur missam exsequialem celebrari posse « etiam absente rationabilem ob causam vel etiam sepulto cadavere ». Ceterum quid refert ad rationem qua missae dicendae sunt in ecclesia vel publico oratorio, utrum necne cum his domus aliqua — puta conventum vel collegium — coniungatur, utrum autem in ea domo, si adsit, cadaver defuncti praesens sit necne?

Neque solum ad missas in oratoriis stricte privatis dicendas referenda videtur condicio, quoniam nullo verbo significatur eam tam stricte esse intellegendam, cum vocibus « in domo ubi » ostendi videatur non agi tantum de domibus in quibus sed etiam *ad quas* erecta sunt oratoria, seu non oratoria stricte privata tantum sed etiam oratoria semipublica memorari. Praeterea non una dumtaxat condicio missarum percensioni subiungitur, sed duae sunt: « dummodo cadaver sit physice praesens », « et dies impedita non occurrat ». Quis autem existimaret hanc alteram condicionem missas dumtaxat in oratoriis stricte privatis, non vero missas in quolibet oratorio semipublico dicendas respicere? Quod enim ad missas in ecclesia vel publico oratorio die funeris dicendas spectat, distincte posita est eadem condicio: « nisi occurrat officium missas defunctorum sequenti numero — scilicet 6 — indicatas impediens ».

Restat igitur tantum ut quaeramus utrum praesentia cadaveris necessaria sit solum ut missas tertiae, an etiam ut missas secundae rationis celebrare liceat.

Iam vero plerique auctores, immo fortasse omnes, necessitatem illius praesentiae ad missas tertiae rationis coarctant, adeoque negant postulari cadaveris physicam in domo praesentiam ubi una tantum die ab obitu usque ad depositionem die missae in oratoria semipublico quod pro ecclesia vel oratorio publico usurpetur celebrandae sunt.

Scribit, verbi gratia, L. Barin: « Rubricae, quod ad missas illas lectas pertinet, duas oratoriorum semipublicorum rationes distinguunt. Alia oratoria adhibentur fidelium causa loco ecclesiae vel publici oratorii; alia sunt omnino semipublica. In oratoriis prioris rationis missae lectae « pro die obitus » dici possunt una die tantum, pro arbitrio eligenda, ab obitu usque ad depositionem; si autem in iis funus agitur, electioni locus iam non est, sed missae, sicut in ecclesiis publicis, celebrari non poterunt nisi ipso funeris die. In priore casu — id est si missae legendae sunt in oratorio in quo funus agendum non est — *non oportet defunctus praesens in oratorio vel in domo sit.* In oratoriis semipublicis, quae ad definitionem in Codice iuris exhibitam plane talia sunt, *dummodo cadaver praesens sit in domo ubi erectum est oratorium,* cotidie ab obitu usque ad depositionem et quolibet numero missas celebrare fas est.... Idem licet agere in oratoriis stricte privatis, nisi quod in his una tantum missa singulis diebus dici potest » (1).

Principium autem communis huius interpretationis in hoc esse reperiendum putamus quod in tertia missarum ratione plus concedi videtur quam in secunda, videlicet non una celebrationis dies sed plures, adeoque iustum existimandum est facultatem condicionibus paulo gravioribus subici: ut possint nimirum missae una die cele-

(1) L. Barin, *Catechismo liturgico,* t. III[5], n. 133, p. 234-236; cfr. M. De Antoniana, *Manual de liturgia sagrada*[4], t. I, n. 2764, p. 313-314, et alios.

brari, necesse non esse cadaver physice praesens sit, secus vero ut coditie dicantur.

Verum, quod ad praesentiam cadaveris attinet, ista explicatio nobis non videtur admittenda quippe quae sit verbis et contextui rubricae contraria: arbitramur videlicet praesentiam physicam cadaveris non solum ad celebrationem missarum tertiae sed etiam secundae rationis exigendam esse.

Animadvertamus primo aliam esse interpunctionem inter primam et secundam rubricae partem, aliam inter secundam et tertiam, illic adesse punctum, hic punctum cum commate dumtaxat, et proinde ex hoc capite nihil nos prohibere quominus condicionem « dummodo cadaver » ad secundam partem rubricae, non vero ad primam referamus.

Deinde, ut iam ostendimus, condicio « et dies impedita non occurrat » certe non tertiam solum et sed etiam secundam afficit. Quomodo igitur idem non efficeret prior condicio qua postulatur cadaveris praesentia? Etenim duae hae condiciones ita inter se coniunguntur ut potius duae partes unius condicionis dici possint.

Denique verum quidem est praesentiam cadaveris — modo dies impedita non occurrat — esse condicionem « sufficientem » ut cotidie celebrentur missae ab obitu usque ad depositionem defuncti in oratoriis omnino semipublicis, at non minus manifestum est illam esse quoque condicionem « necessariam » ut hoc vel una die fiat. Proinde si cadaver in domo non adest, ne una quidem die missae privatae in oratorio semipublico dici possunt, . . . nisi hoc pro ecclesia vel oratorio publico adhibeatur! Etenim, ut volunt nostri auctores, sicubi eo modo usurpatur oratorium semipublicum, possunt in eo etiam sine cadaveris praesentia una die missae privatae dici. Ponamus namque religiosum aliquem vel seminaristam supremum diem obiisse in clinica aliqua extra domum sita, corpusque defuncti illic remansisse: ne una quidem die ab obitu usque ad deposi-

tionem fas erit missas privatas pro die obitus in oratorio communitatis vel seminarii dicere; hoc namque clare vetat rubrica. At per nostros auctores id agere licebit si istud oratorium locum tenet ecclesiae vel oratorii publici. Quis autem non videt talem conclusionem absurdam esse et contrariam solutionem potius exspectari: tales missas, si in oratorio omnino semipublico omittendae sunt, multo minus celebrari posse in oratorio natura sua semipublico, usu vero publico.

In nullo scilicet oratorio semipublico per rubricam nostram licet vel unam missam pro die obitus dicere, nisi in ea funus agatur, vel cadaver sit in domo physice praesens. Licebit vero missas pro die obitus celebrare in quolibet oratorio semipublico, sive hoc in usum publicum adhibetur, sive non, dummodo sit physice praesens in domo corpus defuncti, cotidie in oratorio omnino semipublico, una tantum die in oratorio semipublico pro ecclesia vel oratorio publico usurpato.

Cum hac lege prorsus iam congruebat, ni fallimur, antiquior ecclesiae disciplina liturgica, cum nulla fiebat oratoriorum distinctio quod ad postulatam cadaveris praesentiam, saltem « moralem », spectabat et ius inde consequens missas privatas pro die obitus celebrandi.

Sic *Rubricae generales missalis*, quae etiam in recentissima editione typica huius libri retentae sunt, tit. v, n. 2, ad finem, praescribunt: « Missae privatae pro defunctis ut in die obitus seu depositionis etiam in duplicibus celebrari possunt praesente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere; exceptis duplicibus primae classis, diebus duplicia primae classis excludentibus, et festis de praecepto.

Idem, at multo clarius, ut par est, demonstrant ea recentiora S. Congregationis Rituum decreta vel responsa quibus praesens disciplina parabatur.

Etenim decretum 3903 seu *Aucto* (19. v, et 8. vi. 1896), praeter alia plura ad missas defunctorum gratia celebran-

das attinentia statuit: « in quibuslibet ecclesiis et oratoriis, quum publicis tum privatis, et in sacellis ad seminaria, collegia et religiosas vel pias utriusque sexus communitates spectantibus, missas privatas de requie, praesente, insepulto vel etiam sepulto non ultra biduum, cadavere, fieri posse die vel pro die obitus aut depositionis sub clausulis et conditionibus, quibus, iuxta rubricas et decreta, missa solemnis de requie iisdem in casibus decantatur, et exceptis duplicibus primae classis, dominicis aliisque festis de praecepto » (1).

Responsum vero 3944 (13. I. 1897), III, dubium ex praecedentis decreti exsecutione ortum: « Missae privatae de requie, quae sub expressis conditionibus celebrari possunt praesente cadavere, licitaene erunt in quibuslibet ecclesiis vel oratoriis sive publicis sive privatis »? solvit dicendo: « Affirmative, dummodo cadaver sit physice vel moraliter praesens; sed si agatur de ecclesiis et oratoriis publicis, fieri debet etiam funus cum missa exsequiali » (2). Quod responsum ipsam quaestionem quam nobis proposuimus attingit eamque solvit eo modo quem propugnamus.

Porro solutionem istam confirmat novum responsum 3957 (28. V. 1897), I, 1°, quo dubium: « Num missae privatae de requie vel pro die obitus seu depositionis... dici valeant cadavere tantum moraliter praesente sed physice absente, licet insepulto vel sepulto non ultra biduum »? hoc modo tollitur: « Affirmative; dummodo serventur clausulae et conditiones expressae in... decreto *Aucto* et in una Romana diei 12 ianuarii 1897 » (3).

Denique liquet eadem sententia niti cum dubium tum responsum 4192 (10. XI. 1908), I, quoniam in memorandis missis quae pro die obitu celebrari possunt, sive in oratoriis privatis, sive in semipublicis cuiuslibet generis, sive

(1) *Decreta authentica*, t. III, p. 303, 304.
(2) *Ibid.*, p. 325-326.
(3) *Ibid.*, p. 331.

in publicis, pari modo semper memorat etiam praesentiam cadaveris in domo defuncti (1).

His igitur rationibus ac documentis perpensis nobis manifestum videtur praesentiam physicam cadaveris in domo omnino postulari etiam si missae privatae pro die obitus celebrandae sunt in oratorio semipublico in usum publicum adhibito, licet tunc missae istae una tantum die ab obitu ad depositionem dicantur.

Ioannes M. Hanssens S. I.

Quaesitum liturgicum

Quando in liturgia *praescribitur* caput bireto coopertum habere, quando *prohibetur*, quando *permittitur?*

Haec practica quaestio saepe mihi proposita est, unde iuvare videtur breve et distinctum tradere responsum.

I — *Quando caput bireto opertum habere rubricae praescribunt?*

Respondetur:

1 - Sacerdos celebraturus « *capite cooperto* » accedit ad altare atque in fine missae « accipit biretum a ministro, caput cooperit » (2). Eadem est regula pro Diacono et Subdiacono in missa sollemni; etenim Celebrans « procedit cum Diacono et Subdiacono, qui *capite cooperto* . . . » (3);

(1) *Decreta authentica*, t. VI, p. 81-82. De his decretis et de hodierna rubrica in *Additiones et Variationes*, tit. III, n. 5, vide L. Barin, *Il messale romano riformato da Pio X, promulgato da Benedetto XV. Commento e note illustrative alle modificazioni introdotte dalla edizione tipica MCMXX*, 1920, p. 187-188. Hoc tamen opusculum non recte, ut nobis videtur, documenta interpretatur, praesertim quia vocibus « dies impedita », quae in fine nostrae rubricae, *Additiones et Variationes*, tit. III, n. 5, leguntur, eam significationem attribuunt quae habent, non in numero 6 eiusdem tituli, sed in numero 9. Iam vero in hoc agitur de missis cotidianis, cum in toto numero 5 non respiciantur nisi missae privilegiatae pro die obitus.

(2) *Ritus servandus in celebratione missae* II, 1, 2, XII, 6.

(3) *Rit. serv.* II, 5.

atque, ubi admittitur, idem valet pro Presbytero assistente *cum pluviali* (1), immo pro Presbytero quandoque *sine pluviali* legitime assistente (2).

N. B. - Monachi non deferunt biretum in sacris functionibus (S. R. C. 23 sept. 1651, n° 938), attamen sacerdotes regulares, qui utuntur parvo caputio et pileo, uti possunt bireto dum procedunt ad altare celebraturi, et in reditu ad sacristiam, praesertim si regula et consuetudo non obstant (S. R. C. 15 maii 1900 ad I, n° 4056).

2 - In missa sollemni, *si sedent*, Celebrans et Ministri sacri caput coopertum habent (SS.mo *non* exposito), etenim plura responsa S. R. C. id saltem supponunt (S. R. C. 18 aug. 1877 ad V, n° 3434; 27 iul. 1878 ad III, n° 3457); immo videtur regula esse generalis quod, si tempore alicuius functionis sacrae clerici sacris paramentis induti *sedent* (SS.mo *non* exposito) caput bireto coopertum habeant (S. R. C. 28 apr. 1708 ad I, n° 2184).

3 - Pro celebrandis sollemnibus Vesperis consule « Caeremoniale Episcoporum », lib. II, C. III, n° 1 et 8 (S. R. C. 31 mart. 1879 n° 3490; 20 iun. 1899 ad I, n° 4039).

4 - In tribuenda absolutione ab excommunicatione pro foro externo dicit Rit. Rom. III, c. III, n° 6, « Mox sedet, et *cooperto capite* dicit ».

5 - Respondit S. R. C. 14 mart. 1861 ad XI (n° 3104) pro iis, qui sacris vestibus sunt induti, sive sint Canonici sive sint alii in choro praesentes, non tolerandam esse consuetudinem « numquam cooperiendi caput dum divina Officia peraguntur ».

6 - In transitu de actione, in qua usus bireti factus est, v. g. de celebrando ad distribuendam S. Communionem ab alio altari, ad faciendam absolutionem ad feretrum, atque dein in reditu ad sacristiam certo capiti biretum

---

(1) V. D. STAPPEN, *Sacra liturgia* III, Q. 144, 1°.

(2) Vide S. R. C. 25 sept. 1875 ad I n° 3377 de missa *cantata*, 11 iun. 1880 ad VII n° 3515 de missa privata *neo-sacerdotis*.

imponatur (1). Immo ex universali consuetudine imponendum videtur biretum a sacerdote semper in accessu ad elationem cadaveris, ad faciendam absolutionem ad feretrum, aut Sabbato Sancto in accessu ad benedictionem ignis, ad benedictionem fontis baptismalis, aut ad celebrandas Laudes vespertinas, atque in reditu ad altare vel ad sacristiam (2).

N. B. - Praescribit Rit. Rom. VI, c. I, n° 12 sacerdotes et clericos defunctos debere indui sacro vestitu sui ordinis, quantum fieri potest, additque: « unusquisque autem cum tonsura et *bireto* ».

II — *Quando caput bireto coopertum habere prohibetur?*

1 - In missa sollemni Celebrans et Ministri sacri *capite detecto* pergere debent ad scamnum ac dein redire ad altare, atque infra sessionem caput detegant ad verba chori vel assistentium, ad quae est inclinandum (S. R. C. 21 mart. 1676 ad I, n° 1563; 12 nov. 1831 ad XIII, n° 2684; 27 iul. 1878 ad III, n° 3457).

2 - In genuflexione *duplici genu* facienda semper caput est detegendum (*Rit. serv.*, II. 1). Immo ad quamvis genuflexionem vel inclinationem caput detegatur si manus non impediuntur, i. e. si nihil manibus Sacerdos gerit (3), excepto si Magistratus salutatur in proprio scamno a Celebrante et Ministris sacris paramentis indutis (S. R. C. 27 aug. 1836, ad IV, n° 2753).

3 - Qui sive in *choro* sive in *actuali ministerio* sacro *stat* vel *adgeniculatur* habeat caput detectum (S. R. C. 23 ian. 1649 ad I, n° 918; 10 ian. 1693 ad I, II, n° 1891; 4 apr. 1699 ad VII, n° 2027; 14 iun. 1845 ad III, V, n° 2895; 30

(1) CALLEWAERT, *Caeremoniale* n° 27, b.; *Collat. Brugenses* 1905, p. 676.

(2) Vide v. g. v. D. STAPPEN, *S. Lit.*, v. Q. 88; CALLEWAERT, *Caeremoniale*, n° 453. Quia benedictio candelarum, cinerum et palmarum facienda est in connexione cum missa, certo sacerdos capite bireto cooperto ad eam accedit.

(3) CALLEWAERT, *l. c.*, n° 28, c; DE HERDT, *S. Lit. praxis*, I, n° 201.

ian. 1883 ad II, n° 3580). Quare v. g. caput sit detectum in ipsa absolutione ad feretrum (1), in ipsa elatione cadaveris infra preces etc... dum quis stat in choro. — In Rit. Rom. VIII, C. I, n° 7 « de benedictionibus » dicitur quoque: « *Stando* semper benedicat et *aperto capite* ».

4 - Coram Sanctissimo *exposito*, vel *delato* sive in processione sollemni sive ad infirmos, non licet habere caput bireto coopertum (S. R. C. 2 apr. 1667, n° 1352; 23 maii 1835 II, n° 2722; 31 aug. 1872 ad II, n° 3276; Rit. Rom. IV, C. IV, n° 12; IX, C. V, n° 4). Si SS.mum est velo coopertum in loco eminenti potest clerus sedere tecto etiam capite « sed laudandus esset si sederet detecto capite » (S. R. C. 10 sept. 1796 ad I, n° 2552). — *Concionator* prohibetur caput tectum habere exposito SS.mo (S. R. C. 9 dec. 1628, ad IV, n° 488), immo SS.mo exposito velo cooperto (S. R. C. 23 sept. 1837 ad II, n° 2769).

5 - Item prohibetur caput bireto coopertum habere in *processione*, in qua deferuntur reliquiae *Ligni S. Crucis* (S. R. C. 2 sept. 1690 ad I, n° 1841); haec prohibitio tamen *non* se extendit extra processionem illam si solummodo *expositae* sunt illae reliquiae Ligni S. Crucis (S. R. C. 23 maii 1835 ad II, n° 2722) (2).

6 - Qui ipse defert *reliquias Sanctorum* in processione (S. R. C. 23 ian. 1649 ad I, n° 918; 1 dec. 1657, n° 1043; 2 apr. 1667, n° 1352), vel *hastas baldachini* (S. R. C. 25 sept. 1688, n° 1800), vel *statuas Sanctorum* (S. R. C. 2 sept. 1690 ad 1, n° 1841) habeat caput non coopertum; hanc ob causam *Subdiaconus* deferens crucem v. g. in exsequiis, vel sabbato Sancto post benedictionem ignis, debet caput detectum habere.

7 - Respondit S. R. C. 23 sept. 1837 ad VI, 1, n° 2769 *non* posse « Clericum assistentem Celebranti et alios Cle-

(1) Ad quaestionem: « An tolerari possit consuetudo, qua sacerdos in exequiis Defunctorum cooperit caput suum bireto quando imponit et benedicit incensum? » respondit S. R. C. 20 iun. 1883, ad II (n° 3580): « Consuetudinem in casu non tolerandam sed omnino tollendam ».

(2) CALLEWAERT, *l. c.* n° 28, a.

ricos, qui dirigunt processionem Rogationum etc. deferre biretum sacerdotale ».

8 - Saltem decet detegere caput dum quis se signat (v. D. STAPPEN, *S. Lit.*, III, Q. 281, 1°).

III — *Quando saltem permittitur caput bireto coopertum habere?*

1 - Quando sedetur in choro etiam sine sacris paramentis SS.mo *non* exposito (S. R. C. 10 sept. 1796 ad I, n° 2552) saltem licet caput bireto tectum habere, sed si contraria consuetudo viget ab antiquioribus temporibus, nequit Episcopus, contradicente Capitulo, usum introducere, nisi Canonici sint sacris paramentis induti (S. R. C. 5 maii 1891 ad I, n° 3746), in quo casu consuetudo numquam cooperiendi caput reprobatur (S. R. C. 14 mart. 1861 ad XI, n° 3104).

2 - De usu bireti in *processionibus sine* SS.mo et *sine* reliquiis Ligni S. Crucis nihil habet Rit. Rom. (IX, c. I, n° 3); caput bireto tegi supponit interrogator decreti S. R. C. 23 sept. 1837, VI, n° 2769, atque S. R. C. 2 sept. 1690 ad I, n° 1841, dicit: « *possint* incedere tecto capite cum bireto ». — Celebrans vero et Ministri paramentis sacris parati possunt iam *in ecclesia* procedere tecto capite, alii tantum *extra ecclesiam* (S. R. C. 28 apr. 1708 ad III, n° 2184).

3 - Infra concionem *concionator* bireto caput tegere potest, ut evidenter supponitur in duplici decreto S. R. C. 9 dec. 1628 ad IV, n° 488; 23 sept. 1837 ad II, n° 2769, in quibus hoc tamen prohibetur SS.mo exposito velo quoque obducto.

4 - Quamquam nullum verbum hac de re habetur in Rit. Rom. III, c. II, iuxta auctores tamen *confessarius* biretum imponere potest dum absolvit, scil. a voce « Dominus noster » ad « Spiritus Sancti. Amen ».

5 - Tandem si quis indutus saltem stola per ecclesiam procedit v. g. ut eat ad altare pro distributione S. Communionis, iuxta auctores saltem potest caput bireto tectum habere.

HUB. BEIJERSBERGEN, S. I.

Casus conscientiae - I

Cassianus, in collegio catholico magister litterarum et disciplinae praefectus, inopinato vocatur ad comparendum coram iudice officiali tribunalis dioecesani, ibique, nomine et auctoritate Sancti Officii, paucis interrogatus, ei, praeter remotionem ab omnibus muneribus, quae in collegio habet, gravissimae poenae imponuntur de quibus in can. 2359, § 2 et 2368, § 1.

Recedit, postquam propriam innocentiam affirmavit coram iudice, et ad Raymundum canonicum poenitentiarium Ecclesiae cathedralis, exterrefactus accurrit consilii, quo sese defendat, petendi causa.

Raymundo veritatem sub sigillo confessionis manifestat. Verum est se omnia crimina de quibus est accusatus commisisse. Nam revera pluries sollicitavit pueros collegii et cum ipsis gravia peccata contra sextum pluries commisit. At diligenter providit ut haec omnia sub secreto fierent, et sine ulla possibili relatione ad ministerium audiendi confessiones. Quomodo nunc Sancti Officii interventum explicari potest?

Raymundo quoque nova haec videntur. Unde et ipse perplexus manet et quid respondere debeat Cassiano nescit.

Solutio

1 - Non est cur consilium ad sese defendendum petat Cassianus, nec cur perplexus sit Raymundus.

Etenim, cum revera Cassianus pluries sollicitaverit pueros collegii et cum ipsis gravia contra sextum commiserit,

optime fieri potuit ut pueri a prudenti confessario edocti, rem vel superiori collegii vel sacerdoti sapienti extra confessionem integre narraverint.

2 - Quicumque ex illis optime potuit iure suo uti, et corruptorem, ut dicitur in can. 1935, § 1, *CIC*, ad « scandali vel mali reparationem » denunciare; et quidem directe apud ipsam Sanctam Sedem. Nam hoc ius competit cuilibet fideli; et cum de delicto agatur quod maxime in damnum innocentium vergit et ex quo ipsi ordini sacerdotali magnum dedecus obvenire possit, merito sine violatione ordinis correptionis fraternae, directe nefarius ille sacerdos denunciari potuit apud Sanctam Sedem, et quidem apud ipsum Sanctum Officium.

3 - Denuntiatione apud Sanctum Officium interposita, minime ab hoc sacro tribunali reicitur, sed illam acceptat et more institutoque suo procedit, propriam consuetudinem retinendo, secundum canonem 1555, § 1, contra sacerdotem reum delicti in can. 2359, § 2 contenti.

4 - Quod si quis miretur Sanctum Officium negotium tractare quod ad ipsum pertinere non videtur, admiratio cessabit postquam diligenter consideraverit, *ex praxi nunc vigenti*, Sancto Officio reservari de delicto quod de *« crimine pessimo »* dicitur, agere.

In vi autem huius reservationis: *a* - cuilibet fideli integrum est directe apud Sanctum Officium reos talis criminis denunciare; *b* - si denunciatio interponatur apud Sanctae Sedis Congregationem Concilii vel Religiosorum ad quas respective pertinet de his quae disciplinam cleri saecularis vel regularis respiciunt agere, denunciatio ad Sanctum Officium remittitur, *c* - si demum interposita fuerit apud tribunal dioecesanum, hoc tribunal potest certo negotium agitare et resolvere, *monito tamen Sancto Officio.*

5 - Nomine delicti *« de crimine pessimo »* a S. Officio intellegitur *quodcumque obscoenum factum externum graviter peccaminosum quomodocumque a Clerico patratum aut attentatum cum persona proprii sexus;* vel *quodvis*

obscoenum factum externum graviter peccaminosum quomodocumque a Clerico patratum vel attentatum cum impuberibus cuiusque sexus, vel cum brutis animalibus.

Ubi notandum est Sanctum Officium, sic exigente bono communi fidelium, potius late quam stricte interpretari facta quae denunciantur; unde si de facto quovis externo agatur quod per se, si recta intentione fieret, peccatum non esset, ex. gr. osculum vel amplexus, si nulla iusta causa ponatur, praesumptio habetur intentionis libidinosae in agente. Peccatum non requiritur consummatum sed sufficit attentatum; et consequenter sine ulla complicitate personae sollicitatae patratum. Demum nota duas species considerari: cum personis eiusdem sexus vel diversi sexus. In prima crimen habetur relate ad personas omnes in quacumque aetate sint constitutae; in alia, tantum relate ad impuberes; ergo ad puellas infra duodecimum annum constitutas, ex can. 88, § 2.

Igitur competentia Sancti Officii aliquantulum magis restringitur, quam ambitus canonis 2359, § 2, in quo poenis ibi statutis plectuntur Clerici propter peccata contra sextum cum minoribus « infra aetatem sexdecim annorum ». Inde peccatum obscoenum cum puella quattuordecim annorum, ex gr., plecti potest omnibus poenis de quibus citatus canon agit, non tamen apud Sanctum Officium suscipitur tractandum. Non tamen auderem certum facere denunciatum quod in casu S. Officii vitaret interventum.

Similiter multa alia peccata comprehenduntur in canone citato contra sextum quae merentur gravissimas poenas, sed neque ea sunt de competentia Sancti Officii, sed ordinariis tribunalibus relinquuntur tractanda et punienda.

6 - *Quomodo Sanctum Officium procedit in casu*? Procedit eodem modo ac in delicto sollicitationis in confessione.

Unicum discrimen se tenet ex parte fidelium. In delicto sollicitationis imponitur personae sollicitatae obligatio sub poena excommunicationis l. s. nemini reservatae,

reum sollicitationis intra mensem denunciare loci Ordinario vel Sacrae Congregationi S. Officii (cc. 904 et 2368, § 2). In casu autem nostro, nulla obligatio positiva imponitur fidelibus clericum denunciandi, si non intervenerit *simul* sollicitatio in confessione.

Ipsis tamen licet, immo aliquando ex ipso iure naturae teneri possunt ad denunciandum Clericum tam turpiter honorem status clericalis maculantem et innocentes seducentem. Denunciatione interposita, S. Officium, prudenter quidem et rationem habendo iurium sacerdotis denunciati, procedit ad inquisitionem, et si responsabilitas vere appareat, ad rei punitionem, ut emendatus et ipse salvus fiat et aliis desinat ruinae occasionem praebere.

7 - Quae cum ita sint, apparet quid Raymundus respondere debeat Cassiano. Agnoscat in primis providentiam Dei quae illum ad poenitentiam vocat. Poenas impositas humiliter acceptet, et scandalum viriliter procuret reparare. Episcopo tamquam patri sese submittat, qui visceribus misericordiae Cordis Iesu indutus, ita exercitium poenitentiae moderabit ut si vere emendatio vitae comprobetur, caute et pedetentim ei aperire poterit spem obtinendi etiam facultates quae peccando amisit.

Ulpianus López, S. I.

MONUMENTA

1 - SS. D. N. Pius Pp. XI
Sacrum Consistorium secretum
die 13 dec. 1937 habitum

(*AAS* XXIX [23 dec. 1937] p. 445 ss.)

Feria secunda, die XIII decembris anno MDCCCCXXXVII, in consueta aula Palatii Apostolici Vaticani fuit *Consistorium secretum*, cuius acta ex ordine referuntur.

I - CAMERARIUS SACRI COLLEGII

Reverendissimus Cardinalis Lauri detulit ac reddidit perulam Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium Beatissimo Patri, qui eam tradidit Reverendissimo Cardinali Pacelli, pro hoc anno ipsius Sacri Collegii Cardinalium Camerario.

Subinde haec fuit

II - ALLOCUTIO SSMI DOMINI NOSTRI

Venerabiles Fratres

Quod iterum Nobis ex divina benignitate licet, post non breve temporis intervallum, hoc in amplissimo consessu vos convocatos circumspicere paterneque alloqui, id haud mediocre Nobis solacium affert animique delectationem. Neque una de causa iubemur bonorum omnium largitori Deo immortales grates agere, qui Nobis Ecclesiaeque suae, tot inter angustias atque procellas, praesentissima ope sua nullo tempore defuit.

Ac primum placet, heic, vobis coram, gratam eidem etiam atque etiam profiteri testificationem, quod, etsi diu-

turna infirmitate affecti, numquam tamen caelestibus donis supernisque muneribus destituti fuimus; ac postremis hisce mensibus illa miserentissimus Deus excipere visus est vota supplicationesque, quae per iterata haec verba eidem admovebamus: « Domine, si in Ecclesiae bonum hominumque salutem aliquantum adhuc possumus operae conferre Nostrae, non laborem, non dolorem recusamus ».

Huc accedit quod per annum, qui iam ad exitum vergit, non parum sane Eucharisticis illis celebrationibus delectati sumus, quas per Nostrum *a Latere* Legatum participavimus, quaeque ut uberes virtutis religionisque edidere fructus, ita ob testatam publice in communem Patrem pietatem caritatemque, et ob adhibitas pro incolumitate Nostra impensissimas ad Deum preces, mirandum prorsus exstitere catholicae fidei, concordiae unitatisque spectaculum.

In praesens vero alia de causa gaudium augetur Nostrum, quae quidem arctiore ratione sacrum attingit Collegium vestrum. Quandoquidem enim lugendas idem Purpuratorum Patrum iacturas fecit, quos heic amantissima voluntate paternoque desiderio commemoratos volumus, datur Nobis in eorum locum alios sublegere praeclarissimos viros, ex quorum in Romanae Ecclesiae Senatum cooptatione, ob egregia, quibus iidem nitent, animi ornamenta eximiaque promerita, vestri Ordinis decus non mediocre incrementum procul dubio accipiet.

Verumtamen, antequam eorum nomina, ex Apostolicae Sedis more, hac in aulae maiestate renuntiemus, temperare Nobis non possumus quin gravissimas, quibus Noster oppletur animus, sollicitudines anxitudinesque vobiscum communicemus. Non enim desunt, tempestivis intermixtae solaciis, trepidationis dolorisque causae; cum praesertim ad extremas Orientis oras respicimus, in quibus ex calamitosis illis rerum conversionibus, quae, ut pronum est, bellica comitantur discrimina, evangelici verbi praecones ac florentes christifidelium communitates tot tantaque ac-

ceperunt detrimenta, ac vel maiora in posterum reformidant.

Quodsi ad Europam oculos convertimus, non minore cum aegritudine cernimus quae in Russiarum regionibus impie atrociterque perpetrantur, et quae in Germania magno cum christianae vitae periculo decernuntur; dum carissimae Nobis catholicae Hispaniae populi tristibus adhuc afflictisque iactantur rebus, etsi aliqua inibi spes subest meliorum temporum.

Quae omnia dum summo moerore Nostrum afficiunt ac sollicitant animum, ad *misericordiarum Patrem et Deum totius consolationis* (1) supplici fidentique prece confugimus; ab eodemque enixe contendimus ut hisce malis miseriisque mederi benigne velit; atque ab Ecclesia sua ab hominumque societate minaces graviorum tempestatum fluctus, pro infinita clementia sua, prohibeat, quamvis haud pauci non modo e privatis hominibus, sed ex iis etiam in quibusdam Nationibus, qui publicae rei praesunt, sacra religionis officia neglegendo posthabeant, ac vel in ipsum aeternum Dei Numen temerario ausu rebellent.

III - CONFIRMATIO ELECTIONIS PATRIARCHAE ARMENORUM

Interea vero, priusquam eo deveniamus, quo potissimum vos convocando spectavimus, curam auctoritatemque Nostram dilectissima Nobis Ecclesia Ciliciae Armenorum postulat.

Recens enim, ut nostis, die scilicet vicesima sexta superioris mensis octobris, Venerabilis Frater Avedis Petrus Arpiarian, Patriarcha Ciliciae Armenorum, diem piissime obiit supremum; quem quidem egregium Praesulem, fidei integritate et apostolico studio insignem, quemadmodum sui omnes complorarunt, ita Nos heic dolendo desiderandoque commemoramus. Paucis post diebus eiusdem

(1) Cfr. *II Cor.*, I, 3.

ritus Antistites eo consilio Berytum coiverunt, ut legitimam Synodum celebrantes novum in locum demortui Patriarcham sufficerent. Ac revera, die tricesima mensis novembris, miranda prorsus animorum consensione, Patriarcham dixerunt Venerabilem Fratrem Franciscum Agagianian, Episcopum titulo Comanensem in Armenia, qui sibi Gregorio Petro nomen imposuit. Ac subinde, Episcopi, qui ad suffragia ferenda convenerant, communes ad Nos dederunt litteras, quibus, re exposita, rogabant ut ab se peractam electionem ratam confirmatamque haberemus.

Id ipsum delectus Patriarcha, per epistulam officii plenam, addita catholicae fidei professione, demisse imploravit.

Nos vero, ut moris est, totius cognitionem negotii Venerabilibus Fratribus Nostris demandavimus S. R. E. Cardinalibus e sacro Consilio Ecclesiae Orientali praeposito; qui quidem, re mature perpensa, Episcoporum illorum precibus concedendum esse autumarunt. Etenim de dignissimo Praesule agitur, qui, quamvis provectam aetatem nondum attigerit, prudentia tamen rerumque usu ita praestat, ut omnium sibi benevolentiam aestimationemque conciliaverit. Ac praeterea, cum lectissimis animi ornamentis niteat, spem bonam facit fore ut quae, superioribus annis, in iuventute praesertim instituenda, egregia sibi comparavit promerita, eadem hoc in latiore campo etiam atque etiam adaugeat. Libenter igitur eum in Patriarcham Ciliciae Armenorum confirmare, eumdemque sacro Pallio, de beati Petri sepulchro sumpto, decorare decernimus.

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, confirmamus ratamque habemus electionem seu postulationem a Venerabilibus Fratribus Episcopis Ecclesiae Armenorum factam de persona Venerabilis Fratris Francisci Agagianian; eumque ab Episcopatu titulo Comanensi in Armenia ad patriarchalem Ciliciae Ecclesiam Armenorum evehimus ac promovemus, atque eiusdem Ecclesiae Patriarcham declaramus

ac renuntiamus, prout in decreto et schedulis Consistorialibus exprimetur; contrariis non obstantibus quibuslibet.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

IV - CREATIO ET PUBLICATIO PATRUM CARDINALIUM

Iam nihil aliud superest, nisi ut amplissimum Collegium vestrum suppleamus, lectissimis viris quinque sacrae purpurae honorem deferendo, qui vel insignes sibi creditas dioeceses apostolico studio virtutisque laudibus honestarunt, vel suam Apostolicae huic Sedi alacrem navantes operam, eidem ac Nobis optime se probarunt.

Ii sunt:

Adeodatus Ioannes Piazza, Venetiarum Patriarcha;

Hermenegildus Pellegrinetti, Archiepiscopus titulo Adanensis et Apostolicus in Jugoslavia Nuntius;

Arthurus Hinsley, Archiepiscopus Westmonasteriensis;

Iosephus Pizzardo, Archiepiscopus titulo Nicaenus, et a secretis Sacrae Congregationis ecclesiasticis expediendis negotiis extraordinariis;

Petrus Gerlier, Archiepiscopus Lugdunensis.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, creamus et renuntiamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

Adeodatum Ioannem Piazza,
Hermenegildum Pellegrinetti,
Arthurum Hinsley,
Iosephum Pizzardo,
Petrum Gerlier,

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

V - OPTIO ECCLESIAE

Tum Rev.mus Cardinalis Eugenius Tisserant, Diaconus Ss. Viti, Modesti e Crescentiae, optavit ad Ordinem Presbyterorum. Quam optionem Beatissimus Pater benigno favore excepit elevans Diaconiam Ss. Viti, Modesti et Crescentiae, pro hac vice, in Titulum Presbyteralem.

Exinde SS. D. processit ad viduatis Ecclesiis consulendum; provisiones infra inveniuntur, inter Acta Summatim Relata; hic occurunt sub VI.

Insuper alios per Apostolicas sub plumbo litteras iam renunciatos sacrorum Antistites publicavit.

Praeterea Beatissimus Pater confirmasse se dixit ac ratam habuisse electionem, canonice factam in Synodo Episcoporum Syrorum, Exc.mi P. D. Ephraem Hykary ad Ecclesiam titularem archiepiscopalem Amastrianam.

Demum ratam se habuisse dixit translationem canonice factam in Synodo Episcoporum Maronitarum Exc.mi P. D. Eliae Richa, ab Ecclesia titulari Nazarena ad sedem archiepiscopalem Heliopolitanam Maronitarum.

VII - POSTULATIO PALLII

Provisione Ecclesiarum peracta, Patriarcha Ecclesiae Ciliciae Armenorum, qui iam fidei professionem et iuramentum de more praestiterat, accedens, Pallium instanter, instantius, instantissime postulavit simulque gratias Summo Pontifici egit pro concessa suae electionis confirmatione. Cui Beatissimus Pater benigne respondit.

2 - SS. D. N. Pius Pp. XI
Sacra Consistoria habita die 16 dec. 1937

(AAS XXIX (23 dec. 1937) p. 469 ss.)

I

CONSISTORIUM PUBLICUM

Feria V, die XVI decembris anno MCMXXXVII in aula supra porticum Basilicae Vaticanae Consistorium publicum fuit, in quo Sanctissimus D. N. Pius Pp. XI sollemniter imposuit Galerum rubrum Pontificale E.mis ac Rev.mis DD. Cardinalibus:

Adeodato Ioanni Piazza,
Hermenegildo Pellegrinetti,
Arthuro Hinsley,
Iosepho Pizzardo,
Petro Gerlier.

Interim per Advocatum Sacri Consistorii, Christophorum Astorri, peroratio fiebat Causae Servi Dei Fr. Ioannis Baptistae a sancto Michaele Archangelo, Sacerdotis professi e Congregatione Clericorum excalceatorum SS.mae Crucis et Passionis D. N. Iesu Christi.

II

CONSISTORIUM SECRETUM

Publico peracto Consistorio, habitum est in consueta aula Palatii Apostolici Vaticani Consistorium secretum, in quo postquam Beatissimus Pater os supradictis novis

Cardinalibus, ut de more, clausi essent, sequentes proposuit Ecclesias:

I - PROVISIO ECCLESIARUM

Provisiones huc spectantes inveniuntur infra, inter Acta Summatim relata.

II - ORIS APERITIO ET TITULORUM ASSIGNATIO

Post haec Beatissimus Pater os aperuit novemalibus Cardinalibus, ut in Consistoriis, Congregationibus, aliisve functionibus cardinalitiis suas valeant proferre sententias, singulisque, anulos tradens, assignavit:

ADEODATO IOANNI PIAZZA, *Titulum Sanctae Priscae*,

HERMENEGILDO PELLEGRINETTI, *Titulum Sancti Laurentii in Panisperna;*

ARTHURO HINSLEY, *Titulum Sanctae Susannae;*

IOSEPHO PIZZARDO, *Titulum Sanctae Mariae in Via Lata*, diaconiam, pro hac vice, in titulum evectam;

PETRO GERLIER, *Titulum Sanctae Trinitatis in Monte Pincio.*

III - POSTULATIO PALLIORUM

Deinde personaliter inditi pro Pallio E.mus P. D. Cardinalis Gerlier pro Metropolitana Ecclesia Lugdunensi, E.mus P. D. Cardinalis Canali, nomine E.mi P. D. Cardinalis Segura y Saenz, postulavit S. Pallium pro Ecclesia Metropolitana Hispalensi.

Item Antistes datus archiepiscopali Ecclesiae Belgradensi personaliter Pallium postulavit. Per Procuratorem vero postulatio facta est pro Ecclesiis Metropolitanis *Angelorum* (per elevationem sedis), *Rothomagensi*, *Senonensi*, *Fagarasiensi* et *Albae Iuliensis*, *Risaldina Manizalensi* (noviter erecta), *Chamberiensi*, *Halifaxiensi*, *Mexicana*, *Dehliensi* et *Simlensi*, *Detroitensi*, *Medellensi* (per succes-

sionem), *Bombayensi, Agraensi* (per successionem), *Compsana, Tokiensi, Zagrabiensi* (per successionem), *Novarcensi* (per elevationem sedis), *Ludovicopolitana* (per elevationem sedis); item pro archiepiscopali Ecclesia *Hobartensi* et pro episcopali *Massiliensi* (ex privilegio).

3 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

LIBRORUM PROSCRIPTIONES

I

Decretum 25 nov. 1937

DAMNATUR LIBER, CUI TITULUS « DIE NATÜRLICHE GEISTLEHRE » AUCTORE E. BERGMANN

(*AAS* XXIX [23 dec. 1937] p. 471)

Feria IV, die 17 novembris 1937

In generali consessu Supremae S. Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum, qui inscribitur:

ERNST BERGMANN, *Die natürliche Geistlehre.*

Et sequenti Feria VI, die 19 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Papa XI, in solita audientia Exc.mo Domino Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 25 novembris 1937.

I. VENTURI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

II

Decretum 3 dec. 1937

TRES DAMNANTUR LIBRI A PETRO MARTINETTI CONSCRIPTI

(*AAS* XXIX [23 dec. 1937] p. 471 s.)

Feria IV, die 1 decembris 1937

In generali consessu Supremae S. Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in indicem librorum prohibitorum inserendos mandarunt tres libros a PETRO MARTINETTI conscriptos, quibus tituli:

Ragione e Fede; Gesù Cristo e il Cristianesimo; Il Vangelo con introduzione e note.

Et sequenti Feria v, die 2 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Papa XI, in solita audientia Exc.mo Domino Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 3 decembris 1937.

I. VENTURI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

4 - Sacra Congregatio de Sacramentis
Rescriptum 24 aprilis 1936

DE FORMA EXTRAORDINARIA MATRIMONII

(*Revue ecclésiastique de Metz* XLII (1935) 184 s.) (1)

Ad dubium propositum ab Episcopo Meten. pro opportuna solutione: « An, scilicet, ratione habita responsi dati

(1) cf. *Collectanea Mechliniensia* XXVII (1938) 69.

a Pontificia Commissione ad Codicis Canones authentice interpretandos diei 25 iulii 1931 relate ad Can. 1098, ad hunc Canonem referendus sit casus, quo Parochus vel Ordinarius celebrationi matrimonii religiosi assistere nequit, quia lege civili prohibetur, etiam sub poena, matrimonium coram Ecclesia celebrare, nisi praecesserit matrimonium sic dictum civile, et hoc ab auctoritate civili omnino recusatur, v. g. ob defectum instrumentorum quae lex civilis requirit:

Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum rescribendum censet: « Affirmative ». — Datum Romae, ex aedibus eiusdem S. C. die 24 aprilis 1935.

5 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide Instructio 9 mart. 1937

DE COORDINATIONE PIAE UNIONIS CLERI PRO MISSIONIBUS CUM OPERIBUS MISSIONALIBUS

(*AAS* XXIX [23 dec. 1937] p. 476 s.)

Ut universa cooperationis missionalis actio magis magisque perficiatur ac roboretur, Comitatibus seu Consiliiis, de quibus in Motu proprio *Decessor Noster*, Pia Unio Cleri pro Missionibus, debita a Summo Pontifice Pio XI obtenta potestate, accedit.

Comitatus Nationales Pontificalium Operum Missionalium, necnon Summum Consilium (seu Comitatus supremus), Motu Proprio *Decessor Noster* instituta, ita perficiuntur:

A - *De Comitatibus Nationalibus cooperationis missionalis*

1 - In diversis nationibus Comitatus Nationalis constabit Directoribus et Secretariis Nationalibus Piae Unionis Cleri et Pontificalium Operum pro Missionibus, quae sunt

in natione, singulisque Consiliariis singulorum Operum et Unionis Cleri, a Consilio Nationali respectivo electis.

2 - Comitatus Praeses, qui ab ipso Comitatu eligetur inter Directores Nationales Piae Unionis Cleri et Pontificalium Operum, tres annos in munere manebit iterumque eligi poterit.

3 - Comitatus, Praeside convocante, semel saltem in anno conveniet et quoties Praeses opportunum iudicaverit. Idem suffragiorum maiori parte absoluta decernet.

4 - Comitatus erit in unaquaque natione ea curare quae ad commune bonum pertinent Unionis Cleri et Operum Missionalium, intra nationis limites exsistentium; itemque difficultates, quae fortasse occurrerint, dirimere.

B - *De Comitatu supremo cooperationis missionalis*

5 - Summum Consilium (seu Comitatus supremus) Pontificiis Missionalibus Operibus et Unioni Cleri regundis constabit Praeside Operum Pontificalium pro Missionibus et Consilii internationalis Unionis Cleri, Secretariis generalibus ipsorum Operum et Piae Unionis Cleri, unoque consiliario singulorum Operum et Piae Unionis Cleri a Consiliis electis.

6 - Comitatui huiusmodi Praeses Pontificalium Operum Missionalium et Unionis Cleri praeest.

7 - Comitatus huius erit omnia providere ut Unio Cleri et Opera Missionalia ordinatim fructuoseque propriam actionem explicare valeant, atque difficultates, si quae obortae fuerint, componere.

8 - Quae in hoc Comitatu decernuntur, ad E.mum Cardinalem S. C. de Propaganda Fide Praefectum recognoscenda atque confirmanda deferuntur.

9 - Comitatus Supremus secundo quoque mense ordinarie convocabitur et extra ordinem quoties Praeses opportunum iudicaverit.

De commentario generali

10 - Commentarium generale, quod, ad mentem Motu Proprio supra citati, commune est Pont. Operibus a Propagatione Fidei et a S. Petro Apostolo, erit et pro Secretariatu Internationali P. U. C. pro Missionibus.

Praesentem Instructionem in Audientia diei 9 martii an. 1937, Ss.mus D. N. Pius, divina Providentia Papa XI, audita relatione infrascripti Secretarii S. Congregationis de Propaganda Fide, ratam habere et adprobare dignatus est.

† C. Costantini, Archiep. tit. Theodosien., *Secretarius.*

Annotationes

Vide infra, p. 91-95.

6 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide Decretum 14 april. 1937

STATUTA GENERALIA PIAE UNIONIS CLERI PRO MISSIONIBUS, REVISA AC RECOGNITA, APPROBANTUR

(*AAS* XXIX [5 nov. 1937] p. 435 ss.)

Piae Unionis Cleri pro Missionibus Statuta Generalia, huius S. C. de Propaganda Fide auctoritate a. D. 1926 promulgata, attentis Unionis incrementis, ab Eminentissimis Patribus huius S. Congregationis, in Plenariis Comitiis die 8 martii p. e. habitis, opportune revisa ac recognita fuerunt, prout in textu huic Decreto adnexo facile patet.

Eminentissimorum vero Patrum sententiam Ss.mus D. N. Pius Div. Prov. Papa XI, in Audientia diei 9 martii, Sibi ab infrascripto huius S. C. Secretario relatam, omnino probavit et textum Statutorum hic adnexum ratum habuit, praesens Decretum ad rem edi iubens.

Datum Romae, ex Aedibus eiusdem S. C. de Propaganda Fide, die 14 aprilis, in Solemnitate S. Ioseph, a. D. 1937.

P. Card. Fumasoni Biondi, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† C. Costantini, *Archiep. tit. Theodos., Secretarius.*

STATUTA GENERALIA

PIAE UNIONIS CLERI PRO MISSIONIBUS

I — *De natura et fine*

1 - Pia Unio Cleri pro Missionibus est Consociatio sacerdotum ad sacras Ecclesiae missiones adiuvandas instituta, prout num. 4 declaratur.

Eadem, a S. Sede probata et favoribus aucta, a S. Congregatione de Propaganda Fide omnino dependet.

2 - Beatissimam Virginem Mariam, Apostolorum missionumque Reginam, patronam veneratur ac sub eius singulari patrocinio finem sibi propositum prosequitur.

3 - Pia Unio ad normam canonis 708 Cod. iur. can. in singulis dioecesibus erigenda est.

4 - Haec Pia Unio sibi proponit animos sacerdotum gentium conversionis amore accendere, ut per ipsos universus populus christianus studio erga missiones catholicas inflammetur et ita Ecclesia universa concurrat ad regnum Christi per orbem dilatandum.

Insuper studet ut acatholicorum omnium ad unitatem Ecclesiae reditus foveatur, cum unio omnium christianorum conditio sit magni momenti ad ethnicorum conversionem obtinendam.

5 - Unio Cleri pro Missionibus non est novum quoddam Opus missionale ad fidelium oblationes colligendas institutum neque pro fine habet aliorum Operum missionalium gubernationem sibi assumere, licet operam impen-

dat ad fidelium animos disponendos ita ut omnibus Operibus missionalibus pro viribus succurrant.

6 - Piae Unionis Sodales finem sibi propositum hisce praecipue mediis assequi student:

a - fervidis ad Deum O. M. precibus pro felici sacrarum missionum exitu propriaeque in favorem missionum operae successu;

b - cognitione missionum earumque indigentiarum, laborum apostolicorum, qui in variis mundi plagis a Missionariis exercentur, felicis vel minus laeti eorum exitus, itemque omnium earum rerum quae ad regnum Dei imprimis inter paganos dilatandum referuntur;

c - collationibus congressibusque sodalium, quibus hi mutuo se illuminent circa missionum indigentias atque ad eis subveniendum inter se exhortentur;

d - fovendo in familiis christianis vocationes missionales, sive ad sacerdotium sive ad munus adiutoris aut adiutricis Missionariorum;

e - monendo christifideles qua sacris concionibus, qua publicis conferentiis, ut vocant, qua privatis colloquiis et adhortationibus, qua scriptis in vulgus editis, aliisque opportunis mediis, de magno opere evangelicae praedicationis inter infideles, et de variis modis, quibus catholicarum missionum necessitatibus succurri possit;

f - offerendo libenter adiutricem operam iis qui Operibus missionalibus praepositi sunt;

g - naviter operam dando ut omnibus innotescant et ubique promoveantur Opera missionalia, imprimis ea quae a Sede Apostolica tamquam sua agnita sunt et Motu Proprio *Romanorum Pontificum*, die 3 maii 1922 dato, prae caeteris commendata fuerunt. Ea sunt, ante omnia, Opus a Propagatione Fidei, Opera auxiliaria a Sancta Infantia, a Sancto Petro Apostolo pro institutione Cleri indigenae, et Collecta annua in festo Epiphaniae pro redemptione captivorum, seu pro missionibus Africanis; neque omittendae sunt peculiares collectae pro certis regionibus vel

missionibus aut pro peculiaribus necessitatibus in locis (1) missionum forte occurrentibus;

h - curando ut celebrentur festa, ut dicunt, missionalia, conventus seu congressus, aliaque id genus, quibus christifidelium studium erga missiones magnopere accendatur et increscat;

i - promovendo, actione sive privata sive communi, attentis locorum adiunctis, et prout zelus illuminatus suggesserit, ea omnia quae dissidentes fratres ad unitatem fidei facilius allicere queant.

II — *De Sodalibus*

7 - Piae Unioni Cleri pro Missionibus adscribi possunt omnes sacerdotes cum saeculares tum regulares, necnon clerici qui sacrae theologiae studiis incumbunt.

8 - Adscriptio fit sive a Consilio dioecesano, sive a Consilio nationali, sive, his deficientibus, a Secretariatu Internationali Romae constituto.

9 - Ipsa adscriptione suscipiuntur onera Piae Unionis propria, et acquiritur ius ad indulgentias lucrandas et ad favoribus privilegiisque fruendum, quae a Sancta Sede Piae Unioni concessa sunt. Sciant tamen sodales non sufficere nomen dare Piae Unioni, sed naviter et fideliter exsequenda esse ea officia, quae nomen dantes susceperunt, si gratiis Piae Unioni ab Ecclesia concessis vere frui desiderent (2).

10 - Sodales ordinarii vocantur, qui, praeter caetera Piae Unionis officia praestita, statutam a Consilio nationali stipem quotannis solvunt.

11 - Sodales perpetui, qui, praeter fidelem officiorum observantiam, contributum maius ad hoc a Consilio nationali statutum semel exsolvunt.

---

(1) In *AAS* legitur *loci*, errore, ut videtur typographico.

(2) De hac condicione postea, in peculiari Dissertatione, infra p. 91 annunciata.

12 - Sodales honoris causa sunt Exc.mi Episcopi, nec non S. R. E. Cardinales, qui Piae Unioni adhaeserunt.

13 - Omnes sacerdotes qui actu in missionibus degunt vel valetudinis, senectutis aut oboedientiae causa eas relinquere coacti sunt, omnibus privilegiis et gratiis Piae Unioni concessis gaudent.

III — *De Regimine*

A - DE SECRETARIATU INTERNATIONALI EIUSQUE CONSILIO

14 - Quo unio Cleri pro Missionibus in omnibus nationibus facilius instituatur eiusque actio efficacius ordinetur et regatur, Romae constitutus est Unionis Secretariatus Internationalis a S. Congregatione de Propaganda Fide immediate dependens (1). Hic Internationalis Secretariatus a Consilio Internationali dirigitur.

15 - Consilii Internationalis membra sunt:

a - Secretarius pro tempore S. Congregationis de Propaganda Fide, qui est Consilii Praeses;

b - Directores Nationales Unionis Cleri pro Missionibus et Secretarii Generales Unionis Cleri et Pontificalium Operum Missionalium, durante suo munere, necnon viri illi ex variis nationibus Romae domicilium habentes, quos propter peculiarem rerum missionalium peritiam Sacra Congregatio de Propaganda Fide adlegerit. Isti ad quinquennium nominantur et iterum eligi possunt.

16 - Secretarius Generalis, a S. Congregatione de Propaganda Fide, ad eius beneplacitum nominatur et, durante munere, membrum est etiam Supremi Comitatus Cooperationis Missionalis (2), necnon Consiliorum Superiorum Pontificalium Operum Missionalium.

17 - Singulis quinquenniis, Consilium Internationale Unionis convocabitur. At ubi res ferat, membra Consilii,

(1) Sedes: Via di Propaganda, 1-a, Roma (Italia).
(2) Cf. *Instructio* et Annotationes in eandem, II.

Romae residentia, a Praeside convocari, cum voto deliberativo, poterunt.

18 - Secretariatus Internationalis Consilii ductu erit:

a - Unionem Cleri in nationibus ac dioecesibus per Exc.mos Episcopos instituendam curare, atque institutae actionem excitare ac promovere;

b - normas edere iuxta quas Unionis propagatio proficue, concorditer et actuose ubique explicetur; Unionis finem et naturam evulgare ita ut eius statuta ibique uniformiter intelligantur et observentur;

c - aptis mediis inter varias Uniones Nationales mutua vincula statuere, quibus singulae opportune fulciantur;

d - apud omnes Uniones Nationales spiritum supernaturalem alere et Ecclesiae mentem de christifidelium cooperatione missionali omnibus studiosissime referre;

e - relationes atque rationes annuas a Consiliorum Nationalium moderatoribus exigere et statisticas conficere;

f - Unionis Conventus Internationales convocare;

g - examinare et approbare leges (*réglements*) uniuscuiusque nationis proprias a singulis Consiliis Nationalibus latas ad normam horum Statutorum Generalium.

B - DE CONSILIO NATIONALI

19 - In unaquaque natione Piae Unioni proxime praeest Consilium Nationale, constans Praeside, Directore Nationali Unionis, Directoribus nationalibus Operum Pontificalium, et nonnullis Consiliariis, quorum alii e Directoribus dioecesanis, alii ex viris de re missionali benemeritis assumuntur.

20 - Praeses Consilii Nationalis, a S. Congregatione de Propaganda Fide nominatur inter Episcopos Nationis qui Unioni magis favent.

21 - Consiliarii eliguntur a Praeside, collatis consiliis cum Ordinariis locorum, si de sacerdotibus saecularibus, et cum Moderatoribus Regularium, si de Religiosis agitur.

22 - Consiliarii per tres annos in officio manent et iterum eligi possunt.

23 - E Consiliariis unus officium Secretarii alius Arcarii munus obibit; munera vero ab utroque praestanda, praeterquam ab officii natura, a Praeside statuuntur.

24 - Consilii Nationalis est omni studio Piam Unionem in natione promovere, stipem statuere a sodalibus ordinariis aut perpetuis solvendam, examinare atque recognoscere rationes accepti et expensi a Consiliis dioecesanis, haec adiuvare ubi opus est, congressus Piae Unionis totius nationis indicere et alia huiusmodi.

25 - Quotannis Consilium Nationale semel saltem convenit, convocante Praeside.

26 - Sedes Consilii Nationalis a Praeside statuitur.

27 - Huius Consilii est nominare Directorem, cui omnia demandantur promovenda et regenda, quae Unionis actionem et progressus in natione respiciunt, iuxta normas a Consilio probatas.

28 - Director Nationalis praesertim curabit Unionem, tum verbo tum scriptis, apud sacerdotes et clericos in Seminariis propagandam; Commentarium Officiale Unionis Cleri pro sua ditione edendum.

C - DE CONSILIO DIOECESANO

29 - Piae Unioni Cleri pro Missionibus in singulis dioecesibus praeponitur Consilium dioecesanum, constans Directore seu Moderatore et Consiliariis, quorum unus Secretarii, alius Arcarii munere fungitur.

30 - Tum Director tum Consiliarii ab Ordinario loci nominantur et ad illius nutum in munere permanent.

31 - Consilii Dioecesani est Piam Unionem in dioecesi promovere, curare ut omnes sacerdotes illi nomen dent, si praecipue ut omnes adscripti, studio erga missiones incensi, sanctum Consociationis finem actuose prosequantur,

32 - Consilium dioecesanum bis in anno congreditur, et praeterea quoties Director illud convocare opportunum duxerit.

33 - Moderatoris dioecesani est, ineunte quoque anno, facta prius dioecesano Consilio relatione, transmittere ad Consilium Nationale accepti et expensi nec non rerum actarum rationem adprobandam una cum indice novorum adscriptorum.

34 - Secretarius omnium actorum instrumenta conficiet tum conventus Consilii tum congressuum dioecesanorum, tum etiam rerum notabilium ad Piam Unionem in dioecesi pertinentium.

35 - Arcarii, qui a Directore in omnibus dependet, est colligere contributa a singulis membris solvenda, et pecunias fideliter administrare et de iis quotannis Consilio dioecesano rationem reddere.

36 - Sedes Consilii dioecesani a Moderatore seu Directore, de consensu Ordinarii, statuitur.

IV — *De Congressibus*

37 - Congressus Unionis Cleri ex omnibus Nationibus convocabuntur tempore et loco a Consilio Internationali statutis.

38 - Congressus Nationalis omnium adscriptorum Piae Unioni Cleri pro Missionibus semel saltem singulis quinquenniis locum habebit, nunc hic nunc illic in locis nationis praecipuis ad (1) arbitrium Praesidis.

39 - Si forte, ob rationes peculiares extra ordinem censeatur convocandus congressus, Praeses, adprobante Consilio Nationali, Directores dioecesanos convocabit, eorumque deliberationi rem proponet.

40 - In Congressibus ordinariis Director de iis refert quae ab ultimo Congressu memoratu digna acciderint.

---

(1) In *AAS* legitur *ab*, errore, ut videtur typographico.

41 - Pariter Director rationem reddit de statu oeconomico Piae Unionis in natione.

42 - Congressus Nationalis deliberabit de Piae Unionis statu, de mediis idoneis quibus adscriptorum amor et studium erga missiones foveatur et de aliis negotiis ab ipso tractandis admissis; de postulationibus a Moderatoribus Operum missionalium oblatis et de ceteris huiusmodi. Absque explicito Consilii Nationalis consensu non licebit disserere in conventibus de rebus indice praestituto non comprehensis.

43 - Congressus dioecesanus semel saltem singulis biennis celebrabitur; extra ordinem a Directore, audito Consilio et adprobante Ordinario, convocari poterit.

44 - Congressus dioecesanus similibus regitur praescriptionibus ac Congressus nationalis.

Annotationes

Primo loco Lectori offerimus rationem historicam piae Unionis Cleri, eximia benevolentia nobis ab Exc.mo Domino Johanne O. Smit, *ep. par., S. Congregationis de Propaganda Fide Consultore, paratam; quo, cum ipse in promovendis Cleri Associationibus missionalibus non exiguas habuerit partes, commentatorem magis competentem non facile invenies. Ei libenter gratum significamus nostrum animum.*

I

CONSPECTUS HISTORICUS

Ian. ab ipso saeculi vigesimi initio vix dubium esse poterat quin illud per excellentiam saeculum missionum futurum esset; novum namque operis missionarii incrementum omnes sibi exspectandum esse sentiebant non paucis neque ambiguis ad id moti rationibus,

Generalis condicio Missionum saeculo XX

Nonne in recentioribus expeditionibus ad novas Orbis terrarum partes indagandas susceptis, repertae erant terrae hactenus incognitae, praesertim in Africa et Asia, quarum incolis quoque salus Christi praedicanda erat sicut ceteris? Geographice nunc totus terrarum orbis apertus erat beneficae actioni Ecclesiae Christi. — Per artis technicae evolutionem communicationes inter patriam et terram missionum securiores factae erant et celeriores, ita ut missionarii ope inventionum modernarum (rei vehiculae, praesertim aëreae, telegraphi, radiophonii) contactum continuum habere possent cum iis, qui eos ad campum missionis emiserant. — Incrementum auctoritatis et politica colonialis nationum Europaearum ubique terrarum aliquam saltem humanitatem et quendam vitae cultum attulerant, quo opera missionariorum facilior reddebatur ipsique missionarii non paululum in labore educationis et conversionis ethnicorum sustentabantur. — Psychice quoque populi gentiles non pauci eam maturitatem adepti erant, qua humanitatem et culturam Europaeam suscipere vellent et civitates excultiores constituerent. Nonne Ecclesiae grave incumbebat onus curandi, ut nova illa cultura fieret christiano-catholica, non vero moderno-pagana? Ex alia parte diversae societates protestantium, non parvo successu, sese expandere nitebantur etiam in terris missionum, ita ut diversis in locis haeretici, schismatici et islamitae adaucto zelo successum catholicorum superare conarentur.

Renovatum studium Missionum

Mirandum igitur non est, quod Summi Pontifices saepesaepius fideles excitaverunt ad ardentiorem ostendendum fervorem pro missionibus et ad maiorem comprobandam cooperationem tum oratione tum eleemosynis tum

opera personali; opportuna enim erat occasio et tempus videbatur acceptabile ad Christi fidem convertendi milies decies centena milia hominum, qui paganismo adhuc adhaerebant. Iam 3 dec. 1880 Leo Pp. XIII missionalem Encyclicam *Sancta Dei Civitas* evulgavit (1) et pluries Ipse Eiusque Successores studio fidelium enixe cooperationem missionalem commendarunt, praesertim ut generose fulcirent Operam Propagationis fidei et S. Infantiae (2). — Praeter has operas generales ad omnibus Ecclesiae missionibus subveniendum institutas, decursu temporis fundatae erant non paucae societates particulares, primum ad subveniendum missionibus, quae nonnullis Ordinibus et Congregationibus concreditae erant, dein ad excitandam in iuvenibus, foeminis, studiosis, sacerdotibus cognitionem maiorem et amorem ardentiorem operis missionarii, quibus stimularentur ad practicam aliquam cooperationem et validum adiumentum. Pro membris istarum societatum nonnullae condebantur editiones periodicae (3), quae dignum, imo dignissimum locum obtinebant inter Annales missionales et *Les Missions Catholiques* vel alias id genus publicationes in Italia, Germania, Hollandia, Polonia, Hispania, Hunga-

(1) Legitur in encyclica *Sancta Dei Civitas*: « Interim aditu ad alias plagas patefacto quae videbantur imperviae, crescente locorum et gentium notitia, aliae atque aliae quaesitae sunt expeditiones militum Christi, novaeque stationes constitutae: ideoque plures desiderantur, qui se iis missionibus devoveant ». Item: « Vos igitur, Venerabiles Fratres, in partem sollicitudinis Nostrae vocatos etiam atque etiam hortamur, ut concordibus animis apostolicas missiones sedulo vehementerque adiuvare Nobiscum studeatis, fiducia in Deum erecti et nulla difficultate deterriti. Salus agitur animarum, cuius rei causa Redemptor noster animam suam posuit, et Nos Episcopos et sacerdotes dedit in opus sanctorum in consummationem corporis sui. Quare retenta licet ea statione gregisque custodia quam cuique Deus commisit, summa ope nitamur, ut sacris missionibus ea praesidia suppetant quae a primordiis Ecclesiae in usu fuisse commemoravimus, scilicet Evangelii praeconium et piorum hominum cum preces tum eleemosynae »; 3 dec. 1880: *ASS* XIII (1880) p. 241 s. Confer etiam Epistolam encycl. *Christi nomen* diei 24 dec. 1894: *ASS* XXVII (1894-5) p. 385 ss.

(2) Pius Pp. X die 25 martii 1904; Benedictus Pp. XV mense ianuario 1916 scribens Consilio Centrali Lugdunensi et Parisiensi

(3) Ex. gr. *Akademische Missionsblätter* inde ab anno 1913 pro membris Unionis Missionalis academicae (*Akademische Missionsverein*), quae anno 1910 erecta est in civitate Monasteriensi.

ria, America etc. Variis in locis celebrabantur festa missionaria, mox expositiones quoque ordinabantur missionales. In catholicorum conventibus localibus, dioecesanis et regionalibus idea missionaria ab oratoribus dilucide exponebatur et cooperatio sacerdotibus et laicis vehementer commendabatur uti viva expressio verae vitae catholicae (1). Immo exemplo protestantium permoti catholici coeperunt excolere ea quae ad missiones pertinent uti disciplinam scientificam specialem, et postquam inde a semestri hiemali 1909-1910 Dr. Ios. Schmidlin coepit habere praelectiones de re missionaria in Universitate Monasteriensi, mense decembri anni 1914 gubernium eum nominavit Professorem ordinarium scientiae missionalis (2), qui ab anno 1911 evulgare coepit scientifica periodica missiolo-

(1) Ex. gr. occasione Conventus Catholicorum Breslaviae 1909, Augustae 1910, Majonzae 1911, Aquisgranae 1912, cuius Directori Pius Pp. x die 12 iulii 1912 scripsit: « Sacrarum expeditionum ad exteros est opus, quod pluribus apud bonos commendari non debeat; quisquis intelligit quanti sit verae fidei lumine illustrari, si quem christianae caritatis igniculum sentit, profecto tot miseris fratribus, qui in tenebris iacent et in umbra mortis, pro facultate succurret » *AAS* IV (1912) p. 664.

(2) *Zeitschrift für Missionswissenschaft* I (1911) p. 84. Vestigia Universitatis Monasteriensis brevi post in Germania Universitates Monacensis et Herbipolensis presserunt. In Hollandia Cathedra Missionologiae (Noviomagi) erecta est anno 1930, in Canada (Ottawae) 1931, in Austria (Viennae) 1933.

In Italia inde iam ab anno 1919 in Pontificio Athenaeo Urbaniano erecta Cathedra Scientiae Missionum, quae anno 1933, in concentu cum praescriptionibus Constitutionis *Deus Scientiarum Dominus* commutata et evecta est ad *Institutum Missionale Scientificum*, quod duas habet partes, Facultatem nempe Missionologiae et Institutum Linguarum, et potestatem assecutum est conferendi gradus academicos. — Decretum erectionis est diei 1 sept. 1933 (*AAS* XXV [2 oct. 1933] p. 445; *Periodica* XXII (1933) p. 190). Iam anno praecedenti apud Pont. Universitatem Gregorianam (ubi anno academico 1928-1929 inaugurata erat cathedra missiologica: cf. *Pont. Un. Greg. Liber Annualis seu rerum et personarum designatio*, Romae 1929, p. 55 et 119) Facultas Missiologica canonice erat erecta, decreto scilicet 6 aug. 1932 (*Periodica* XXV (1936) p. 3) pariter cum iure conferendi gradus academicos. — Ut iam observatum est anno 1935 a P. M. D'Elia, S. I. in *La Civiltà Cattolica* (LXXXVI, vol. II, p. 287, nota 1); immo inde ab anno 1932 erui poterat ex *Zeitschrift für Missionswissenschaft* (tom. XXII, p. 355; tom. XXIV, p. 360) et, inde ab anno 1936, ex nostris *Periodicis* (XXV, p. 1 ss): modus quo origo harum Facultatum enarratur in *Guida delle Missioni Cattoliche*, Roma 1935, p. 574 (« Contemporaneamente ») ambiguus est; inde optandum ut historiographi scientiae missiologicae exactam narrationem in sua opera recipiant; cf. v. g. Alph. Mulders, *Inleiding tot de Missiewetenschap*, 's Hertogenbosch 1937, p. 25-26.

gica (1). Publicationes de re missionaria ceteroquin in omne genus periodicis divulgabantur (2) et libri edebantur non pauci, in quibus utilitas, immo necessitas renovati hisce diebus fervoris missionarii multis et validis argumentis proponebatur (3) vel etiam in iuvenibus generosis et aptis vocatio ad vitam missionariam excolebatur (4). Hoc modo in omnibus Europae regionibus et in omnibus civium classibus amor missionum vehementer excrevit.

Periodus magni belli

Modo autem speciali studium pro opera missionariorum excitatum est inde ab anno 1914. quum tempore belli multi missionarii, in pleno corporis robore et in plena vitae activitate, a campo operationis, ut patriae servirent, revocabantur, novi sodales propter penuriam sacerdotum et itineris difficultatem in regiones infidelium mitti nequibant et seminaria propter generalem omnium hominum masculini generis mobilizationem quasi totaliter exhauriebantur; subsidia quoque fidelium ad opus missionale sustentandum propter extremam penuriam in propria patria, immo in propria familia valde diminuebantur, immo quibusdam in locis ad nihilum redacta sunt. Eodem tempore autem expergefacta est catholicorum conscientia et variis elucubrationibus idea pervulgata est, cooperationem missionariam constituere obligationem gravem, quae omnes catholicos, prae-

(1) *Zeitschrift für Missionswissenschaft.*

(2) Ex. gr. J. L. Jansen *CSSR, Nederl. Kath. Stemmen* XIV (1914) 182-8; 212-8; prof. Dr. Gerard Brom, *Wereldapostolaat*, in *De Beiaard* (1917) p. 70 ss.

(3) L. E. Louvet, *Les Missions catholiques au* XIX *siècle* (Paris-Lyon 1894); Hermann Fischer, S. V. D., *Jesu letzter Wille* (Steil 1905, 1906², 1912³ etc.); *Weltmission Christi* (Hiltrup 1913); L. van Rijckevorsel, S. I., *Missie en Missieactie* (Nijmegen 1915); Ant. Huonder S. I., *Katholische und protestantische Missionsalmosen* (Freiburg Br. 1910); *Die Mission auf der Kansel und im Verein* I II III (Freiburg Br. 1912-4); Friedr. Schwager S. V. D., *Die katholischen Heidenmissionen im Schulunterricht* (Steyl 1912); R. Streit O. M. I., *Missionspredigten* I II III (Freiburg Br 1913. 4).

(4) Paolo Manna, Ap. Miss., *Operarii autem pauci* (Milano 1909).

sertim vero sacerdotes non leviter teneat; directe quidem solum Summum Pontificem, quippe Cui soli missio pro universo orbe terrarum uti Successori Apostolorum concredita est; indirecte vero et alios, ea de re, quia S. Pontifex hanc suam obligationem sufficienter explere nequit nisi adiumentum recipiat a christianis, qui una cum Ipso unam familiam constituunt, unum Corpus Christi Mysticum efficiunt, Ipsumque adiuvare tenentur in promovenda ubique et constituenda Ecclesiae catholicitate, praesertim tempore quo crises (ut bella) vel pericula (ut protestantismus et islamismus) saluti Ecclesiae perniciose minantur. Insuper fidelibus denuo inculcabatur obligatio gratitudinis pro immerita fidei gratia necnon obligatio caritatis erga innumeros istos paganos, qui christianam religionem et culturam hoc tempore desiderare videbantur. Admonebantur potissimum sacerdotes de speciali obligatione missiones inter paganos promovendi, non solum quia maiorem debebant ostendere gratitudinem erga Deum, qui eos dispensatores mysteriorum Dei constituerat, lumen mundi fecerat et sal terrae, et maiorem exercere caritatem erga proximum, quippe quum salutem animarum ex officio promovere debebant, sed etiam quia organa sunt principaliora Corporis Mystici: vocati, uti pastores animarum, ad augendam in aliis fidelibus vitam spiritualem, ergo etiam amorem missionalem; electi ad dirigendam quamcumque activitatem spiritualem laicorum sibi concreditorum, ergo etiam nascentem actionem missionariam.

Origo Consociationum Clericorum in Germania

Ut hac in re sacerdotibus directio et adiumentum praeberetur, tractari coeptum est de organizata actione missionaria inter sacerdotes. Et quidem eodem tempore diversis in locis.

Iam inde ab anno 1909 a Rev. p. Manna in fine operis sui *Operarii autem pauci* propositio facta est coniungendi

in singulis dioecesibus aliquos sacerdotes zelantes in consociatione quadam missionaria (1).

Primum vero actio ista missionaria organizata sacerdotum in Germania ad effectum adducta est, ubi praelucente et monente professore missionologiae Dr. Ios. SCHMIDLIN in Conferentia missionaria pro sacerdotibus die 7 maii 1912 Monasterii habita, deliberata est opportunitas erectionis cuiusdam *Unionis Missionariae pro clero dioecesano Monasteriensi* (*Missionsvereinigung des Münsterschen Diözesanklerus*), quae die 23 iunii eiusdem anni constituta est (2). Brevi post exemplum Monasteriense secutae sunt aliae dioeceses Germaniae, uti Trevirensis, Paderbornensis, Argentinensis; et in civitate Coloniae, habito ibidem diebus 5-7 sept. 1916 cursu scientifico missionali pro clero germanico, erectio unionis missionariae pro clero istius dioecesis ample tractata, et die 10 ian. 1917 in factum reducta est. Consiliis praeparatoriis pro erectione istius unionis in aliis dioecesibus (Rottenburgensi, Monacensi, Herbipolensi) iam initis, belli funestae sequelae et condicio inde exorta, quoad rem politicam, socialem, oeconomicam, constitutionem Unionis de facto ibidem impediverunt (3).

---

(1) Quae propositio in tertia editione operis « notevolmente accresciuta » p. 274 hisce verbis exponitur: Sarebbe ottima cosa instituire in ogni diocesi l'Unione Missionaria pro clero, associazione di zelanti sacerdoti, i quali si propongono di zelare le opere che tendono a favorire la diffusione del Vangelo tra gl'infedeli, e si offrono a dare schiarimenti ed incoraggiamenti per lo stabilimento delle sullodate opere nelle parrocchie; etc.; Milano 1923.

(2) *Die Missionskonferenz und Missionsvereinigung des Münsterschen Diözesanklerus* (Münster, Aschendorff 1912). Confer *Zeitschrift für Missionswissenschaft* II (1912) p. 239 et Dr. Ios. SCHMIDLIN, *Missionskonferenzen und Missionsvereinigungen des Klerus* (Referat auf dem Kölner Missionskursus 1916) in *Priester und Mission* (Düsseldorf 1917) p. 15-20.

(3) Postquam vero BENEDICTUS Pp. XV in litteris Encyclicis *Maximum illud* diei 30 nov. 1919 Unionem Cleri pro missionibus maxime commendaverat et S. Congregatio de Prop. Fide anno 1920 praesides in Germania Em.os Cardinales Archiepiscopos Coloniensem et Monacensem-Frisingensem nominaverat, gradatim annis 1921-1922 in omnibus dioecesibus Germaniae sectiones Unionis erectae sunt.

Quid in Hollandia gestum sit

Non vero in parva Hollandia. Ex ista generosa natione iam ab antiquo numerosi missionarii in omnes orbis terrarum partes profecti sunt, qui non paululum concivium favorem experti sunt et adiumentum. Sed ista regio inter belli terrores devastationesque quas non subierat, cum divina gratia numerosissimis ditata esset vocationibus ad vitam ecclesiasticam et religiosam (exortis ex optimis scholis catholicis et ex fideli observantia decretorum Pii Pp. x de frequenti S. Communione), sentiebat se multum, immo plus quam primum, conferre posse ac debere ad dilatandum Regnum Christi in terris missionum. Tempore belli Hollandia sibi conscia facta est divinae cuiusdam praeelectionis, praesentis suae vocationis ad generose succurrendum operam missionariam. Ita inde ab anno 1915 in Hollandia quoque oretenus et scriptim agebatur de actione quadam missionaria clero, imprimis saeculari, propria: ut per activitatem cleri, praesertim paroecialis, accresceret laicorum studium pro missionibus, augeretur subsidium pro missionibus tum personarum tum eleemosynarum, et ipsa actio missionalis ordinaretur et ordinata ab ipsis parochis eorumque coadiutoribus dirigeretur (1). Ad excitandum in sacerdotibus hunc spiritum missionarium eorumque actionem dirigendam, alii alia proposuerunt media: vel distinctos comitatus dioecesanos (van Rijckevorsel), vel Comitatus dioecesanos cooperantes in una confoederatione nationali (Hermus) vel denique nationalem quandam consociationem cum sectionibus in diversis dioecesibus (Smit) (2). — Habito in urbe Noviomago (Nijmegen) 23

(1) V. gr. L. van Rijckevorsel S. I., *Missieactie in Nederland* (Nijmegen 1916) p. 46; Dr. H. Ahaus, S. S. Jos., *Annuarium Unionis S. Petri Canisii* (1917) p. 117 ss.

(2) L. van Rijckevorsel S. I., *Missieactie in Nederland* (Nijmegen 1916); A. Hermus, *Organisatie en Centralisatie van de Missieactie in Nederland*, in *Ned. Kath. Stemmen* xvii (1917) p. 161-172; Dr. Joh. Smit, *Georganiseerde Missieactie der priesters*, in *Ned. Kath. Stemmen* xvii (1917) 173-182.

sept. 1917 conventu dioecesano catholicorum dioecesis Buscoducensis, qui totus promotioni actionis missionariae dicatus erat, Episcopi Hollandiae alius post alium (Buscoducensis, Ultrajectensis, Bredanus, Ruremondensis, Harlemensis) erexerunt comitatum dioecesanum pro missionibus exteris promovendis, et hisce comitatibus totam concrediderunt provectionem et directionem actionis missionariae in respectivis dioecesibus. In eo erant isti comitatus dioecesani ut in confoederationem nationalem convenirent, quum E.mus G. Card. VAN ROSSUM, S. Congr. de Prop. Fide Praefectus, moderatoribus suum desiderium notificavit, ut comitatus isti dioecesani in sectiones dioecesanas nationalis cuiusdam *Unionis Cleri pro missionibus in Hollandia* converterentur (1). Hanc Unionem uti unicam ac solam consociationem missionalem cleri Summus Pontifex volebat ac, ut in universo orbe erigeretur, summopere desiderabat (ex audientia die 19 dec. 1918). Brevi post decreto S. Congr.is de Prop. Fide diei 11 aprilis 1919 *Statuta Unionis Cleri pro missionibus in Hollandia* approbata sunt et Archiepiscopus Ultraiectensis Praeses nominatus est (2). Omnes quasi sacerdotes saeculares et multi e clero regulari huic Unioni nomen dederunt. *Lega Apostolica* vero, quae suadente Rev. p. VAN OPPENRAAIJ S. J., in Hollandia versus finem anni 1916 a Rev. p. SLIJPEN S. J. introducta erat et cui multi sacerdotes adhaeserant, eo ipso cessavit, melius, in novam consociationem transvecta est.

Quid in Italia

Illa *Lega Apostolica* anno 1916 Venetiis a p. PETAZZI S. J., directore periodicorum *Missioni della Compagnia di Gesù*, condita est et a S. P. BENEDICTO Pp. XV die 28 iunii 1916 multis indulgentiis favoribusque spiritualibus ditata. Sco-

(1) A. HERMUS, *De Priestermissiebond*, in *Het Missiewerk* I (1919) p. 10.
(2) *Bijlage* 1, *Het Missiewerk* I (1919) p. 3-8.

pum sibi proponebat, ut sacerdotes ad preces ferventes et sacram actionem pro missionibus incitaret eosque mediante periodico edoceret, quomodo fidelium amorem erga missiones promovere possent. Ista *Lega Apostolica* autem non nisi ligamen morale esse volebat inter adscriptos, qui ea de re non tamquam membra alicuius consociationis sacerdotalis considerabantur; non erat nec esse volebat organizatio specialis sacerdotum, sicut *Unio Cleri pro missionibus* erat, quae eodem quasi tempore in Italia orta est.

Rev. p. Paulus Manna enim, sodalis Instituti *Missioni Estere di Milano* anno 1915 versus finem vertente, conceptum Statutorum cuiusdam consociationis sacerdotum pro missionibus elaboraverat atque Exc. D.no G. Conforti, Archiepiscopo Parmensi, mandaverat, spectato amico missionum, et fundatori Instituti pro formatione missionariorum in propria civitate archiepiscopali. Exc. D. Conforti amplissimis verbis propositum patris Manna laudavit, occasione visitationis ad limina de Consociatione condenda disseruit cum E.mo D.no Card. Praefecto S. Congr.is de Prop. Fide et in audientia sibi die 27 aprilis 1916 concessa Benedicto Pp. xv amplum schema, constans e 35 paginis typis impressis, inspiciendum tradidit, in quo p. Manna opportunitatem erectionis novae istius consociationis explanabat eiusque legem proponebat et programma actionis. Litteris diei 31 oct. 1916 Em.o Card. Serafini, Praefectus S. C. de P. F., Exc. D.no Conforti respondit Summum Pontificem in audientia 23 octobris magnis laudibus statuta et programma ornasse atque propositum erigendi hanc cleri unionem benedicendo approbasse ex animo. Tunc Rev. p. Manna non frustra ad omnes Italiae Episcopos et sacerdotes scriptim se conferre potuit, ut membra pro ista nova unione colligeret (quadragesimus nonus inscriptus est Ex. D. Achilles Ratti una cum aliis 15 sacerdotibus Urbis Romae). In periodico *Le Missioni Cattoliche* die 9 febr. 1917 Statuta publici iuris facta sunt, ex quibus statim dilucide apparet hanc unionem in Italia natam tum quoad

membra tum quoad organizationem supremam non paululum a consociatione cleri pro missionibus differre, quae paucos ante annos in Germania erat erecta. Ibi enim membra non erant nisi sacerdotes saeculares, hic autem et regulares; ibi sectiones erant dioecesanae, directae a 10-15 sodalibus quorum praeses tantum ab Ordinario nominabatur, hic unio ab initio proposita est tamquam nationalis cum Consilio Superiori (quod e Praeside, nominando a S. Sede, constat, decem directoribus principaliorum sectionum dioecesanarum et aliquibus membris Congregationum Missionalium praestantiorum) et cum sectionibus dioecesanis, quarum director et consilium totum nominantur ab Ordinario.

Periodicum Unionis (*Bollettino*) primo in lucem prodiit die 15 maii 1917. Numerus sodalium dein celeriter crevit (anno 1917: 1254; anno 1918: 1905), praesertim postquam Em.us D. Card. VAN ROSSUM, nominatus Praefectus S. C. de Prop. Fide mense martii 1918, patri MANNA die 19 iulii 1918 scripserat, eum in omnibus firmo praesidio S. Congr.is de Prop. Fide confidere posse; mox et celerius crevit, postquam die 31 aug. 1918 Em.us D. Card. GASPARRI, Secretarius Status, Exc. D.no CONFORTI retulerat, Sanctum Patrem eum praesidem nominasse Unionis Cleri pro missionibus in Italia. Exc. D.nus CONFORTI non distulit, ut Consilium Centrale constitueret, cuius secretarius Rev. p. MANNA est electus.

Pia Unio ad totum mundum extenditur

Summus Pontifex, Cui progressus Unionis Cleri pro missionibus maxime cordi erat, hanc consociationem « Suam » fecit eamque die 15 nov. 1918 singularibus favoribus et privilegiis ditavit; in audientia diei 19 dec. 1918 E.mo Card. VAN ROSSUM suum desiderium declaravit, ut Unio Cleri pro missionibus fieret unica consociatio missionalis pro sacerdotibus (ex quo tempore *Lega Apostolica* finem accepit) et

ubique propagaretur in orbe terrarum; quod Summus Pontifex in Encyclica *Maximum illud* diei 30 nov. 1919 repetiit dicens: « Nos cupere in omnibus orbis catholici dioecesibus eam quam vocant missionalem cleri consociationem institui » (1). Hisce verbis ista sacerdotum consociatio organum officiale Ecclesiae catholicae declarata est, quo clero sub ductu hierarchico Episcoporum incitamentum praestatur et adiumentum, ut officium suum missionale digne possit adimplere.

Statim postquam Summus Pontifex hanc suam voluntatem planis verbis expresserat, S. C. de Prop. Fide sectiones Unionis in diversis regionibus erigere coepit. Hollandia desiderium Sancti Patris iam praevenerat et die 11 aprilis 1919 comitatus dioecesanos in sectiones Unionis nationalis converterat. Anno 1920 Unio in Canada, Helvetia, Germania (Coloniae) et Bavaria (Monaci - Frisingae) erecta est; anno 1921 in Belgio, Austria, Hispania et deinceps in omnibus fere regionibus, ita ut iure merito affirmari possit: hodie Unionem Cleri pro missionibus in totum orbem terrarum diffusam esse et omnes omnium locorum sacerdotes attigisse qui sunt bonae voluntatis.

Ulterior piae Unionis evolutio

Numerus sodalium adscriptorum, qui praesertim post Primum Congressum Internationalem Missionarium, habi-

(1) Benedictus Pp. xv, Litt. Enc. *Maximum illud*, die 30 nov. 1919: « Sed quo certius uberiusque optata Nostra eveniant, debetis omnino, venerabiles Fratres, vestri cleri disciplinam peculiari quodam modo ad Missiones dirigere. Vulgo enim fideles ad opitulandum hominibus apostolicis inclinant et propendent; vosque hac animorum propensione sapienter utamini, ut quam maximo Missionibus sit emolumento. Scitote igitur Nos cupere, in omnibus orbis catholici dioecesibus eam quam vocant *Missionalem cleri consociationem*, institui, quae in dicione sit Sacri Consilii christiano nomini propagando, cui quidem Sacro Consilio omnem iam huius rei fecimus facultatem. Orta ea nuper in Italia, brevi in alias regiones diffusa est; Nostroque studio cum floreat, multis iam est a Nobis pontificalis indulgentiae muneribus ornata. Et merito; nam eius instituto clericorum actio optime ordinatur, cum ad iniiciendam christianis curam de tot ethnicorum salute, tum ad opera ea cuiusvis generis provehenda, quae in Missionum utilitatem Apostolica haec Sedes iam probarit » *AAS* xi (1919) p. 440.

tum Romae mense iunii 1922 admodum auctus erat, nova adhuc incrementa est adeptus, quum Papa Missionum Pius XI in Encyclica *Rerum Ecclesiae* diei 28 febr. 1926 Episcopis omnibus mandatum dedit: « At tamen ut cum ceteris pastoralis officii curis huiusmodi negotium apte componatur, Consociationem Cleri missionalem apud vos aut iubeatis institui aut iam constitutam ad acriorem in dies actionem consilio, hortatu, auctoritate vestra incitetis » (1).

Statuta quae mense novembris 1921 a S. Congr.e de Prop. Fide provisorie ad quinquennium approbata erant, die 4 aprilis 1926 definitivam, paucis adhibitis correctionibus, approbationem obtinuerunt (2); post Secundum vero Congressum Internationalem, Romae, diebus 11-13 nov. 1936, habitum, ab Em.is Patribus S. Congr.is de Prop. Fide in plenariis consiliis die 8 martii 1937 opportune revisa ac recognita sunt; quam Em.orum vero Patrum sententiam SS. D. N. Pius Div. Prov. Papa XI in audientia diei 9 mar-

(1) Pius Pp. XI, *Rerum Ecclesiae*, die 28 februarii 1926: « At tamen ut cum ceteris pastoralis officii curis huiusmodi negotium apte componatur, Consociationem Cleri Missionalem apud vos aut iubeatis Constitui aut iam constitutam ad acriorem in dies actionem consilio, hortatu, auctoritate vestra incitetis. Quam quidem Consociationem, octavo ante anno providentissime conditam, cum proximus decessor Noster multis indulgentiae muneribus auxerit et in dicione Sacri Consilii christiano nomini propagando esse voluerit, tum Nosmet, in plurimas orbis catholici dioeceses, postremis hisce annis, diffusam, non uno pontificalis benevolentiae testimonio honestavimus. Quotquot enim de ea sunt sacerdotes — atque ad suam condicionem accommodate, sacrarum disciplinarum alumni — ii, pro instituto suo, fidei donum innumerabili ethnicorum multitudini et ipsimet, inter sacra potissimum, implorare et ad implorandum aliis auctores esse; quoties et ubicumque licuerit, de apostolatu ad infideles provehendo aut contionari apud populum aut curare identidem ut, statutis diebus ac coetibus, communiter fructuoseque agatur; opuscula in rem edita vulgo propagare; in quibus eiusdem apostolatus semina auspicato inesse animadverterint, iis ad congruentem institutionem eruditionemque expedire aditum; in suae dioecesis finibus Opus a Fidei Propagatione et duo illa, quae huic tamquam subsidiaria inserviunt, quoque pacto fovere. Quantum vero stipis adhuc Consociatio cleri Missionalis ad opitulandum iis ipsis operibus conrogaverunt, quanto plus posthac — crescente in annos singulos largitate fidelium — sperare iubeat, vos, Venerabiles Fratres, non praeterit, quorum plerisque, pro uniuscuiusque territorio, patronis atque impulsoribus utitur; optandum tamen, ut nullus iam sit clericus qui huiusmodi caritatis flamma sit expers ». *AAS* XVIII (1926) p. 71.

(2) *AAS* XVIII (1926) p. 230-6.

tii, Sibi ab eiusdem S. Congregationis Secretario relatam, omnino probavit, textum Statutorum ratum habens et Decretum ad rem edi iubens (1).

Unio Cleri pro missionibus evaserat organizatio mundialis. Cupiendum erat, ut Romae, in ipso centro christianitatis, Officium Centrale erigeretur, sicut in Secundo Congressu Internationali uti votum propositum est. Quod tunc erat in votis, iam nunc est in actis. « Hoc officium erit vinculum inter sedem centralem et uniones missionarias cleri in variis nationibus constitutas; illius erit promovere et erigere uniones ubi nondum existunt, conficere rationes statisticas et alia explere munera, quae a S. Congregatione de Prop. Fide demandata erunt » (2).

Utinam benefica Unionis Cleri pro missionibus activitate cooperatio missionaria inter sacerdotes et per sacerdotes inter laicos magis magisque amplificetur atque in iisdem gradatim corroboretur « ut sermo Dei currat et clarificetur » et dies non longe absit quo « omnes gentes cognoscant Te solum Deum et quem misisti Iesum Christum, Filium tuum, Dominum nostrum ».

† Johannes O. Smit, *ep. par.*

II

IN NOVA STATUTA PIAE UNIONIS CLERI PRO MISSIONIBUS COMMENTARIUS

Brevitatis gratia sequentes adhibebimus abbreviationes:

Decessor noster pro Motu proprio SS. D. N. Pii Pp. xi, 24 iunii 1929, de Pontificiorum Operum Missionalium coordinatione;

---

(1) *AAS* xxix (1937) p. 435-41; 476-7.

(2) Ita Exc. D. C. Costantini, Archiep. Teod., Secretarius S. Congr.is de Prop. Fide in ultimo conventu Secundi Congressus Internationalis; confer *Sacerdozio Missionario, Atti del II Congresso Internazionale* (Romae 1937) p. 186.

AAS XXI (1929) p. 342 ss; *Periodica* XVIII (1929) p. 263 ss (*summatim*);

Instructio pro Instructione diei 9 mart. 1937 a *SCPF* ex audientia SS.mi promulgata, de Coordinatione Piae Unionis Cleri pro Missionibus cum Operibus Missionalibus; hic supra, p. 46;

Opera pro Operibus Pontificiis (Pontificalibus) Missionalibus, sive Pio Opere a Propagatione Fidei, Pio Opere a Sancta Infantia et Pio Opere a Sancto Petro Apostolo;

Pia Unio pro Pia Unione Cleri pro Missionibus;

SCPF pro Sacra Congregatione de Propaganda Fide;

Statuta-1916 pro primis Statutis piae Unionis, quibus utebatur ab anno 1916 ad 1921. Digesta lingua italica, inveniuntur in libro *Ab Unione inita anno vigesimo,* edito Romae 1936, occasione secundi Congressus Unionis Internationalis, p. 19-20;

Statuta-1921 pro Statutis, die 11 nov. 1921 ad quinquennium promulgatis; per se spectabant solam Italiam (art. 1); illis utebatur pia Unio ab anno 1921 ad 1926; lingua italica descripta, inveniuntur in eodem libro, p. 39-43;

Statuta-1926 pro Statutis generalibus Piae Unionis Cleri pro Missionibus, Decreto 4 apr. 1926 a *SCPF* lingua latina promulgatis. Inveniuntur in eodem libro, p. 54-58; apud *AAS* XVIII (1926) p. 230 ss; *Periodica* XV (1937) p. 122 ss;

Statuta pro Statutis generalibus Piae Unionis Cleri pro Missionibus, Decreto 14 apr. 1937 a *SCPF* promulgatis; leguntur hic supra.

I - De iis quae in Statutis-1937 sunt nova

Ex attenta collatione novorum Statutorum cum *Statutis-1926* plura apparent innovata; et quidem, praeter nonnullas correctiones grammaticales, quae rem non tangunt, nova est explicita mentio unionis Christianorum ad hoc procurandae ut vergat in bonum ipsarum Missionum (*infra,* p. 76 ss); pariter nova est tota sectio de Secretariatu internationali (*infra,* p. 85 s); non levis mutatio inducta est in constitutione Consilii Nationalis (*infra,* p. 86 ss), in ratione nominandi eius Praesidem (*infra,* p. 87 s); et definitione muneris Directoris nationalis (*infra,* p. 88); quae reformationes etiam in ordinationem Consilii Dioecesani

suum exercent influxum (*infra*, p. 89); novus deinde est articulus 37, de Congressibus internationalibus cogendis (*infra*, p. 90); in art. 40 et 41 iterum apparet nova ratio Directoris Nationalis (*infra*, p. 88, 89); et tandem sunt novae regulae art. 44 insinuatae, quibus reguntur Congressus Dioecesani (*infra*, p. 89) (1).

II - De Natura et Fine

(ad Caput I *Statutorum*)

Ea praeprimis prosequendo quae in novis Statutis reformata apparent, simul quaedam capita praecipua exponemus; itaque:

1 - *De dependentia piae Unionis a Sacra Congregatione de Propaganda Fide*

(ad art. 1 *Statutorum*)

Verba *a S. Congregatione de Propaganda Fide omnino dependet* (*Stat.*, 1) olim legebantur sub fine Capitis II, de Sodalibus (*Stat.-1926*, 13), quae omnimoda dependentia insuper insinuabatur ipsius Decreti praecedentis tenore, eo videlicet quod iis, qui vellent sibi comparare favores omnes spirituales Piae Unioni concessos, standum erat Statutis a *SCPF* approbatis; nunc vero, ut principium fundamentale, primum *Statutorum* locum occupant. Habent et ista verba sua fata historica. Iam a primis Statutis S. Sedes sibi reservabat nominationem Praesidis (*il Presidente*) ad beneplacitum suum (*Stat.-1916*, 3) necnon approbationem electionis Directorum dioecesanorum Unionis (*ibid.*); explicite tamen nondum enuntiabatur piae Unionis a *SCPF* dependentia. Sed ecce, in Epistola E.mi G. M. Card. Van

(1) Non bene ergo intellegitur quomodo commentarium officiale pro Italia, *Rivista dell'Unione Missionaria del Clero*, XIX (1937) p. 149, post editas dumtaxat Statutorum partes *de Secretariatu Internationali* et *Instructionem*, dicat « Nelle altre parti lo Statuto dell'U. M. d. C. rimane lo stesso ».

Rossum ad Italiae Episcopos diei 19 martii 1920 (1) iam dicitur: « Tale *Unione Missionaria del Clero*.... è sotto la dipendenza di questa S. Congregazione », innitendo sane vèrbis Benedicti Pp. xv, qui, in Encyclica *Maximum illud* (2) scripserat: « [Missionalis Cleri consociatio], quae in dicione sit Sacri Consilii Christiano Nomini propagando, cui quidem S. C. omnem iam huius rei fecimus facultatem »; verba ista repetuntur in Litteris circularibus diei 1 april. 1922, quibus *SCPF* indixit primum Unionis Congressum Internationalem (3); et confirmantur in Litteris Encyclicis Pii Pp. xi, *Rerum Ecclesiae*, diei 28 februarii 1926: « [Quam Consociationem], cum proximus decessor Noster... in dicione Sacri Concilii christiano nomini propagando esse voluerit » (4); in *Statutis-1921* tamen nondum occurrunt explicite, sed prima vice in *Statutis-1926*, ut modo diximus.

Quae dependentia, quamvis ex rei natura non necessaria, tamen pleno iure a *SCPF* exigitur.

Non est necessaria ex natura rei. Ad cuius evidentiam distinguendum est inter ipsas missiones et alia opera ad hoc instituta ut foveant spiritum apostolicum, missionibusque in auxilium veniant. Universa quidem ipsarum missionum cura apud acatholicos, territoria in dioeceses non erecta inhabitantes, Sedi Apostolicae unice reservatur (cf. can. 1350, § 2), idque necessario, cum Episcoporum iurisdictio propriis limitetur dioecesibus. Hac in re officium Episcoporum cum munere Apostolorum minime est confundendum; hi, ut Dogmatici explicant, erant Fundatores et Pastores Ecclesiarum, illi dumtaxat sunt Pastores; hi ad totum mundum, illi ad solam suam dioecesim sunt divi-

---

(1) Apud *Ab Unione inita anno XX*, p. 28.

(2) Diei 30 novembris 1919; *AAS* xi (1919) p. 440 ss; *Periodica* x (1922) p. 20 ss — vide p. 29.

(3) Apud *Ab Unione inita anno XX*, p. 44 s; *AAS* xiv (1922) p. 198; *Periodica* xi (1922) p. 52, C (*Summatim*).

(4) *AAS* xviii (1926) p. 65 ss; *Periodica* xv (1927) p. 1 ss - vide p. 6.

nitus missi. Sequitur, omne munus limites propriae dioeceseos exorbitans, esse supra-episcopale, sive, cum supra Episcopos iure divino, nulla in sacra hierarchia exsistat iurisdictionis potestas nisi Romani Pontificis (cf. can. 108, § 3), papale (1). Tota ergo verarum Missionum cura ad unam S. Sedem spectat, actaque antiquorum quorundam Episcoporum, qui, inconsulta S. Sede, his missionibus operam dabant, explicanda sunt ex tacita saltem R. Pontificis delegatione (2). Nec necesse est ut specialiter hic explicemus potestatem Episcoporum in Missiones quatenus pertinent ad Collegium Apostolicum, illa enim potestas in re nostra nullam habet peculiarem difficultatem. Id unum tantum notare velimus: exercitium huius potestatis, secus atque AA. nostri non raro insinuant, nequaquam eodem modo procedere ac exercitium infallibilitatis. Infallibilitas enim non solum in exercitio extraordinario Magisterii Apostolici (per Concilium Oecumenicum) deprehenditur: verum etiam, cum decisiones doctrinales singulorum Episcoporum sponte sua in infallibile testimonium veritatis confluant, in exercitio ordinario (3). Non ita potestas Regiminis. Nam ex ordinario exercitio huius potestatis, sive ex multiplicatis actibus stricte iurisdictionalibus singulorum Episcoporum, numquam resultare potest novus totius Collegii actus Regiminis; sed, ut Episcopi ferant actum iurisdictionalem communem, requiritur ut actu sedeant in Concilio, in unione cum Romano Pontifice.

Aliter quidem iudicandum est de missionibus ad illos acatholicos convertendos susceptis, qui inhabitant dioeceses ipsas (cf. can. 1350, § 1), quas missiones, ut commu-

---

(1) Cf. A. Vermeersch, S. I. *Vicarii Apostolici munus*, in *Periodica* VII (1914) p. (9) et post eum Wernz-Vidal., *Ius Canonicum*, II (*de Personis*) ², Romae 1928, p. 581.

(2) Cf. de argumento simili S. Tromp, S. I., *Actio catholica in Republica Christiana*, in *Periodica* XXV (1936) p. 89* ss, praesertim p. 96*-98*.

(3) Cf. Conc. Vatic., Sess. III, Cap. 3, *de Fide*: Denz. 1792.

niter faciunt Auctores de Iure Missionum scribentes (1), non recenserem inter missiones proprie « exteras » vel « externas », sed de his, licet et illae nonnumquam iurisdictioni *SCPF* subiciantur, in hac nostra disputatione non agitur.

Opera vero et Instituta ad spiritum apostolicum fovendum et subveniendum missionibus condita per se e potestate episcopali non exorbitant; Episcoporum enim est curare vitam catholicam in suis, ad quam spiritus et operositas apostolica essentialiter pertinent. Nec omittendum est Episcopos esse « vocatos in partem sollicitudinis » Romani Pontificis (2); quos sic allocutus est SS. D. N. Pius Pp. XI: « Legimus equidem non uni Petro, cuius cathedram obtinemus, sed omnibus Apostolis, quorum vos in locum successistis, Iesum-Christum praecepisse: « Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae »: unde liquet propagandae fidei curam ita ad Nos pertinere, ut in laborum societatem Nobiscum venire Nobisque hac in re adesse, *quantum singularis ac propria vestri perfunctio muneris sinit*, sine ulla dubitatione debeatis » (3).

---

(1) Cf. Th. Grentrup, S. V. D., *Ius Missionarium*; I, Steyl 1925, p. 1: « missio extera est praedicatio fidei catholicae ad acatholicos »; G. Vromant, C. I. C. M., *Ius Missionariorum, Introductio et normae generales*, Louvain 1934, p. 2; inter iuris communis cultores, Matthaeus Conte a Coronata, *Institutiones Iuris Canonici* II, Taurini 1931, p. 274; fundamentum iuridicum nostrae distinctionis clare apparet ex oppositione inter §§ 1 et 2 can. 1350; nec deest fundamentum dogmaticum, cum « missio » can. 1350, § 1 non intendat plantationem Ecclesiae. Observes insuper acatholicos, qui dioeceses inhabitant, et alios, degentes in terris missionum, nequaquam in eadem condicione morali versari, nec in eadem necessitate spirituali. Illis enim iam dudum praesto est Ecclesia salvifica; illis expedite se praebet conspiciendam, operibus caritatis, varietate vitae religiosae et sollemnitatis liturgicae, maturaque organizatione iuridica; hos vero haec signa plerumque deficiunt, licet tamen facilius conspiciant, ex oppositione novae doctrinae cum cultura pagana, Ecclesiae sanctitatem et apostolicitatem, quibus insuper Deus adesse solet gratiis charismaticis. Nescio utrum praefati Auctores ad effectum harum diversitatum in evangelizationis methodum animum sufficienter attenderint.

(2) Cf. Leo XIII, encycl. *Sancta Dei civitas*, 3 dec. 1880: *ASS* XIII (1880) p. 241 ss; cf. *supra*, p. 58, nota 1.

(3) Encycl. *Rerum Ecclesiae*, 28 febr. 1926: *AAS* XVIII (1926) p. 65 ss; *Periodica* XV (1927) p. 1 ss - vide p. 4; alia oracula pontificia huc spectantia apud Vromant, *o. c.*, p. 62-64.

Tamen dependentia illorum operum et institutorum pleno iure a SCPF vindicatur. Haec enim Congregatio praeest Missionibus, et facultatem habet « tractandi, agendi et exsequendi omnia hac in re necessaria et opportuna » (can. 252, § 1). Ad rem SS. D. N. in Motu proprio *Romanorum Pontificum* (1): « Huius enim Congregationis est cum missionarios in omnes partes dimittere eosque pro locorum rationibus disponere, tum personis institutisque et consilio et re praesto esse, omnia denique praestare, quaecumque, ad subveniendum Missionum necessitatibus, studium apostolatus ac multiplex Christi caritas suaserit ». Quicquid igitur in linea suae competentiae facit, valide facit; de opportuna vero exsecutione eiusdem potestatis haec notanda sunt.

Summum principium, quo omnia reguntur, est ipsa utilitas missionum; quod eis prodest, est praestandum; quod eorum progressum impedit, omittendum. Qua in re peccari potest per defectum et per excessum. Per defectum quidem, si singulae ecclesiae, singulique fideles ita sibi relinquerentur, ut eorum conatus inter se adversari vel etiam in cassum ruere, vel subsidia sua iniqua ratione per orbem distribui eis accideret; uno verbo, si id quod spectat ad commune bonum, et quod sufficienter regi non potest nisi ab illo, qui habet curam communitatis, negligeretur. Per excessum vero, si ea quae convenienter praestari possunt ab ecclesiis personisque particularibus, ita ad unitatem revocarentur ut simul et exstinguerentur coeptus particulares, et potestas suprema tanto pondere oneraretur, ut proprium suum munus, curam scl. boni communis, iam exsequi non posset. Qua in re memorasse iuvat auream organizationis regulam quae ad res similes, congrua congruis referendo, applicari potest, Encyclicarum Litterarum *Quadragesimo Anno*: « fixum tamen immotumque manet in philosophia sociali gravissimum illud principium quod neque moveri neque

(1) 3 maii 1922: *AAS* XIV (1922) p. 321 ss; *Periodica* XI (1922) p. 63 ss - vide p. 63-64.

mutari potest: sicut quae a singularibus hominibus proprio marte et propria industria possunt perfici, nefas est eisdem eripere et communitati demandare, ita quae a minoribus et inferioribus communitatibus effici praestarique possunt, ea ad maiorem et altiorem societatem avocare iniuria est simulque grave damnum ac recti ordinis perturbatio; cum socialis quaevis opera vi naturaque sua subsidium afferre membris corporis socialis debeat, numquam vero eadem destruere et absorbere » (1). Iudicium tandem de verificatione harum condicionum totum est et esse debet penes Sanctam Sedem; eo vel magis quod agitur de causa communi totius Ecclesiae.

2 - *De procurando reditu fratrum dissidentium*

(ad art. 4 et 6 *Statutorum*)

Secunda pars articuli 4 nova est, sicut et ultima paragraphus articuli 6 quae ad eandem rem spectat. Vox « acatholicorum » (*Statuta*, 4), ut ex contextu patet, hic restringitur ad baptizatos.

Quam opportune haec finis ampliatio sit inducta, neminem fugiet, qui dissidentium conatus ad instaurandam, in Una et Sancta Ecclesia omnium Christianorum concordiam, ex ipsa missionum necessitate conceptos et nutritos, attento oculo secutus fuerit. Catholici ad aspectum missionalem huiusmodi unionis vix hucusque animum convertere (2). Ut vero facilius « zelo illuminato » procedant (cf. *Stat.*, 6, *i*) exscribere iuvat praecipua Romanorum Pontificum recentiorum de reditu dissidentium ad unitatem Ecclesiae Monumenta:

Pius Pp. IX, *In Suprema*, 6 ian. 1848, Litterae ad Orientales (dissidentes) [*Acta Pii Pp. IX*, I, p. 78 ss];

---

(1) *Periodica* XX (1931) p. 165 ss - vide p. 189.

(2) Hisce diebus tamen optima de hac re prodiit dissertatio: J. Sleyffers, S. I., *Missiologisch overzicht, I, uit de protestantsche zendingsliteratuur*, in primo fasciculo novi periodici, *Bijdragen van de Phil. en Theol. Faculteiten der nederlandsche Jezuieten*, I (1938) p. 178-205, (editur Traiecti-ad-Mosam, Hollandia: *Tongersche Straat* 53, *Maastricht*).

S. C. S. R. U. Inquisit., 16 sept. 1864 et 8 nov. 1865, tres Epistolae de Catholica Unitate [*ASS*, II, p. 657 ss];

Pius Pp. IX, *Arcano Divinae Providentiae*, 8 sept. 1868, Litterae Apostolicae ad omnes Episcopos Ecclesiarum Ritus Orientalis communionem cum Apostolica Sede non habentes, quibus ad Oecumenicum Concilium invitantur [*ASS*, IV, p. 129 ss];

Pius Pp. IX, *Iam vos omnes*, 13 sept. 1868, Litterae Apostolicae ad omnes Protestantes aliosque acatholicos [*ASS*, IV, p. 131 ss] (de eodem argumento) (1);

Leo Pp. XIII, *Praeclara gratulationis*, 20 iun. 1894, Litterae Apostolicae ad Principes Populosque universos, occasione sui iubilaei episcopalis [*ASS*, XXVI, p. 705 ss] (de reditu ad unitatem);

Leo Pp. XIII, *Christi nomen*, 24 dec. 1894, Litterae Encyclicae quibus Institutum « a Propagatione Fidei » fovetur et commendatur [*ASS*, XXVII, p. 385 ss] (de missionibus in Oriente);

Leo Pp. XIII, *Optatissimae*, 19 mart. 1895, Motu proprio de commissione pontificia ad reconciliationem dissidentium cum Ecclesia fovendam [*ASS*, XXVIII, p. 323 s];

Leo Pp. XIII, *Amantissimae voluntatis*, 14 april. 1895, Litterae Apostolicae ad Anglos Regnum Christi in Fidei unitate quaerentes [*ASS*, XXVII, p. 583 ss];

Leo Pp. XIII, *Unitatis Christianae*, 11 iun. 1895, ad Coptos quoad unitatem christianam instaurandam [*ASS*, XXVII, p. 705 ss];

Leo Pp. XIII, *Auspicia rerum*, 19 mart. 1896, Motu proprio de ratione concordi rei catholicae apud Orientales provehendae [*ASS*, XXVIII, p. 585 ss];

Leo Pp. XIII, *Satis Cognitum*, 29 iun. 1896, Litterae Encyclicae ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios. De unitate Ecclesiae [*ASS*, XXVIII, p. 708 ss];

Leo Pp. XIII, *Apostolicae curae*, 13 sept. 1896, Litterae Apostolicae. De Ordinationibus anglicanis [*ASS*, XXIX, p. 193 ss];

Pius Pp. X, *I sentimenti*, 18 ian. 1906, Allocutio ad Patriarcham Ciliciae Armenorum, de Unione Ecclesiae Orientalis cum Latina pro viribus fovenda [*ASS*, XXXIX, p. 28 s];

Pius Pp. X, *Quoties animum*, 2 febr. 1911, Litterae Apostolicae de proposito fine precum operumque pro reditu ad Ecclesiae unitatem a Sodalitate principe Sulpiciana ultra Britanniam proferendo [*AAS*, III, p. 59 s];

(1) Peculiare meritum Pii Pp. IX hac in re optime exposuit Seb. Tromp, S. I., *Hereeniging der Christenen* I, in *Studiën*, CIX, tom. I (1928) p. 253 ss; ubi et recensionem eiusdem Pontificis actorum invenies magis completam.

Pius Pp. x, *Singulari quadam*, 24 sept. 1912, Litterae Encyclicae ad V. E. Georgium Kopp S. R. E. Presbyterum Cardinalem, Episcopum Vratislaviensem ceterosque Archiepiscopos et Episcopos Germaniae, de consociationibus opificum catholicis et mixtis [*AAS*, IV, p. 657 ss; *Periodica* VII (1914) p. 19 ss] (de condicionibus cooperationis cum acatholicis in unione Christiana laboris);

Benedictus Pp. XV, *Romanorum Pontificum*, 25 febr. 1916, Litterae Apostolicae. Preces quaedam ad Ecclesiae unitatem a Domino impetrandam indulgentiis ditantur [*AAS*, IX, p. 61 s];

Benedictus Pp. XV, *Cum Catholicae Ecclesiae*, 15 april. 1916, Litterae Apostolicae. Oratio ad populos christianos Orientis cum Ecclesia Romana iungendos indulgentiis ditatur [*AAS*, VIII, p. 137 s];

Pius Pp. XI, *Iam annus*, 14 dec. 1925, Allocutio Consistorialis. Deputatio Legatorum a Latere ad obstruendas Portas Sanctas, creatio et publicatio Patrum Cardinalium [*AAS* XVII, p. 633 ss; *Periodica* XIV (1925) p. 155 ss] (invitatio ad eccl. Orientales ad unionem cum Ecclesia Romana);

Pius Pp. XI, *Mortalium animos*, 6 ian. 1928, Litterae Encyclicae ad RR. PP. DD. Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: de vera religionis unitate fovenda [*AAS*, XX, p. 5 ss];

Pius Pp. XI, *Laeto iucundo animo*, 6 ian. 1933, Litterae ad Em.os PP. DD. Alexandrum Tit. S. Augustini S. R. E. Presbyterum Cardinalem Kakowski Archiepiscopum Varsaviensem, Augustum Tit. S. Mariae de Pace S. R. E. Presbyterum Cardinalem Hlond, Archiepiscopum Gnesnensem et Posnaniensem; de studiorum hebdomada ad unitatem christianorum dissidentium restaurandam [*AAS*, XXV, p. 23 s].

Deinde recensemus quaedam acatholicorum scripta de « reunionis » pro ipsis missionibus momento; e quibus scl. apparet quo studio illi rem prosequuntur. Hunc elenchum, sicut et praecedentem, nobis humanissime paravit Edward L. Murphy, S. I.:

M. R. Carpenter-Garnier, *Union or Disunion? Problems of the Mission Field*, Westminster 1929;

Ch. H. Fahs, and Helen E. Davis, *Conspectus of Coöperative Missionary Enterprises*, New York 1935;

A. Koechlin, *L'Unité de l'Église par les Missions*, Paris 1935;
A. Morgan (editor), *Essays Catholic and Missionary*, London 1928;
L. B. Moss, *Adventures in Missionary Co-operation*, New York 1930;
John R. Mott, *The Decisive Hour of Christian Mission*, New York 1910; editio germanica, Basel 1911; gallica, Saint-Blaise 1912;
John R. Mott, *Liberating the Lay forces of Christianity*, London 1932;
John R. Mott, *The Present-Day Summons of the World-Mission of Christianity*, Nashville 1931;
John R. Mott, *Cooperation and the World Mission*, New York 1935;
W. J. Noble, *Christian Union in South India*, London 1936;
J. H. Oldham, *The Question of the Church in the World To-day*, London 1936;
William Paton, *A Five Year's Plan. In connection with the World Meeting of the International Missionary Council at Hangchow, China, 1938*, London 1936.
J. Richter, *In der Krisis der Weltmission*, Gütersloh 1934;
J. Richter, *Junge Kirchen*, Gütersloh 1936;
E. Strong, *The Church at the Heart of the Worldwide Christian Community*, New York 1937;
A. L. Warnshuis and E. Strong, *Partners in the Expanding Church*, New York 1935;
J. S. Whale, *What is a living Church?*, London 1937;
* * * *Le monde et l'Évangile. Jérusalem- 1928*, Paris 1928;
* * * *Pour la conquête du monde. Message de la Conférence Missionnaire de Jerusalem*, Paris 1928;
* * * *Re- thinking Missions. A Laymen's Inquiry after one hundred Years*, New York 1932.

Uberiorem bibliographiam, a Dom. de Lilienfeld, O. S. B. congestam, invenies in fasciculo 10 ex *Irénikon-Collection*, Amay-sur-Meuse (Prieuré) 1927-1928; locupletissimam deinde scriptorum collectionem, editam a *World's Committee of Y.M.C.A's*, confecit A. Senaud, B.D., *Christian Unity. A Bibliography*, Geneva (Switzerland) s.a. (1937); cf. insuper rationes bibliographicas apud *The International Review of Missions*, London (International Missionary Council) 1912 ss.

Observes porro hisce articulis clare insinuari distinctionem inter missiones sensu proprio, quibus directe iuvandis pia Unio est instituta, ad infidelium scilicet salutem procurandam susceptas (*Statuta*, 4: « ethnicorum conversio »; 6, *b*: « inter paganos »; 6, *e*: « inter infideles »; etc.; insuper vox « infidelium » vel aliae similes perpetuo resonant in pristinis piae Unionis monumentis), et missiones improprio sensu, quae scl. haereticorum et schismaticorum conversioni incumbunt. De qua distinctione viget inter missiologos disputatio; cf. opus nuperrime in lucem editum: Prof. Dr. ALPH. MULDERS, *Inleiding tot de Missiewetenschap*, 's Hertogenbosch 1937, p. 4-6, ubi et alia de re scripta citata invenies, usque ad hodiernum diem.

3 — *De habitudine Piae Unionis ad Opera Pontificia*

(ad art. 5 *Statutorum*)

Quintus articulus Statutorum olim continebatur sub praecedenti (*Statuta-1926*, 4) nunc separatim ponitur. Ad cuius rei intellectum haec notata habeas. Dicitur:

Unio Cleri non est novum quoddam Opus missionale ad fidelium oblationes colligendas institutum. Huiusmodi enim Opera iam exsistebant ante conditam piam Unionem et imprimis sunt ea, quae his Statutis sub art. 6, *g*, recensentur. Motu Proprio *Romanorum Pontificum* [1] et annexis eidem Statutis tria Opera Pontificia evecta sunt ad dignitatem instrumenti Apostolicae Sedis (*Periodica, l. c.*, p. 68), concredita eiusdem S. Sedis et *SCPF* potestati et arbitrio (*ibid.*, p. 65), a qua Congregatione, licet seiuncta, tamen pendent (*ibid.*, p. 68); unde dicitur:

neque [pia Unio] pro fine habet aliorum Operum missionalium gubernationem sibi assumere; quippe quod esset

(1) 3 maii 1922; *AAS* XIV (8 iun. 1922) p. 321 ss; *Periodica* XI (1923) p. 63 ss.

arrogatio sollicitudinis, quam ipsa S. Sedes sibi iam reservavit. Attamen additur:

licet [pia Unio] operam impendat ad fidelium animos disponendos ita ut omnibus Operibus missionalibus pro viribus succurrant (1). Cum enim Sacerdotum, membrorum piae Unionis, sit fidelium animos amore Missionum incendere, a pia Unione veluti vita et virtus in Opera derivatur. Quo sensu piam Unionem non immerito animam Operum vocaveris. Nec mirum ergo Consilium Supremum Operum a die 27 ad diem 29 aprilis anni 1937 Romae congregatum, plausu accepisse relationem Exc. D. I. DE TRANNOY, dicentem piam Unionem natura duce vocatam esse ad coordinationem omnium Operum missionalium curandam (2). Nec mirum in Congressu Internationali piae Unionis, mense novembri 1936 Romae celebrato, Exc. D. CELS. COSTANTINI altera sua conclusione edixisse: piam Unionem « practice » primum occupare locum inter associationes missionales. Eadem ratio insuper in pristinis piae Unionis monumentis iam saepe occurrebat, immo, maior quam nunc originetenus attribui videbatur piae Unioni in Opera auctoritas. BENEDICTUS Pp. XV, alloquens Sacerdotes italos qui primo Unionis Congressui interfuere, anno 1920 (3), ita: « Sappiamo che, nelle nostre diocesi, Voi attendete alle differenti opere missionarie, raggruppate sotto il vessillo della Vostra Unione », et paullo post loquitur de « Sacerdote dell'Unione missionaria che a quel giovane levita [qui nempe proficiscitur ad terras missionum] fornisce i mezzi di adempiere il suo magnanimo proposito »; quod, cum pia Unio numquam ipsa incubuit in opes collegendas (*Stat.-1916*, 1), non potest non significare eam, per tramitem Operum, subvenire missionibus. Litteris porro die 15 maii 1921 ad Episcopos italos datis (4), ipsa *SCPF* commendabat: « pra-

(1) Cf. etiam *Statuta* 6, *f*, *g* et 42, in medio.
(2) Rationem redditam huius consessus invenies apud Commentaria officialia piae Unionis, infra, p. 88 s, recensenda.
(3) Die 6 octobris; *Ab Unione inita anno* XX, p. 30 ss.
(4) Apud *Ab Unione inita anno* XX, p. 36.

ticamente... gli Ecc.mi Vescovi troveranno molto saggio ed opportuno affidare agli elementi più attivi dell'Unione Missionaria il compito di organizzare l'O. d. P. d. F., e le altre opere missionarie... l'unità della direzione [è] un grande coefficiente di più rapido e largo successo...»; idem vel clarius legitur in Epistola diei 11 nov. 1921 (1) E.mi G. M. Card. VAN ROSSUM, qua *Statuta-1921*, ad quinquennium approbata, annuntiabat: « L'U. M. infatti si offre, si mette a disposizione degli Ordinari per la organizzazione delle Opere Missionarie », quibus verbis summatim complectebatur ea quae in eisdem *Statutis-1921*, sub 2, *b* et 3, *f*, erant definita. Sed iidem articuli (2) simul clare insinuabant cum internam Operum autonomiam, tum directam eorum dependentiam a *SCPF*, quam et E.mus Cardinalis eidem S. Congregationi statim vindicare non omittit: « si tenga però sempre presente che in questa materia non ha alcuna attribuzione l'Unione Missionaria, sorta per essere a servizio e non alla direzione delle Opere Missionarie medesime » (*l. c.*, p. 38). Anno 1922, in allocutione ad Sacerdotes, qui interfuerunt primo Congressui Internationali piae Unionis (3) SS. D. N. PIUS Pp. XI iterum repetiit: « il vostro proposito concreto è quello di aiutare le sante missioni tanto direttamente, quanto attraverso alle opere ad esse attinenti »; et in Litteris Encyclicis *Rerum Ecclesiae* (4) inter munera membrorum piae Unionis propria hoc enumerat « in suae dioecesis finibus Opus a Fidei Propagatione et duo illa, quae huic tamquam subsidiaria inserviunt, quoquo pacto fovere ». Omnia haec consideranti iam satis clarum erit cur tam accurate in nostris Statutis habitudo piae Unionis ad Opera describatur. Ex una parte *SCPF* adiutorio piae Unionis uti intendit in Operibus pro-

(1) *Ibid.*, p. 37 s.

(2) Art. 2, *b*: « secondo le direttive della S. Congregazione di Propaganda e le istituzioni dei Consigli centrali delle Opere medesime »; art. 3, *f*: « col porsi al servizio di quelli che dirigono le singole opere ».

(3) Die 3 iunii 1922: *Ab Unione inita anno* XX, p. 47 ss - vide p. 47.

(4) 28 febr. 1926: *AAS* XVIII (1926) p. 65 ss; *Periodica* XV (1927) p. 1 ss - vide p. 6.

vehendis, ex altera nullam in Opera amittere potestatem; quae non ita facile inter se componuntur.

Brevi, pia Unio et Opera subiecta sunt immediate *SCPF*; inter se non confunduntur, nec in invicem ullam exercent iurisdictionem; attamen intima utuntur cooperatione, potioribus partibus piae Unioni reservatis. Quo modo tandem ista cooperatio nunc sit organizata, vide *Instructionem* et Annotationes adiectas (p. 46 ss et 91 ss).

Haec de primo capite. Cetera non sunt substantialiter mutata, nec proinde nova explicatione indigent.

III - De Sodalibus

(ad Caput II *Statutorum*)

Multae novitates in hoc capite non occurrunt; haec tantum observanda sunt:

1 - De adscriptione Sodalium

(ad art. 7, 8 et 9 *Statutorum*)

Iam olim disputabatur, utrum ad adscriptionis rationem, in ordine ad favores spirituales obtinendos, requireretur inscriptio in piae Unionis albo. Id explicite non statuebatur; nec nunc statuitur. Unde sententia, iam olim communiter admissa, et consultatione romana firmata, probabiliter videlicet ad validam adscriptionem non requiri formalem inscriptionem, in vigore permanere videtur (1). Attamen usu receptum erat, ut Sodales inscriberentur, idque ad tutiorem ineundam viam.

Quod attinet ad condiciones eorundem favorum, art. 9 insinuatas, de iis postea, in peculiari Dissertatione.

---

(1) De ea conferatur commentarius, a Th. Bekkers editus, *Pauselijke Missieactie*, s. l. 1930 (apud Redactionem commentarii *Het Missiewerk*; vide infra, p. 89) p. 31.

2 - *De missionariis, privilegiis et gratiis piae Unionis gaudentibus*

(ad art. 13 *Statutorum*)

Missionarii ipso facto gaudent favoribus piae Unioni concessis (*Stat.*, 13; cf. *Stat.-1926*, 12); cum autem de favorabilibus agatur, quaeri potest, num liceat vocem « missionis » hic late interpretari, ita quidem ut et sacras expeditiones ad acatholicos baptizatos complectatur. Non una hac in re erat interpretum sententia. Die tamen 5 iulii 1937 prodiit authentica *SCPF* interpretatio, quae ita se habet (1):

Sacra Congregazione de Propaganda Fide

Rome, le 5 juillet 1937.

Mgr Carminati
directeur du bulletin *Laboremus pro missionibus*.

En réponse à votre lettre du 1er juillet 1937, qui nous demandait une interprétation officielle du mot *mission* contenu dans l'article XIII des statuts généraux de L'Union Missionnaire du Clergé, la S. Congrégation de la Propagande déclare:

On doit considérer comme terres de missions aux effets de la jouissance des privilèges et facultés de l'article XIII des statuts généraux de l'Union Missionnaire du Clergé, tous les pays où un prêtre, ayant reçu un mandat d'autorité légitime, exerce son ministère apostolique et religieux parmi les non-chrétiens ou les chrétiens dissidents.

Cette interprétation ne vise le mot *mission* de l'article cité qu'en fonction des privilèges qui en dérivent (2).

Veuillez agréer...

Card. FUMASONI-BIONDI,
préfet de la S. Congrégation de la Propagande.

CELSO COSTANTINI,
Secrétaire de la S. Congrégation de la Propagande.

Observes tandem in art. 8, loco *a Sacra Congregatione de Propaganda Fide* (*Stat.-1926*, 7), nunc legi *a Secretariatu Internationali Romae constituto;* quae mutatio ultro profluit ex nova Regiminis ratione, nunc explicanda.

Cetera manent ut erant.

---

(1) Apud *Laboremus pro Missionibus* (Romae) mense iulio 1937, p. 383 s.

(2) Cf. *supra*, p. 80.

IV - De Regimine

(ad Caput III *Statutorum*)

Omnium praecipua Statutorum reformatio in hoc caput incidit; etenim:

1 - De Secretariatu Internationali eiusque Consilio

(ad art. 14-18 *Statutorum*)

Tota haec sectio nova est. Iam in Epistola, mense februario 1936 data de futuro Congressu Internationali altero (1) Exc. D. Celsus Costantini annuntiabat: « Lo scopo del Congresso è di studiare ... la possibilità e il modo di costituire un centro internazionale di collegamento fra le varie U.M.d.C. »; et revera: in ultima sessione ipsius Congressus proclamavit, tertia conclusione, institutionem Secretariatus Internationalis (2) addens eandem votis viginti annorum respondere.

Ratio novi Secretariatus est in efficaciori centralizationis exsecutione; olim pia Unio iam erat commissa *SCPF* potestati et arbitrio; nunc novum, ad eundem effectum, exstat organon. Secretariatus enim immediate a *SCPF* dependet (*Stat.*, 14); Secretarius nominatur et dimittitur ad beneplacitum eiusdem (*Stat.*, 16), et definitionem muneris ab ea accipit (Exc. D. Costantini, *l. c.*); Consilium Internationale, quod dirigit Secretariatum (*Stat.*, 14), Praesidem habet ipsum Secretarium generalem *SCPF* (*Stat.*, 15, *a*); membra vero habet Directores Nationales piae Unionis (*Stat.*, 15, *b*), qui nominantur a Consilio Nationali (*Stat.*, 27), cuius membra eliguntur a Praeside (*Stat.*, 21), qui ipse nominatur a *SCPF* (*Stat.*, 20); deinde eiusdem Consilii Internationalis membra sunt Secretarii Generales piae Unionis (*Stat.*, 15, *b*) in nominatione (*Stat.*, 21) et circumscriptione muneris (*Stat.*, 23) ab eiusdem Praesidis nutu pen-

(1) Apud *Ab Unione inita anno* XX, p. 62.

(2) Relatio huius sessionis invenitur apud omnia commentiaria officialia piae Unionis, necnon in foliis distributis ab *Agenzia Fides*.

dentes; et tandem nonnulli viri Romae degentes, a *SCPF* adlecti (*Stat.*, 15, *b*). Insuper Secretarius *SCPF* consessus Consilii extraordinarios, restrictis deliberatoribus, quovis tempore convocare potest (*Stat.*, 17, cf. 15, *a*); Exc.mos Episcopos, per tramitem Secretariatus Internationalis, ad piam Unionem in Nationibus et dioecesibus instituendam inducit (*Stat.*, 18, *a*); normas edit ad propagationem Unionis opportunas (*ibid.*, *b*); cooperationem inter Nationales Uniones dirigit (*ibid.*, *c*); rationem ab eisdem exigit (*ibid.*, *e*); et leges unicuique Nationi proprias examinat et approbat (*ibid.*, *g*); quibus, si ea adicias, quae mox dicturi sumus de centralizata potestate in singulis Nationibus, iure concludes nihil omnino praetermissum esse ut totius rei gubernatio ab una *SCPF* efficaciter et fructuose exsequatur [1].

Cetera per se clara sunt.

2 - *De Consilio Nationali*

(ad art. 19-28 *Statutorum*)

Et haec sectio de Consilio Nationali, quod hactenus vocabatur Consilium Regionale [2], non leviter est reformata.

a - Ad art. 19 hae mutationes sunt recensendae: olim cogebatur Consilium istud ex Praeside et quibusdam Consiliariis, quorum alii ex Directoribus Dioecesanis, alii ex Institutis missionalibus assumebantur (*Stat.,-1926*, 15). Nunc vero, praeter Praesidem, partem in eodem habent Director Nationalis Unionis, ut per se liquet; Directores Nationales Operum, ut ex ratione coordinationis, in *Instructione* statuta, resultat (cf. *Instr.*, 1); et tandem non-

(1) Quod legebatur in *Statutis-1921*, ad quinque annos approbatis, art. 23, scl.: « Le deliberazioni [in Consessibus Consiliorum] sono valide a maggioranza dei voti dei presenti », in *Statutis-1926* et *1937* iam non occurrit; cf. *ibid.*, art. 27: « Nessuna modifica od aggiunta allo Statuto avrà valore, se non deliberata a maggioranza di voti dal Consiglio Centrale, dietro indicazione del Congresso Nazionale, ed approvata dalla S. Congregazione di Propaganda », quod pariter disparuit.

(2) Quae denominatio fortassis erat residuum historicum, superstes ex *Statutis-1921*, quae, cum ad Italiam coarctabantur (*Stat.-1921*, 1), sponte sua inhaerebant huic regiminis divisioni: *Consiglio Centrale - Consiglio Regionale - Consiglio Diocesano.*

nulli Consiliarii, ex Directoribus dioecesanis et viris de re missionali benemeritis assumendi. Nec iam explicite commemorantur membra Institutorum missionalium (1). Ratio huius omissionis in promptu est. Per se finis illorum Institutorum a fine piae Unionis omnino discrepat; haec ad missiones adiuvandas (*Stat.*, 1), ad perducendos Sacerdotes curae animarum deditos, ut fideles amore missionum inflamment (*Stat.*, 4), idque mediis domesticis (*Stat.*, 6), potissimum est instituta; illa in missionibus, apud infideles, mediis toto coelo diversis, operam navant. Distincta ergo omnino sunt; attamen intima collaboratione uti debent. Nec quicquam ad concordem et fructuosam cooperationem plurium aptius conducere solet, quam accurate servata inter propria munera distinctio; sic etiam distincta unius corporis membra, ut in bonum totius actuose conspirent, propriis oportet instent operationibus. Unde pia Unio praeprimis ad clerum saecularem, et regularem illum, qui curae animarum domesticae incumbit, spectat; minus ad missionarios, licet illi, in signum eximiae et iustissimae caritatis, plene participent de gratiis et favoribus apostolicis piae Unioni concessis (cf. *supra* III, 2; p. 83 s). Ceterum vix necessarium est animadvertere viros de re missionali benemeritos saepe quaerendos fore inter antiquos missionarios, eaque Institutorum missionalium membra, quae specialiter occupantur in notitia et amore suarum missionum in Patria spargendo.

b - Ad art. 20. Olim *SCPF* nominabat Praesidem, ut plurimum ex regionis Ordinariis delegendum, proponentibus eiusdem regionis Episcopis (*Stat.-1926*, 16); nunc, nulla iam propositione praerequisita, inter Episcopos Natio-

(1) In primis Statutis (anni 1916) participatio Institutorum missionalium vel intensior fuit; sic enim habebat art. 3: « L'Unione sarà diretta da un Presidente e da un Consiglio, composto di dieci Direttori delle *principali* Unioni diocesane, e di un membro per *ciascuno* degli Ordini o Congregazioni religiose aventi Missioni, i quali aderiranno all'Unione e la favoriranno »; ita vel facile contingere poterat ut eiusmodi Instituta maiorem partem votorum detinerent. Statuta vero anni 1921 nullam mentionem Institutorum Missionalium faciunt.

nis illos, qui Unioni magis favent. Quae reformatio ex supra dictis (IV, 1) iam intelligitur.

c - Ad art. 21-26. Nihil, post *Statuta-1926,* mutatum hic apparet. Adverte autem quam magna sit auctoritas, quae Exc.mo Praesidi tribuitur, quippe qui Consiliariorum nominandorum habet potestatem (*Stat.,* 21), pressius determinat Secretarii et Arcarii munera (*Stat.,* 23), et respondere debet soli Secretariatui Internationali; — nisi vero excipias adprobationem Consilii Nationalis ad hoc requisitam, ut Praeses valeat convocare Consessus Nationales (deliberativos tantum) extraordinarios (*Stat.,* 39).

d - Ad art. 27 et 28. Munus Directoris est novum; in *Statutis-1926* prorsus deerat, quae tantum Directores dioecesanos recensebant (*Stat.-1926,* 15, 23 ss). Consistit autem in detentione universae potestatis exsecutivae, legislativa (ut, per analogiam, dicere fas sit) remanente penes Consilium. Respondere debet, etiam loco Secretarii et Arcarii (1), cum de rebus gestis tum de statu oeconomico, Congressui Nationali (*Stat.,* 40 et 41).

Commentaria porro officialia, quae nunc in singulis Nationibus erunt edenda (*Stat.,* 28) hucusque numerantur septemdecim, et sunt haec:

in Austria: *Priester und Mission,* annuale;

in Belgio: pro sectione neerlandica, *Kerk en Missie,* trimestrale; pro sectione gallica, *Bulletin de l'Union Missionnaire du Clergé,* trimestrale;

in Canada: *Bulletin de l'Union Missionnaire du Clergé,* trimestrale;

in Cecoslovacchia: pro sectione slovacorum, *Rocenka,* annuale; pro sectione hungarorum, *Evkönyv,* annuale;

in Gallia: *L'Union Missionnaire du Clergé de France,* trimestrale;

in Germania: pro sectione Aquisgranae; *Priester und Weltmission,* annuale; pro sectione monacensi: *Priester und Mission,* annuale;

---

(1) Quibus vi *Statutorum-1926,* 33 et 34, hoc munus contingebat.

in Helvetia: *Katholisches Missionsjahrbuch v. d. Akademischen Missionsbund,* annuale;

in Hispania: *Illuminare,* bimestrale;

in Hollandia: *Het Missiewerk,* trimestrale (1);

in Hungaria: *Az Unio Cleri pro Missionibus Evkönyve,* annuale;

in Italia: *Rivista dell'Unione Missionaria del Clero in Italia,* bimestrale;

in Melita Insula: *Malta Missjunaria;*

in Polonia: *Misje Katolickie,* mensile;

in Statibus Foederatis Americae: *Catholic Missions,* mensile.

Non omnia ista commentaria exclusive piae Unioni inserviunt, ut plerumque ex nomine satis elucet, sed omnia saltem simul sunt organon officiale eiusdem. Elenchus hic productus est ad initium anni 1937.

3 - De Consilio Dioecesano

(ad art. 29-36 *Statutorum*)

In tertiam istam sectionem nulla ad rem innovatio inducta est, nisi quod art. 35 (cf. *Stat.-1926,* 29) addita sunt verba *qui a Directore in omnibus dependet.* Observes iterum magnam centralizationis rationem, in Ordinarium scl. recidentem: solus nominat et dimittit Consiliarios et Directorem (*Stat.,* 30); solius Directoris deinde est, dependenter, ut patet, ab illo a cuius nutu in munere pendet (*ibid.*), convocare Consilium extraordinarium (*Stat.,* 32), respondere Consilio Nationali de activitate et gestione oeconomica (*Stat.,* 33), Arcarium moderare (*Stat.,* 35), statuere, de consensu Ordinarii, Consilii Sedem (*Stat.,* 36), partem habere in deliberationibus extraordinariis nationalibus (*Stat.,* 39), convocare, audito tamen Consilio (cf. *Stat.,* 32) et adprobante Ordinario, Congressus dioecesanos extraordinarios (*Stat.,* 43), et tandem reddere Congressui dioecesano rationem de rebus memorabilibus et oeconomicis (*Stat.,* 40 et 41, collato 44).

(1) Ab ineunte anno 1939 erit bimestrale, quinquies scl. in anno prodiens.

V - De Congressibus

(ad Cap. IV *Statutorum*)

Imprimis rationem Congressus a ratione Consilii sedulo distinguas. Ad hoc illi dumtaxat pertinent, qui quandam potestatem detinent, et, quamvis potestas Consiliariorum in casu plerumque reducatur (1) ad ius participandi in deliberationibus, tamen spectant ad corpus regens piam Unionem. Ad Congressum omnia membra pertinent (cf. *Stat.*, 38); sed ratio centralizationis quam saepius extollimus in hoc maxime cernitur, quod Congressus non gaudet nisi voce deliberativa, immo, ne deliberari quidem potest nisi de eis quae a Consilio explicito consensu disserenda erunt praestituta (*Stat.*, 42; cf. 44). Unde eius utilitas ad duplex caput reduci posse videtur: prius quod quadantenus patefacit vota et desideria in gremio piae Unionis nutrita; secundum quod zelum membrorum, mutua conspiratione, acuat stimulisque augeat (cf. *Stat.* 6, *c.*).

Quaedam, deinde reformata occurrunt, notatu digna:

1 - De Congressu Internationali

(ad art. 37 *Statutorum*)

Hic articulus novus est; quo creatur, ad analogiam Secretariatus Internationalis, novum totius piae Unionis organon, de iure saltem exsistens (2); nam de facto ante Statuta condita, duo iam celebrati sunt Congressus Internationales, annis scl. 1922 et 1936; de quibus supra, in relatione historica piae Unionis.

2 - De Congressu Nationali et Dioecesano

(ad art. 38-44 *Statutorum*)

Art. 39 supra iam explicavimus, ad IV scl., 2, *c* et 3; art. 40 et 41 supra, ad IV, 2, *d*; tandem novus est art. 44

(1) Cf. supra IV, 1, nota in fine adiecta; p. 86, nota 1.

(2) Nisi malueris loqui de quadam iuris reviviscentia: art. enim 9 *Statutorum-1916* sic habebat: « L'Unione Missionaria del Clero terrà, in epoche da stabilirsi, i suoi Congressi sia generali che diocesani ». Attamen illa Statuta spectabant solam Italiam (*ibid.*, art. 1).

de Congressus Dioecesani regimine, de quo cf. supra ad IV, 3, sub fine.

VI - De Gratiis et Favoribus Spiritualibus
(*remissive*)

Tandem omissum est in hac authentica *AAS* promulgatione caput de Favoribus Spiritualibus. Nemo ignorat favores olim concessos ansam praebuisse pluribus dubiis, et occasionem nonnullis S. Sedis declarationibus; ita ut nunc distinguendi sunt favores concessi omnibus sodalibus et alii, iis dumtaxat, qui ante diem 1 aprilis 1933 piae Unioni nomen dederint. Novus elenchus correctus nunc exstat, et publicatus est in pluribus piae Unionis Commentariis officialibus. Cuius explicatio limites huius nostri commentarii transgreditur. In animo tamen est mox in lucem edere dissertationem, qua hodierna ratio eorundem favorum accurate et complete describitur.

Ios. Creyghton, S. I.

III

DE COORDINATIONE PIAE UNIONIS CUM OPERIBUS MISSIONALIBUS

Ut rationem *Instructionis* explicemus, ea praeprimis prosequemur — ut et in Annotationibus in *Statuta* praestitimus — in quibus a monumento sibi antecedenti, Motu proprio *Decessor noster*, discrepat.

Abbreviationibus et siglis eisdem utemur, quibus supra usi sumus; quae recensentur p. 69 s.

I - De iuridica ratione Operum
(in Praefationem)

Omissa est in *Instructione* tota Praefatio totusque Epilogus Litterarum *Decessor Noster*, quarum partium omissa-

rum praecipua capita, ad rem nostram pertinentia, haec sunt: vult SS. Pater ut ista Opera, quae Apostolica Sedes iam prius fecerat sua (1), « in posterum — quod ceteroqui vel olim fuit — *SCPF* subsint » (*AAS* XXI (1929) p. 344); quae S. Congregatio habeat praecipuam quandam curam de eisdem, diligenterque eorundem progressui invigilet (*ibid.*, p. 344-5), atque statis temporibus, vel quotiens peculiaris aliqua ratio id postulaverit, de eodem progressu S. Patri referat (*ibid.*, p. 345). Scopus vero Litterarum erat ferre quasdam normas ut Opera inter se coordinarentur, ita tamen ut non in unum idemque coalescerent (*ibid.*, p. 343); volebat enim Papa ut unumquodque horum Operum sua iura suasque leges haberet, et iuxta proprium finem incrementa caperet (*ibid.*).

Haec igitur, cum *Instructio* nil aliud intendat quam procurare accessum piae Unionis ad Consilia, de quibus in *Decessor noster*, et consequenter maiorem perfectionem eorundem Consiliorum, immutata permanent. De dependentia Operum a *SCPF* supra iam egimus (p. 71-76); de interna eorum constitutione hic non disputabimus, cum a ratione et scopo *Instructionis* explicandae sit aliena.

Dicitur: pia Unio ad Consilia Operum, debita a Summo Pontifice obtenta facultate, accedit: non quidem ea ratione ut Operum gubernacula arripiat, eaque subiciat sibi (cf. supra, p. 80-83), sed potius per quandam cum Operum gubernatoribus mutuam conspirationem, ut mox magis specificabitur.

II - De Comitatu Supremo Cooperationis Missionalis
(ad art. 5-9 *Instructionis*)

Summum Consilium (seu Comitatus supremus) olim constabat ex Praeside Operum, qui erat ipse Secretarius

(1) Motu proprio *Romanorum Pontificum*, diei 3 maii 1922; apud *AAS* XIV (8 iun. 1922) p. 321 ss.; *Periodica* XI (1923) p. 63 ss.; cf. etiam *Statuta*, 6, *g*.

generalis *SCPF* (*Decessor noster,* 1); Secretariis generalibus eorundem, et uno Consiliario ex singulis Operibus, a Consiliis eorundem eligendo (*ibid.,* 3); hoc Consilium regebat tria Opera (*ibid.*) praesertim in eis, quae ad concordiam inter singula servandam spectabant (*ibid.,* 5). Nunc vero perficitur hoc modo; in posterum unum idemque Consilium simul reget cum Opera tum piam Unionem; et nomen eius mutatur in *Comitatus Supremus cooperationis missionalis.* Ad membra eius accedunt: ipse Praeses Consilii internationalis piae Unionis, i. e. idem Secretarius generalis *SCPF* (*Statuta,* 15, *a*), qui ergo novo dumtaxat titulo advenit; deinde Secretarius generalis piae Unionis, ut iam est provisum in Unionis *Statutis,* 16; et tandem Consiliarius quidam, ex pia Unione a Consilio internationali elegendus (*Instr.* 5). Observes Secretarium generalem piae Unionis simul habere sedem in supremis Consiliis singulorum Operum (*Statuta,* 16); ita ut actionem suam coordinatricem iam in gremio singulorum Operum explicare valeat.

Essentiale munus huius Consilii est collaborationi non solum singulorum Operum inter se (*Decessor noster,* 5), sed etiam Operum cum pia Unione concordiaeque prospicere (*Instr.,* 7), non, quod sedulo notandum est, ut Opera et pia Unio suam autonomiam amittant, quod pugnaret cum principiis Litterarum *Decessor noster,* modo recensitis, neve singulorum coeptus exstinguantur, sed contra « ut Unio Cleri et Opera Missionalia ordinatim fructuoseque propriam actionem explicare valeant » (*Instr.,* 7).

Decreta huius Consilii, secus ac antea, in posterum E.mo Cardinali *SCPF* Praefecto recognoscenda et confirmanda deferri debent (*Instr.,* 8).

Sua tandem nunc habet, secus atque antea, statuta tempora quibus erit convocandum (*Instr.,* 9).

III - De Comitatibus Nationalibus Cooperationis Missionalis

(ad art. 1-4 *Instructionis*)

Olim Consilia nationalia cooperationis inter Opera constabant e Directoribus nationalibus Operum, Secretariis nationalibus eorundem, et uno Consiliario singulorum Operum a Consilio nationali electo (*Decessor noster,* 8); munus eius valde accurate sic erat descriptum: « in unaquaque natione ea curare quae ad commune bonum pertinent ipsorum Operum », eiusque consequenter erat difficultates, quae forte occurrerent, dirimere (*ibid.*, 9; cf. *Instr.*, 4).

Nunc vero perficiuntur simili ratione atque ipsum internationale Consilium: accessu scl. membrorum, ex pia Unione etiam adlegendorum (*Instr.*, 1), munere coordinationis Operum cum pia Unione (*Instr.*, 4), statis convocationis temporibus (*Instr.*, 3). Quae omnia ex collatis *Instructionis* articulis 1-4 cum Motu proprio *Decessor noster* 8-9 satis clarent, nec indigent uberiore commentario.

IV - De Commentario Generali

(ad art. 10 *Instructionis*)

In Motu proprio *Decessor noster* (art. 10), duplex genus Commentariorum recensebatur: Generale videlicet, quod erat commune tribus Operibus, et submittendum erat praeviae *SCPF* censurae, et Nationale, pariter ad tria Opera spectans; insuper praevidebantur aliae publicationes, ob peculiares seu non communes rationes edendae, a Comitatu seu Generali seu Nationali probandas (*ibid.*).

Nunc vero (*Instr.*, 10) non iam apparent aliae istae publicationes, quae tamen propterea, sicubi exsistant, nullatenus videntur supprimendae; nec iam commemorantur Commentaria Nationalia. Commentarium vero Generale bifariam subiit mutationem: priorem, qua in posterum etiam referet de pia Unione, reservatis, ad mentem Litterarum

Decessor noster (art. 10), opportunis ac certis spatiis ad dispositionem Secretariatus Internationalis piae Unionis; alteram, qua iam non explicite memoratur tertium Opus, *a Sancta Infantia*. Erit igitur organon quoddam, constitutioni Comitatus Supremi prorsus adaptatum. Ratio vero cur *Opus a Sancta Infantia* omittitur haec fortassis est, quod istud Opus, licet, ut ex *Statutis* 6, *g* et Motu propria *Decessor noster* non semel apparet, vere Pontificale sit, et *SCPF* subiectum, tamen non habet ipsum Secretarium generalem eiusdem Congregationis Praesidem (*Dec. noster*, 1; cf. 2, 6, 7). Censura tandem praevia *SCPF* in hoc Commentarium, cum *Instructio* non abroget sed perficiat normas Litterarum *Decessor noster*, in vigore permanet.

Unde et Commentaria Nationalia Operum persistunt in pristino statu. Et ratio in promptu est. Commentaria piae Unionis clero sunt destinata, Operum etiam laicis, nec proinde decet ut in his occurrant disputationes de coordinatione fovenda et difficultatibus componendis cum pia Unione Cleri. Quae ratio non quadrat in Commentario Generali. Condere vero peculiaria commentaria coordinationis in singulis Nationibus, praeter illa piae Unionis et Operum iam exsistentia, vix operae pretium erit.

Ios. Creyghton S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

7 - SS. D. N. Pius Pp. XI

A — Bulla *Missio sui iuris,* 13 april. 1937, missio *sui iuris* de *Bezwada,* in Indiis Orientalibus, in dioecesim evehitur et erigitur ac Betsuadensis nuncupabitur (*AAS* XXIX [5 nov. 1937] p. 415 ss.).

NOTANDUM

Observes hic « Missionem sui iuris » statim, omissis gradationibus Praefecturae et Vicariatus Apostolicorum, evehi in dioecesim; ut hodie saepius iam contingit.

Ios. C., S. I.

B — Bulla *Quidquid Christi,* 13 april. 1937, a Vicariatus Ap.ci de *Taiku* territorio provincia civilis de *Zenra-Nando,* seu, alio nomine, de *Chonla meridionali,* seiungitur ac in novam erigitur Praefecturam Ap.cam, ex eiusdem provinciae urbe principe *Kwoshu,* quae coreanice *Koan-ju* audit, Kwoshuensem seu Koan-juensem nuncupandam (*AAS* XXIX [5 nov. 1937] p. 417 s.).

C — Bulla *Ad regni Dei,* 13 april. 1937, Ap.ca Praefectura de *Yenki,* in Manciuriano Imperio, eodem nomine iisdemque finibus servatis, ad Vicariatus Ap.ci gradum et dignitatem extollitur atque etiam in posterum, Congregationis Ottiliensis Ordinis S. Benedicti curis servabitur (*AAS* XXIX [5 nov. 1937] p. 419 s.).

D — Epistola *Laeto gratoque,* 25 april. 1937, Exc.mum P. D. IOANNEM PANICO, archiep.um tit. Iustinianensem ac Delegatum Ap.cum Australasiae, SS. D., Legatum Suum eligit ac renuntiat ut Quartum Concilium Plenarium Ordinariorum Australiense, Suo nomine Suaque auctoritate convocet, eiusque sollemnibus coetibus praesideat (*AAS* XXIX [5 nov. 1937] p. 429).

E — Bulla *Romani Pontifices,* 6 maii 1937, Pontificium Collegium Romenorum in Urbe constituitur. Diffusione fidei catholicae in territorio hodiernae Romaniae et tristi avulsione a Sede Romana breviter commemoratis, fuse describitur efformatio et evolutio dioecesium latinarum et eparchiarum orientalium usque ad felicem et sollemnem Conventionem Regni Romaniae cum S. Sede. Necessitate spirituali habendi clerum in proprio ritu bene formatum crescente, « Opportunum Nobis visum est, cui apta sacrorum alumnorum institutio et ad suorum rituum normas conformatio tantopere cordi est, illustrem etiam Romenorum gentem, quemadmodum ceteras nationes fere omnes, proprium hac in Alma Urbe id genus habere institutum » (*AAS* XXIX [5 nov. 1937] p. 420 ss.).

F — Bulla *Nostrae mentis,* 18 maii 1937, Praefectura de *Kweiteh,* eodem servato nomine, ad Vicariatus Ap.ci gradum et dignitatem extollitur. E territorio novi huius Vicariatus, civilis subpraefectura de *Kaocheng* seiungitur eaque finitimo Vicariatus Ap.ci de *Kaifeng* territorio adnectitur; ab hoc vero civilis subpraefectura de *Checheng* separatur et novo Vicariatui de *Kweiteh* unitur (*AAS* XXIX [5 nov. 1937] p. 426 s.).

G — Bulla *Non mediocri,* 18 maii 1937, Praefectura Ap.ca de *Changtien,* in Sinis, iisdem servatis finibus quibus modo circumscribitur, mutato vero nomine in de *Chowtsun,* ex urbe eiusdem Praefecturae principe, in Vicariatum Ap.cum extollitur atque erigitur ac Ordinis Fratrum Minorum Missionariis concreditur (*AAS* XXIX [23 dec. 1937] p. 462 s.).

H — Bulla *Quo melius,* 18 maii 1937, a Vicariatus Ap.ci de *Szepingkai* territorio octo subpraefecturae civiles separantur, idque territorium in Praefecturam Ap.cam de *Lintung* nuncupandam erigitur, atque apostolicis Societatis pro Mission. Exteris, Provinciae Quebecensis, curis concreditur (*AAS* XXIX [23 dec. 1937] p. 463 ss.).

I — Bulla *Supremum quo fungimur,* 18 maii 1937, ex Ap.ci Vicariatus Togonensis in Africa Occidentali territorio, civiles districtus de *Sokode,* de *Bassari,* de *Lamakara* et de *Sansane-Mango* seiunguntur atque territorium his districtibus efformatum, in novam Praefecturam Ap.cam, de *Sokode* nuncupandam, erigitur et constituitur atque apostolicis Societatis Lugdunensis Missionum ad Afros curis, concreditur (*AAS* XXIX [23 dec. 1937] p. 465 s.).

L — Epistola *Perquam gratum,* 27 maii 1937, SS. D., Em.um P. D. Iacobum Aloisium tit. S. Hieronymi Illyricorum S. R. E. Presb. Card. Copello, Archiep.um Bonaërensem, Legatum Suum deligit atque renuntiat, ut Congressui Eucharistico Nationali, in Assumptione de Paraguay Augusto mense peragendo, nomine Suo Suaque auctoritate praesideat (*AAS* xxix [5 nov. 1937] p. 430 s.).

M — Bulla *Si catholicum nomen,* 1 iun. 1937, Missio *sui iuris* de *Cuttack* in Indiis Orientalibus, in dioecesim, Cuttackensem nuncupandam, evehitur et erigitur atque apostolicis sodalium curis Congregationis Missionis, concredita manebit (*AAS* xxix [23 dec. 1937] p. 467 s.).

N — Epistola *Non sine peculiari,* 29 iun. 1937, SS. D., Em.um P. D. Eugenium tit. SS. Ioannis et Pauli S. R. E. Presb. Card. Pacelli, a Secretis Status, Legatum Suum a latere eligit et constituit, ut Suam gerens personam sacris ritibus ac caerimoniis, quibus novae Basilicae Lexoviensi in honorem S. Theresiae a Iesu Infante benedicetur, nomine Suo Suaque auctoritate operetur (*AAS* xxix [5 nov. 1937] p. 432 s.).

O — Epistola *Haud parva animi,* 5 iul. 1937, ad Em.um P. D. Alfridum Ildefonsum tit. SS. Silvestri et Martini in Montibus, S. R. E. Presb. Card. Schuster, Archiep.cum Mediolanensem, sollemnia pro centenaria celebratione erectionis Congregationis Gallicae Ordinis S. Benedicti in Abbatia Solesmensi, non modo dilaudat commendatque, verum etiam Sua ipsa gratulatione ac perlibenti animo participat (*AAS* xxix [23 dec. 1937] p. 469 s.).

P — Bulla *Missionalium rerum,* 14 sept. 1937, ad Em.um P. D. Petrum S. R. E. Presb. Card. Fumasoni Biondi S. C. de Prop. Fide Praefectum, SS. D. de christianae artis quae in missionum regionibus et in Orientalis ritus Ecclesia colitur expositione, in Vaticano A. D. mdccccxl habenda, agit, eidemque Em.mo Card. Expositionis huius ordinandae instruendaeque munus concredit (*AAS* xxix [5 nov. 1937] p. 413 ss.).

Q — Allocutio SS. Patris 24 dec. 1937, ad Em.os et Rev.os DD. Cardinales Summo Pontifici fausta adprecantes ad festum Natalis Domini et initium Novi anni. Postquam SS. Pater Em.o Decano Sacri Collegii gratias egit, duo se dixit adiungere velle: alterum ad declarandum factum, alterum ad stabilienda principia, adiecta forti protestatione.

Et primum quidem factum declarandum esse: ab aliquo enim tempore coeptum esse negare et detorquere facta, maxime unum factum dolorosum et poenosissimum, persecutionem scilicet religiosam in Germania. Nam, ut dixit SS. Pater, nolle de se repeti illud antiqui cuiusdam Historici: « Vera etiam rerum perdidimus nomina ». ... SS. Pater ait se velle res vero suo nomine vocare: esse in Germania persecutionem religiosam. Esse quidem iamdudum, qui affirmarent et persuadere studeant, non esse ibi persecutionem: se scire esse, et gravem. Immo raro umquam fuisse persecutionem tam gravem, tam formidolosam, tam poenosam, tam tristem secundum intimos suos effectus. Esse persecutionem, cui neque desit violentia, neque minae, neque circumventiones astutiae mendaciique.

Ad secundum dixit SS. Pater, neminem in Germania ignorare, id quod saepe a multis repetitum sit, se fuisse et esse amicum Germaniae, cum paucas regiones ut Germaniam cognoscat: electam elegantemque, distinctam scientia, ingenio, cultura et liberis artibus... Tanto tristiore animo Summum Pontificem commemorare, quantopere peccetur in illa terra contra veritatem: non solum circa suam personam — hoc facilius, multo facilius toleraret — sed quod peius sit, de iis, quae menti et cordi suo sint carissima, de quibus respondere debeat coram Deo et hominibus, scilicet de Hierarchia catholica, de religione catholica, de Sancta Dei Ecclesia, cuius curam Divina bonitas vicario Suo in terris concrediderit. Esse enim qui dicant religionem catholicam iam non esse catholicam, sed politicam, et hoc praetextu iustificare velint persecutionem, quasi non esset persecutio, sed veluti defensio; ita fieri, ut filii dilectissimi una cum Patre de eodem accusentur, de quo Dominus noster, cum eum tradidissent Pilato et omnes accusarent de politica, de usurpatione, de conspiratione contra regnum politicum, de inimicitia contra Caesarem... Et Dominum tranquillitate Sua divina respondisse: Regnum meum non est de hoc mundo... Haec et Nos — prosequitur Sua Sanctitas — dicere possumus. Si faceremus politicam, quam Nobis attribuunt, in istis clamoribus belli et praeparationum belli etiam Nobis pars vel exigua esset. Non ita. Summus Pontifex non indiget his: Regnum meum non est de hoc mundo. Papa non agit politicam... Nos agimus religionem, neque aliud quidquam intendimus. ... Sane volumus — inquit Sua Sanctitas — ut etiam in vita civili, humana, sociali ratio habeatur eorum quae Dei sunt et quae simul sunt etiam animarum. Id unum semper egimus. Qui aliud cogitat et dicit, contra veritatem dicit. Et

hoc ipsum dolore maximo afficit Summum Pontificem: accusatio scilicet frequenter repetita de abusu religionis. Pessima enim res est abuti religione ad fines politicos. Hanc autem veri nominis calumniam ferri contra tot venerabiles Suos fratres in episcopatu, contra honorata membra Sacri Collegii, contra tot sacerdotes, tot bonos fideles, qui de nullo alio solliciti sint nisi ut oboediant Legi Dei... Hanc protestationem dixit SS. Pater se facere quam clarissimam et altissimam coram toto mundo: Nos agimus religionem, non agimus politicam. Nemo ignorat, nemo non videt, qui tamen videre vult. Hanc proclamationem veritatis factam esse ad solamen horum Suorum fratrum in episcopatu, sacerdotum fideliumque, qui tanta patiuntur in hac persecutione tam iniusta et tam aliena a veritate, qui imprimis dolore afficiuntur hac ipsa calumnia, ultra quam vix addi potest dolor acerbior ad passiones omnis generis illius persecutionis. Sciant Papam esse cum eis (Ex *L'Osservatore Romano* LXXVII, n. 300 [25 dec. 1937]) (1).

R — Litterae de ecclesiis:

Brevi *Inter praecipua*, 12 iul. 1937, Templum SS.mi D. N. I. C. Crucifixi, vulgo de « Buga », dioecesis Caliensis in Columbiana Republica, titulo ac dignitate Basilicae Minoris condecoratur, illique privilegia tribuuntur, quae de iure competunt (*AAS* XXIX [5 nov. 1937] p. 428).

8 - S. C. Consistorialis

Decreto 27 febr. 1937, fines inter dioecesim S. Mariae Ormensis et dioecesim Pembrokensis pressius determinantur (*AAS* XXIX [23 dec. 1937] p. 472 s.).

9 - S. C. de Prop. Fide

Designatio Ordinarii pro appellatione:

Vicarius Ap.cus de Alaska designavit pro appellatione tribunal Vicariatus Ap.ci Yukonensis et Principis Ruperti (rescr. 21 oct. 1937; *AAS* XXIX [23 dec. 1937] p. 479.

(1) Sermo iste nunc etiam prodiit apud *AAS* XXX [31 ian. 1938] p. 20 ss.

10 - S. C. Rituum

Causae beatificationis et canonizationis:

1 - *Romana seu Westmonasterien.* Decretum 16 maii 1937, Super dubio: *an constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico* beatificationis et canonizationis Servi Dei Dominici a Matre Dei, sacerdotis professi e Congregatione Crucis et Passionis D. N. I. C. (*AAS* xxix [23 dec. 1937] p. 479 ss.).

2 - *Parisien.* Decretum 27 maii 1937, Super dubio: *an constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum cum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico* beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Annae Mariae Javouhey, fundatricis Instituti Sororum a S. Ioseph de Cluny (*AAS* xxix [23 dec. 1937] p. 483 ss.).

3 - *Claritana.* Decretum 27 iun. 1937, Super dubio: *an et de quibus miraculis constet, post indultam Beato ab Apostolica Sede venerationem* canonizationis B. Salvatoris ab Horta, laici professi Ordinis Fratrum Minorum (*AAS* xxix [23 dec. 1937] p. 486 ss.).

11 - Provisio Ecclesiarum

A — *SS. D. praeficere dignatus est in Consistorio secreto die 13 dec. 1937 habito*:

R. D. Adelchim Albanesi, cathedrali ecclesiae Balneoregiensi.

R. D. Iosephum Ruotolo, cathedrali ecclesiae Uxentinae.

R. D. Hyacinthum a Tergeste (in saeculo Ioannem Ambrosit) O. F. M. Cap., cathedrali ecclesiae Clodiensi.

B — *SS. D. praeficere dignatus est in Consistorio secreto die 16 dec. 1937 habito*:

Exc. P. D. Thomam Mc Laughlin, cathedrali ecclesiae Patersonensi, nuper erectae.

R. D. Michaëlem Acebedo, cathedrali ecclesiae Calbayoganae.

R. D. Emmanuelem Mascarinas, cathedrali ecclesiae Palensi, nuper erectae.

R. D. Franciscum Cotton, cathedrali ecclesiae Ovensburgensi, nuper erectae.

R. D. Bartholomaeum Eustace, cathedrali ecclesiae Camdensi, nuper erectae.

R. P. Iosephum Felicem Heredia, S. I., cathedrali ecclesiae Guayaquilensi.

C — *Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt*:

29 aug. 1937, R. D. Gregorius Adam, cathedrali ecclesiae Valentinae.

1 oct. 1937, R. D. Michaël Darius Miranda, cathedrali ecclesiae Tulancingensi.

13 oct. 1937, R. D. Eugenius Mc Guinnes, cathedrali ecclesiae Raleighiensi.

9 dec. 1937, Exc.us P. D. Thomas Iosephus Walsh, ecclesiae Novarcensi, nuper in metropolitanam erectae.

9 dec. 1937, Exc.us P. D. Ioannes Floersh, ecclesiae Ludovicopolitanae, nuper in metropolitanam erectae.

D — *Decretis S. C. de Prop. Fide nominati sunt*:

1 iul. 1937, R. P. Paulus Aijiro Yamaguchi, e clero iaponensi, cathedrali ecclesiae Nagasakiensi.

12 aug. 1937, R. P. Thomas Roberts, S. I., metropolitanae ecclesiae Bombayensi.

25 sept. 1937, R. P. Hieronymus Fernández, e clero saeculari indigena, cathedrali ecclesiae Quilonensi.

9 nov. 1937, Exc. P. D. Ioannes Alexius Chambon, cathedrali ecclesiae de Yokohama in Japonia.

2 dec. 1937, R. D. Petrus Doi Tatsuo, e clero iaponensi, metropolitanae ecclesiae Tokiensi.

2 dec. 1937, R. P. Leo Proserpio, S. I., cathedrali ecclesiae Calicutensi.

N. B. *Spatio angustiati, consuetas rubricas* Nominationes *et* Necrologium *seponimus in fasciculum alterum.*

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

Ex Periodicis

LA CITE CHRETIENNE XII (1937), fasc. 264 (20 Dec.) — GEORGES TELLERMAN, *La Morale dans les affaires*, p. 109-11.

ID. XII (1938), fasc. 266 (20 Ian.) — GEORGES TELLERMAN, *La place de la morale dans les affaires*, p. 176-8.

COLLATIONES GANDAVENSES XXIV (1937), fasc. 4 (Nov.) — F. BLATON, *Matrimonium initum cum conventione servandae continentiae periodicae*, p. 295-7.

COLLATIONES NAMURCENSES XXXII (1938), fasc. 1 (Ian.) — G. KOERPERICH, *De baptismo adultorum*, p. 1-10.

COLLATIONES TORNACENSES XXXIII (1938), fasc. 2 (Ian.) — A. PASTURE, *La sorcellerie à l'époque moderne. Son origine. Sa répression*, p. 80-99.

COLLECTANEA MECHLINIENSIA XXVII (1938), fasc. 1 (Ian.) — P. GILLET, *De taxis funeralibus et portione paroeciali*, p. 52-5.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO XLVIII (1937), fasc. 10-11 (Oct.-Nov.) — Prof. ARTURO CARLO JEMOLO, *Le idee sociali nel Codex iuris canonici*, p. 425-35.

EPHEMERIDES LITURGICAE LI (1937), fasc. 4 (Oct.-Dec.) — C. CALLEWAERT, *Qu'est-ce que l'« Oratio super populum »?*, p. 310-8.

IL MONITORE ECCLESIASTICO LXII (1937), fasc. 11 (Nov.) — M. PISTOCCHI, *De poenis medicinalibus seu de censuris* (contin.), p. 323-31.

ID. LXII (1937), fasc. 12 (Dec.) — Mons. PISTOCCHI, *Effetti delle censure* (contin.), p. 362-9.

PALESTRA DEL CLERO XVI (1937), vol. II, fasc. 16 (1 Dec.) — MANCINI-BUTTIGNONI-FILOCALO, *Delegazione a matrimonio data*

fuori parrocchia, p. 364-70. — Sac. Argeo Mancini, S. S., *La comunione pei defunti*, p. 378-80.

ID. xvii (1938), vol. I, fasc. 3 (20 Ian.) — Mons. P. Avv. Vito, *Del modo di proporre l'appello*, p. 61-2.

PASTOR BONUS xlviii (1937), fasc. 5 (Aug.) — *** *Die kirchliche Auffassung von der Patenschaft*, p. 144-6.

ID. xlviii (1937), fasc. 8-9 (Nov.-Dec.) — Karl Krammer, *Die Pfarrbücher und die neue Zeit*, p. 221-7.

THEOLOGISCH-PRAKTISCHE QUARTALSCHRIFT xli (1938), fasc. 1 — Dr. Jos. Grosam, *Die soziale Gerechtigkeit im Sinne der Enzyklika Quadragesimo anno*, p. 40-57. — Dr. Prof. Franz Triebs, *Lose Blätter zum kanonischen Prozess*, p. 57-73. — Dr. Johann Litschauer, *Das Ehehindernis des Katholizismus in Oesterreich nach dem Konkordate*, p. 89-94.

THE CLERGY REVIEW xiii (1937), fasc. 12 (Dec.) — Bernard Goode, *The « Remedies » for Communism*, p. 433-8.

RIVISTA DEL DIRITTO MATRIMONIALE ITALIANO iv (1937), fasc. 12 (Dec.) — Mario Calamari, *Adulterio e separazione in diritto canonico e in diritto concordatario*, p. 577-605. — Prof. A. Pugliese, *Avvocati e Procuratori nelle cause matrimoniali ecclesiastiche*, p. 606-18.

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Addendum quoddam in textu Missalis Romani

Mirantur quidam quod in textu Breviarii Romani ante singulas orationes pro voce « Oremus », quae est pronuntianda, ponatur constanter nomen *Oratio,* quod recitandum non est et ideo rubro charactere exhibetur. Res tamen facile explicatur. Vox « Oremus » cum salutatione « Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo », quae pariter orationibus praemitti solet, pars *Ordinarii* est in divino officio et re vera in isto *Ordinario* suis locis reperitur. Nomen vero *oratio,* sicut alia plura, ut puta, *psalmus, capitulum, lectio, hymnus, antiphona, versiculus,* quae omnia rubris litteris impressa sunt, indicat quaenam sit natura formulae cui praefixa est et plane congruit cum rubrica *Ordinarii* quae praescribit ut suo tempore dicatur « oratio conveniens ».

Eodem modo se res habere videntur etiam in Missali, quoniam in eo quoque singulae orationum formulae suis quaeque nominibus notatae sunt: *Oratio, Secreta, Postcommunio,* verbum autem « Oremus » ante illas semper deest. Attamen praeter exspectationem et contra rationem in Breviario servatam, formulae salutationis atque hortationis: « Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo », « Oremus » in missae *Ordinario* (1) ubique desiderantur, nimirum ante

(1) *Ordinarium* missae inscriptum est in Missali Romano *Ordo missae;* quod nomen rem minus perfecte nobis significare videtur quam alterum. Ordo dumtaxat rationem ostendit qua ritus et preces

collectam, ante secretam et ante postcommunionem. Adsunt quidem duobus prioribus locis (1), at mediis in rubricis dumtaxat et characteribus minoribus expressae. Iubetur videlicet celebrans verba depromere quae nusquam in textu missalis legere potest. Rubricae namque formulas commemorant, non exhibent, neque sunt in ipsa missae celebratione recitandae vel etiam legendae. Ante postcommunionem autem ne mentio quidem fit formularum salutationis atque hortationis ad orandum (2).

At cum res facillime perfici possit, nonne praevidere fas est fore ut in proxima Missalis romani editione textus *Ordinarii* missae in paucis iis locis quos indicavimus, ad maiorem suam perfectionem assequendam compleatur?

I. M. Hanssens, S. I.

Quaesita varia de religiosis

1 - *De licentia a religiosis requisita ut Universitates laicas frequentent;* 2 - *De translatione Noviciatus ab uno situ in alium situm eiusdem loci;* 3 - *De testamento Noviciorum.*

I

Quaesitum I: An Superior Maior religiosorum egeat licentia Ordinarii loci ad hoc ut permittat subditos frequentare Universitates non-Catholicas?

Resp.: Decretum 30 aprilis 1918, S. Cong. Consistorialis, circa clericorum frequentiam in laicis universitatibus, sub

---

ordinandae sunt, Ordinarium praeterea, immo imprimis, formulas fixas continet ac proponit. Pars fixa Breviarii ideo recte inscripta est *Ordinarium divini Officii.*

(1) Salutationem enim et hortationem ad orandum quae offertorium antecedit, ad secretam referimus.

(2) Mendum huic oppositum apparet in tota ultima parte eiusdem *Ordinarii,* ubi rubricae, rubro quidem colore, at iisdem characteribus eodemque contextu quo ipsae formulae, impressae sunt. Quae ratio praeterea parum elegans est.

N. 5 haec habet: « Haec omnia quae de clero saeculari sunt dicta, religiosos etiam regulares, *congrua congruis referendo,* sunt applicanda ». Uti in ipso decreti praeambulo affirmatur, decretum *confirmat* ordinationes anteriores de hac re quas in suo pleno robore permanere declarat. Iamvero ordinationes anteriores de hac re sunt tres, in ipso decreto indicatae: scl. Instructio S. Cong. EE. et RR. diei 21 iulii 1896; Encyclica *Pascendi* diei 7 sept. 1907, et Motu Proprio diei 1 sept. 1910 quod incipit *Sacrorum Antistitum.* Videamus singulos hos fontes.

Instructio S. C. EE. et RR. edita « pro omnibus Episcopis et Superioribus Ordinum Religiosorum et Congregationum Italiae », ita ordinavit:

N. 2. « Nemo e clero saeculari regias universitates frequentet absque expressa venia sui episcopi, qui in ea concedenda id tantum prae oculis habeat, quod dioecesis necessitas exigit ut in institutis ad docendum destinatis, quae vel erecta vel erigenda sunt, habeantur magistri idonei et laurea praediti ».

N. 3. « Ordines et Congregationes quae docendi munus non exercent, suos alumnos ad regias universitates non mittant. Novicii autem eorum Ordinum et Congregationum quae docendi munus exercent, numquam ad universitates mittantur; nec eas professi frequentent, quin prius expressam Superioris Generalis licentiam habuerint, qui eam iis tantum concedet, qui ipsorum collegiis et scholis necessarii et sufficientes sunt ».

Encyclica *Pascendi* sub N. 44, II, haec habet: « Quae de celebrandis universitatibus sacrum Consilium Episcoporum et Religiosorum negotiis praepositum clericis Italiae tum saecularibus tum regularibus praecepit anno 1896, ea ad nationes omnes posthac pertinere decernimus ». Motu Proprio vero *Sacrorum Antistitum* sub N. II nihil facit nisi repetat verba Encyclicae *Pascendi.*

Pro clericis religiosis igitur requiritur et sufficit expressa licentia Superioris Generalis. Nullibi enim, in quan-

tum scimus, requiritur ut habeant praeterea licentiam Ordinarii loci. Superiores vero religiosi perspectas habere debent additiones in Decreto S. Cong. Consistorialis supra citato, praesertim scl. N. 1 « Nullus ad laicas Universitatum facultates destinetur nisi sacerdotio iam auctus, quique spem bonam ingerat fore ut sua agendi ratione ecclesiastico ordini honorem tam ingenii vi et perspicacia, quam sanctitate morum adiciat » et N. 3: « Qui pro hac norma ad universitates laicas frequentandas destinabuntur sacerdotes, si novensiles sunt, ab examinibus quae in can. 130 et 590 praescripta sunt, minime eximantur, quin potius eadem subire strictius iubeantur, ne, profanarum scientiarum studio abrepti, ecclesiastica studia praetereant, contra praescriptum can. 129 ».

II

Quaesitum II: Noviciatus noster debitis cum licentiis erectus erat in civitate A. Nuper occasio data est obtinendi domum ampliorem in alia parte eiusdem civitatis. Superiores bona fortuna gaudentes sed de licentia forte requisita non cogitantes, noviciatum ad novam domum transtulerunt. An noviciatus licite ad novam sedem translatus est?

Resp.: Primum tractanda est alia quaestio generalior, scl. an licentia requiratur ad translationem domus religiosae? Licentia enim data ad erigendam domum religiosam ad normam can. 497 § 1 est pro determinato loco, e. g. pro tali civitate, urbe, municipio vel pago. Si est quaestio transferendi domum religiosam legitime erectam ab uno loco (civitate, oppido) in alium locum (civitatem, oppidum) nemo est qui negat omnes sollemnitates pro erectione domus in can. 497 § 1 requisitas observandas esse, nam talis translatio novae fundationi aequivalet.

Si vero translatio domus fit *ab uno situ in alium situm eiusdem loci* sententia sat communis tum ante (1) tum

(1) Schmalzgrueber, III, tit. 36, n. 41; Ferraris, *Bibliotheca*, s.v. *Conventus*, art. 1, nn. 11, 12, 46; Piat, *Praelectiones*[3], II, Q. 338; Bouix,

post (2) Codicem tenet veniam neque Sanctae Sedis neque Ordinarii loci requiri, nam talis translatio ab uno situ in alium situm eiusdem loci nova fundatio dici nequit, quia domus eadem pro qua iam data est licentia intra eandem civitatem vel oppidum remanet, neque generatim talis licentia determinatur ad situm specificum in loco. Aliter utique dicendum esset si licentia ad erectionem ab Ordinario loci concessa ita fuit limitata ut explicite vel implicite translationem intra locum excluderet. Neque nunc loquimur de translatione ecclesiae de qua in can. 1162 § 4, neque de licentia requisita ad alienandam domum a qua fit translatio; sed supponimus translationem domus religiosae qua talis, non sensu physico sed sensu formali, scl. personae moralis.

Nunc relate ad translationem noviciatus, clarum est ex can. 554 § 1 beneplacitum apostolicum ad eius *erectionem* requiri. Sed noviciatus erigi potest vel ut pars segregata alicuius domus religiosae praeexsistentis, vel ut domus distincta cum propria personalitate iuridica.

Supponamus noviciatus canonice erectum non gaudere personalitate iuridica sed esse partem alicuius domus religiosae iam erectae, cui inhaeret. Non potest transferri ab hac domo in aliam sine novo beneplacito apostolico, quia licentia erigendi noviciatum praecise pro hac domo erat data. Sed si ipsa domus religiosa cuius pars est noviciatus ab uno situ in alium eiusdem loci transfertur, nulla specialis licentia requiritur, nam noviciatus pars eiusdem domus remanet ac antea.

Neque in casu in quo noviciatus est domus distincta cum personalitate iuridica requiritur specialis licentia ut de uno situ in alium situm eiusdem loci transferatur; talis

---

Ius Reg.[3] II, p. 258; Vermeersch, *De Religiosis*[2], I, n. 115; Wernz, *Ius Decretalium*[2], III, n. 618; Ojetti, *Synopsis*[3], n. 1598.

(2) Larraona, in *Commentarium pro Rel.* V (1924) p. 419 ubi nostram sententiam post Codicem praxi etiam in Urbe recepta confirmatam defendit; Schaefer, *De Religiosis*[2], n. 87; Matthaeus Conte a Coronata, *Institutiones*, I, n. 525; Chelodi, *De Personis*[2], n. 249, d.; Berutti, *Institutiones*, III, n. 17; Goyeneche, *Principia*, II, n. 14, in nota 35, p. 28.

enim translatio non importat novam erectionem noviciatus sed domus noviciatus iam legitime erecta in illo loco, non a loco in alium, sed tantum de uno situ in alium situm eiusdem loci transfertur.

Ex dictis sequuntur hae quinque conclusiones:

1 - Translatio noviciatus *a domo in domum* consensu quidem Ordinarii loci non indiget cum res ad internum regimen referatur (can. 497 § 4); semper vero novam Sanctae Sedis licentiam requirit, quia prior erectio certae domui adhaerebat.

2 - Si domus cuius pars est noviciatus, *ab uno situ in alium eiusdem loci* transfertur, nulla licentia requiritur, cum noviciatus pars manet eiusdem domus in qua erecta erat.

3 - Si domus cuius pars est noviciatus *ab uno loco* (*civitate, etc.*) *in alium* transfertur, licentia tum Sanctae Sedis tum Ordinarii loci requiritur, non quidem propter translationem noviciatus qui manet pars eiusdem domus, sed quia domus translatio novae fundationi aequivalet.

4 - Si noviciatus est domus distincta personalitate iuridica gaudens, licentia non requiritur ut transferatur ab uno situ in alium eiusdem loci, quia non est translatio noviciatus ab una domo in aliam, sed ipsa domus noviciatus quae est persona iuridica transfertur ad alium situm eiusdem loci.

5 - Si noviciatus est domus separata, personalitate iuridica gaudens, non potest transferri *ab uno loco* (*civitate, oppido*) *in alium*, sine licentia tum Sanctae Sedis tum Ordinarii loci quia talis translatio novae domus fundationi aequivalet.

N. B. In omnibus casibus translationis noviciatus supponimus novam sedem esse aptam ad institutionem novitiorum, sed de hac re non est nunc sermo.

III

QUAESITUM III: Cum novicii tempore professionis, saepe nulla bona habeant, prohibeturne magistro noviciorum suadere illis ut omnia bona forte obventura genitoribus in testamento relinquant ea intentione ut, mortuis parentibus et testamento ita nullo effecto, possint, adiunctis melius cognitis, de bonis interim receptis testamentum novum legitime condere sine licentia; an debet novicius ita agere ut in quantum possibile est, studeat omnia praevidere et sic vitare necessitatem testamentum mutandi?

Resp. Mens can. 569 § 3 est ut novicius testamentum *libere* condat. Magister noviciorum igitur nullo modo sese ingerere debet in testamento condendo. Etiamsi tempore professionis novicius nulla bona habeat, testamentum tamen condere debet de bonis forte obventuris. Si postea, quando bona forte acquirit, circumstantiae mutatae sint et velit alium esse beneficiarium testamenti sui, nulla adest difficultas insuperabilis. Can. 583 2° non prohibet absolute mutationem testamenti, sed tantum prohibet ne sine licentia Sanctae Sedis mutetur, quae licentia conceditur « ob nova adiuncta quae orta sunt » (1). Sapiens dispositio canonis prohibet ne religiosus, rationibus levibus adductus, testamentum ad libitum mutet, et ita nimis facile praeoccupationibus temporalibus absorbeatur. Quando autem adsunt graves rationes, de quibus Sancta Sedes iudicat, dispensatio mutandi testamentum datur. Ita stabilitas et tranquillitas animarum in religione providetur.

ADAMUS ELLIS, S. I.

---

(1) Haec clausula occurrit in formula indulti S. Congr. de Religiosis pro mutatione testamenti.

Nota liturgica

Ephemerides Liturgicae mensis septembris-octobris 1937 (1) publici iuris fecerunt responsa data a S. R. C. die 3 martii 1936 Exc. Episcopo Brunensi, quae, etsi in *AAS* non promulgata, momento tamen non carent, cum nonnullas quaestiones solvant de quibus inter auctores et redactores Kalendariorum non una erat sententia.

1 - *De benedictione gutturis S. Blasii.* — Conceditur Episcopo Brunen. facultas ut haec benedictio, quae iuxta Rituale fieri debet in festo S. Blasii, die 3 februarii, dari valeat dominica festum S. Blasii insequenti, et quidem tota die et candelis non accensis (Resp. ad I).

2 - *De occurrentia festi pretiosissimi Sanguinis cum Octava Sacratissimi Cordis.* — Vertente hoc anno 1938, festum pretiosissimi Sanguinis occurrit in die octava Sacr. Cordis Iesu. Officium, ut patet, fieri debet de pretiosissimo Sanguine omissa propter identitatem mysterii commemoratione octavae; sed difficultas oriri potest circa doxologiam adhibendam. Festum etenim pretiosissimi Sanguinis non habet doxologiam propriam ac proin, iuxta Rubricas (*Add. et Var. in Rubr. Brev.* VIII, 1) adhibenda videtur doxologia propria octavae, etsi non commemoratae. Et, de facto, in multis Kalendariis praescribitur doxologia Sacr. Cordis usque ad Nonam inclusive. Sacra vero Congregatio respondet hanc doxologiam Sacr. Cordis in casu non esse adhibendam, neque si festum pretiosissimi Sanguinis occurrit in die octava sacratissimi Cordis, neque si occurrit in die infra octavam (Resp. ad II).

De versu in casu adhibendo ad Primam controversia haberi nequit, cum festum pretiosissimi Sanguinis habeat Versum proprium; idemque dicendum de Praefatione cum

(1) *Ephemerides liturgicae*, LI (1937) p. 130 ss.

Missae de pretiosissimo Sanguine adscribatur ut propria Praefatio de Cruce.

3 - *De Missa in Dedicatione ecclesiae.* — Peracta Dedicatione ecclesiae, inde a Tertia, dicitur sub ritu duplici 1 classis cum octava communi Officium Dedicationis, nisi tamen occurrat unum ex Officiis quae iuxta Rubricas cuilibet Festo particulari sunt praeferenda, itemque celebratur Missa sollemnis de Dedicatione, etiam si eius Officium ab Officio nobiliori impeditum fuerit, nisi tamen occurrat duplex 1 classis Domini primarium Universalis Ecclesiae vel Dominica Palmarum (1). In hac Missa sub prima conclusione additur oratio de Mysterio vel Sancto in cuius honorem ecclesia dedicata est, dein fiunt tantum commemorationes quae Missae votivae sollemni conveniunt, scilicet: de duplici 1 classis forte occurrentis, de dominica quavis, etiam anticipata, et ante commemorationem dominicae minoris vel vigiliae Epiphaniae, de quolibet Festo Domini in dominica occurrenti, de Feria maiori, de Rogationibus, et de aliqua ex Vigiliis, aut Octavis privilegiatis (*Add. et Var. in Rubr. Miss.* v, 3). In hac Missa de Dedicatione numquam dicitur Praefatio Missae seu Officii commemorati vel Octavae quae non sint de aliquo Mysterio Domini, nec Praefatio de Tempore Quadragesimae (*Add.* VIII, 2), sed horum loco dicitur Praefatio communis (*Rubr. spec. in hac Missa*). Sed, si Dedicatio peracta est in Dominica (extra Tempus Quadragesimae), dicitur iuxta Rubricas Praefatio de Ss.ma Trinitate, vel de Tempore Paschali, vel de Octava privilegiata Domini. Attamen, si ecclesia dedicata fuerit in honorem Domini Nostri IESU CHRISTI, vel alius Mysterii Domini, dicenda erit Praefatio huius Mysterii propria (Resp. ad III). Item, si Dedicatio facta fuerit in dominica in qua occurrit festum aliquod Domini, praefatio dicenda erit huic Festo propria (Resp. ad. IV).

(1) His diebus commemoratio tantum Dedicationis et Titularis additur in Missa diei sub prima conclusione.

Tandem, si ecclesia dedicatur in honorem Annuntiationis, Assumptionis, Visitationis, in Missa addenda erit oratio e Missa Annuntiationis, Assumptionis aut Visitationis, etsi hae Missae ut votivae dici non possunt, non vero oratio de Communi Festorum B. M. V. (Resp. ad v).

4 - *De Missa Omnium Sanctorum Pontificum S. R. Ecclesiae.* — Huic Missae competunt *Credo* et Praefatio Apostolorum, ratione sui, non vero tantum ob octavam Apostolorum, in qua generatim occurrit hoc festum; ac proin, etiam si celebretur extra praedictam Octavam, dicenda sunt (Resp. ad vi).

5 - *De Missa votiva Sanctissimi Sacramenti celebranda in Feria VI post Octavam Ascensionis.* — In hac Feria, sive Officium sit de Feria, sive de occurrente Festo, prohibetur Missa votiva privilegiata Sacratissimi Cordis, eiusque loco celebranda est Missa de ipsa Feria sine commemoratione; eadem prohibitio non habetur relate ad Missam votivam de Sanctissimo Sacramento celebrandam infra Orationem xl Horarum, aut, supposito privilegio, in Adoratione perpetua (Resp. ad vii). Et ratio differentiae patet: Missa enim privilegiata de Sacratissimo Corde prohibetur in *quocumque* Festo Christi Domini, cui aequiparatur haec Feria; Missa contra votiva de Sanctissimo Sacramento non prohibetur nisi in Festis et infra Octavas *de identico Domini Mysterio* (1).

6 - *De ordine commemorationum in Missa Sollemnitatis in Dominicam translatae.* — Ordo commemorationum idem est in Missa atque in Laudibus, ac proin primo semper loco fit commemoratio de Dominica qualibet vel de Vigilia Epiphaniae, nisi tamen occurrat aliquod Festum Domini quod Officio Dominicae minoris aut Vigiliae in occurrentia praefertur, quodque ante praedictam Dominicam

(1) Decr. 27 apr. 1927; cf. *Periodica* xvi (1927) p. 46. Patet idem dicendum de ceteris Festis Christi Domini quae non versantur circa identicum Domini Mysterium.

minorem aut Vigiliam commemoratur (*Add. et Var. in Rubr. Brev.* VII, 5). Haec tamen regula extendi non debet ad illas extraordinarias commemorationes quae in Missis votivis vel de sollemnitate externa occurrere possunt, ut puta, de duplici 1 vel 2 classis, quae, ut sufficienter patet ex Add. et Var. in Rubr. Miss. v. 3, praemittenda est commemorationi dominicae (Resp. ad VIII). Inde etiam consequens est in hac Missa de Sollemnitate, si propriam Praefationem non habeat, dicendam esse Praefectionem forsam propriam huic Festo duplici 1 vel 2 classis (*Add.* VIII).

7 - *De Orationibus de Tempore in Missa de Dominica infra Octavam occurrente.* — Orationes de Tempore omittuntur in quavis Dominica, si fiat commemoratio alicuius octavae (*Add.* VI, 1) idemque profecto dicendum de Dominicis anticipatis, vel quod ad officium repositis, quippe quae omnibus iuribus dominicae gaudeant. Sed contra, plerumque Redactores Kalendariorum tertiam orationem de Tempore addendam praescribebant, quando, iuxta *Add.* I, 6, Missa alicuius Dominicae sua die ab Officio nobiliori impedita reponenda erat in die infra octavam. Talis enim Missa iura Missae dominicae non videtur servare, ut patet ex eo quod illa Missa dicenda est sine *Gloria* et sine *Credo*, et quod in ea adhibenda est Praefatio communis pro Praefatione de Ss.ma Trinitate. Nihilominus, in casu, tertia oratio de Tempore non est addenda (Resp. ad IX).

8 - *De Missa de Requie in Quadragesima et in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum.* — In Quadragesima permittuntur Missae cotidianae defunctorum lectae prima tantum die cuiusque hebdomadae, in qua, extra Quattuor Tempora et Vigilias, fiat de Festo semiduplici aut de Feria non privilegiata iuxta Kalendarium ecclesiae in qua celebratur (*Add.* III, 9). Talis Missa celebrari potest prima huiusmodi die libera post Cineres, etiam si in Feria II vel III post Dominicam Quinquagesimae tales Missae iam permissae fuerant (Resp. ad X). De quo dubitari pot-

erat, cum in casu, haec dies non sit simpliciter *prima* dies libera *hebdomadae*. Dicendum ergo haec verba Rubricae intellegenda esse de prima die hebdomadae *infra Quadragesimam* libera.

In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum primam Missam adhibere debet qui Missam cum cantu celebrat (*Rubr. spec. huius diei*). Haec tamen regula non est ita rigorose accipienda quasi numquam liceat alteram vel etiam tertiam Missam cantare, ut luculenter patet ex ipsa Rubrica quae pro funere alicuius defuncti in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum peragendo adhibendam praescribit secundam vel tertiam Missam in ecclesiis et oratoriis ubi prima Missa sollemniter iam celebrata fuerit, aut pro Officio diei sit dein celebranda (*Add.* III, 4). Pronum erat inde concludere diversa formularia item adhibenda esse, aut saltem adhiberi posse a sacerdote qui in *diversis* ecclesiis Missam cantare debet. Nihilominus, in singulis ecclesiis cantanda est prima Missa (Resp. ad XI), ita ut secundam vel tertiam Missam cantare non liceat, nisi prima iam fuerit in *hac* ecclesia cantata.

9 - *De benedictione nuptiarum.* — Si in una eademque Missa plures nuptiae sunt benedicendae, orationes tamen omnes recitandae sunt ut iacent in Missali, hoc est, numero singulari (Resp. ad XII) (1).

IOS. PAUWELS, S. I.

Notandum

(*De novis Statutis piae Unionis Cleri pro Missionibus*)

Annotationes, quas dedimus in nova Statuta piae Unionis Cleri pro Missionibus, supra, p. 69-95, mox vulgabun-

(1) Cum tenor Rescripti de quo cl. Auctor disserit sufficienter resultat ex hoc articulo, superfluum visum est ipsum Rescriptum inter Monumenta integre referre (*Redact.*).

tur una cum ipsis Statutis in primo Annuario piae Unionis, ab eiusdem Secretariatu Internationali edendo (Romae 1938); additis tamen quarundam novarum quaestionum resolutionibus, inter quas hae potissimum sunt notandae:

1 - utrum Missionarii, de quibus art. 13 Statutorum, eo ipso sint membra piae Unionis; et respondimus *negative;*

2 - utrum munus Directoris Nationalis, de quo art. 27 et 28, sustineri possit ab una eademque persona, qui iam est Director Operum Pontificalium Missionalium; atque, excussis commodis et incommodis huiusmodi cumulationis, ad sequentes pervenimus normas practicas:

a - ubi id fieri potest, statim sunt nominandi Directores speciales pro pia Unione et Operibus;

b - ubi id fieri non potest, curandum ut mature futuri Directores praeparentur;

c - interim Directoribus communibus curandum ut et propriam rationem piae Unionis plene perspectam habeant, et illam adiuvent in propria vita explicanda nec eandem absorberi sinant a sollicitudinibus Operum, mediaque illi propria sedulo curent.

Ios. C., S. I.

Casus conscientiae - II

De confessione alumnorum Seminarii

I - Vincentius, philosophiae alumnus, magnis difficultatibus spiritualibus oppressus omnique fiducia erga confessarios seminarii destitutus, occasione utitur accessus ad ecclesiam cathedralem pro sacris functionibus, ut confessionem instituat apud Dominum Prudentium, eiusdem cathedralis beneficiarium.

Agitatur tamen timore ne contra regulas seminarii peccet, quae vetant seminaristis cum externis agere, sine venia superiorum.

II - Daniel, Sacrae Theologiae alumnus, cum sibi videatur necessarium, ad pacem conscientiae, aliquando confiteri cum Petro, optimo civitatis parocho, Rev. D. Rectorem rogat ut velit vel Petrum vocare vel ipsi permittere ad illum adire. At neutrum ipsi conceditur, nam « habes, inquit Rev. D. Rector, ordinarios et extraordinarios confessarios; libenter ad te venire faciam quem volueris ».

III - Vigilantius praefectus spiritualis seminarii, existimans non oportere accessum Lucii ad Dnum Thomam, seminarii professorem, qui opiniones ipsi contrarias de directione spirituali habet, Dnum Rectorem monet, ne permittat Lucio agere cum Thoma. Dnus autem Rector dubitat quid ipsi liceat et quid in praxi magis expediat.

Solutio

Cum in casibus agatur de foro sacramentali alumnorum Seminarii, breviter innuere principia solutionis non inutile reputamus.

Principia sunt duplicis ordinis: iuridica et ascetica.

Principia iuridica nobis praebent limites intra quos sese evolvere debet actio moderatorum seminarii ad hoc ut sit efficax et ab omni periculo aliena. Principia ascetica nobis exhibent normas practicas quibus consulendum est fini intento ab Ecclesia in confessariis designandis et proponendis ad bonum spirituale seminaristarum.

1 - *Principia iuridica.* Continentur in canonibus 1358 et 1361. — In primo canone praecipitur ut in quolibet seminario adsint « duo saltem confessarii ordinarii et director spiritus »; in altero vero, statuitur ut praeterea, « alii confessarii designentur ad quos libere alumni accedere possint » sive intra sive extra seminarium commorentur.

a - Ut legenti canones patet, ii ut *praeceptivi* sunt reputandi, quibus in favorem alumnorum, imponitur Episcopis, vel illis quibus cura seminarii demandata sit, pro-

videre ut alumnis sufficiens copia sit confessariorum. Ut necessarium erat, nihil statuitur pro alumnis circa usum quem facere debent illorum confessariorum, quippe quod hoc totum pertinet ad actionem asceticam, quae per se regulis iuridicis vix moderari potest. Iuridice ergo alumnis libertas sancitur circa delectum confessariorum, et explicite praecipitur moderatoribus seminarii, ne ullo modo, illam perturbent: « salva seminarii disciplina » ut in can. 1361 § 1 continetur.

b - Moderatores seminarii, qui praescripta canonum observaverint, certi esse possunt se pro ordinariis contingentibus sufficienter providere necessitatibus alumnorum. Nam inter illos facile erit omnibus patrem spiritualem, quo tantopere egent, sibi convenientem elegere.

c - At quia canones sunt praeceptivi, non determinativi pro alumnis, ex illis nulla sequitur facultas superioribus seminarii directe limitandi libertatem alicuius alumni accedendi pro confessionibus ad aliquem sacerdotem approbatum etsi inter ordinarios vel extraordinarios confessarios non inveniatur.

Cum alumni seminarii, stricte loquendo, forum sacramentale pro confessionibus peculiare non habeant, ipsis patet ius fruendi generali concessione omnibus fidelibus per canonem 905 facta, ex qua, « Cuivis fideli integrum est confessario approbato etiam alius ritus, cui maluerit, peccata sua confiteri ».

Perperam vero quis a sensu contario argumentum sumeret ex concessionibus factis pro religiosis cc. 519 et 520-523. Ibi explicite conceditur religiosis utriusque sexus accedere ad confessarium, approbatum praeter designatos, quia explicata mentio erat necessaria ad tollenda privilegia contraria; et in genere ad modificandam disciplinam ante codicem vigentem circa confessiones religiosorum qui proprium forum habebant. Pro seminaristis haec explicita concessio inutilis prorsus erat; at si quid erui ex disciplina religiosorum ad casum nostrum potest, certum eruitur con-

trarium; scilicet, seminaristas non esse, in libertate conscientiae, peioris condicionis quam religiosi et religiosae.

2 - *Principia ascetica.* Sequentia invocare sufficiat:

a - Spiritualis directionis efficacia tota innititur in fiduciali communicatione cum Patre spirituali; haec autem fiducia, benevolentia et competentia conciliatur nullo modo per cuiusvis iuris aut sanctionis impositionem.

b - Unitas directionis spiritualis quam maxime est utilis in quavis communitate; haec unitas quam maxime ab auctoritate et qualitatibus Patris spiritualis pendere in apertum est. Tamen numquam inter homines obtinebitur ut semper omnibus unus providere possit.

c - Magis autem necessaria est pro canditatis ad sacerdotium constantia directionis spiritualis. Negotium vocationis, omnium gravissimum, convenienter resolvi non poterit nisi sub directione illius qui bene perspectum habeat candidatum.

Et cum de admittendo ad ordines candidatos respondere debeat moderator seminarii, patet ipsum non agere contra libertatem conscientiae, si alumnum quem nimis vagare de confessario in confessarium cerneret, tempestive de periculo cui sese exponit, admonuerit.

d - Cum superiores timeant ne ratio agendi alicuius alumni cum determinato confessario, propter adiuncta specialia in quibus alumnus versatur, impedimento sit pro ipsius directione spirituali, prudentiae est, de hac re non directe cum alumno rem decidere, quippe quod magis inde a superioribus animo discedet, sed aperte et cum christiana libertate praedictum sacerdotem monere.

3 - Quibus praemissis facile est *solutio casuum.*

Ad I. Bono animo sit Vincentius, nec timeat regulas violare seminarii, quae quidem colloquia superflua vetant, at certe non confessionem ad tranquillitatem conscientiae apud prudentem confessarium. Curet tamen ne propter

confessionem officia forte implenda in sacris functionibus neglegat; et ne passim ita faciat.

Ad II. Ad ius quod attinet, dicendum est Rev. Rectorem Seminarii cogi non posse ad votis Danielis obsecundandum. Ipsi praecipitur tantum arcessere unum e confessariis extraordinariis, non vero alium ab alumno electum; vide can. 1361 § 2. Nullo tamen iure prohibetur desiderio Danielis satisfacere, immo caritas et prudentia id suadent si raro Daniel hoc petat et agatur de viro, ut in casu, propter prudentiam et officium commendatum.

Danieli patet recursus ad Episcopum, si re vera valde utile ipsi videatur cum Petro agere; vel bonam occasionem arripere legitimae communicationis cum Petro, quo in casu sicut Vincentius ut supra cum beneficiario, ipse cum Petro confiteri poterit.

Ad III. Si Thomas ad Seminarium accedat, vel in ipso commoretur, et sine disciplinae perturbatione Lucius ipsum adeat, merito dubitat Rev. Rector utrum sibi liceat hoc impedire; immo certus esse potest non licere. Lucius utitur iure suo instituendi confessionem apud approbatum confessarium. Neque ut disciplinae perturbatio haberi potest confessio, quae his temporibus instituatur, quibus vel alumno adire professores vel professoribus advocare alumnos licet, vel quae generatim alumnos a distributionibus communibus non distrahit.

Si Vigilantius habet causam fundatam ad timendum nocumentum pro Lucio, puta quia videt illum ex uno in alium constanter discurrere, et tegere veros suos defectus, recta via est per se vel per Rectorem timorem suum D. Thomae manifestare, ut salvo secreto professionali, et ut liquet, confessionis, meliori quo fieri possit modo Lucio provideatur. Modus autem bene providendi, certo non erit Lucium *cogere* ad fiduciam habendam erga Vigilantium, sed per Thomam vel alium erga quem bene sit affectus Lucius hunc ad certum et fixum confessarium elegendum adducere.

Ad opiniones autem quod attinet, videndum est utrum

praxim revera attingant in rebus substantialibus, quo in casu praesumptio favet Vigilantio, cuius ratio agendi perspecta Episcopo supponitur, ab ipsoque approbata. Qua in re valde cauti sint oportet in opinionibus propriis in praxim deducendis ii ad quos furtim et ad casum accedunt personae quae in vita communi et sub certa regula spiritualiter instituuntur.

ULPIANUS LÓPEZ, S. I.

MONUMENTA

12 - SS. D. N. Pius Pp. XI
Sacra Consistoria habita die 17 mart. 1938

(*AAS* xxx [30 martii 1938] p. 85 ss)

I

CONSISTORIUM SECRETUM

I - RELATIO CAUSARUM

Feria quinta, die XVI martii anno MDCCCCXXXVIII, in consueta aula Palatii Apostolici fuit *Consistorium secretum*, cuius acta ex ordine referuntur.

Rev.mus Cardinalis Cammillus Laurenti, impetrata Beatissimi Patris venia, sermonem habuit de vita, martyrio et de miraculis B. Andreae Bobola, martyris, sacerdotis professi Societatis Iesu, necnon de vita et miraculis B. Ioannis Leonardi, confessoris sacerdotis, fundatoris Congregationis Clericorum regularium a Matre Dei et B. Salvatoris ab Horta, confessoris, laici professi Ordinis Fratrum Minorum; ac recensuit acta, quae in causis Beatificationis et Canonizationis eorumdem Beatorum Sacrorum Rituum Congregatio, praevio accurato examine, admittenda ac probanda censuit.

Relatione expleta, Ss.mus Dominus Noster, Rev.morum Patrum Cardinalium singillatim suffragia exquisivit: singulique Patres Cardinales sententiam suam aperuerunt.

II - PROVISIO ECCLESIARUM

Provisiones huc spectantes inveniuntur infra, inter Acta summatim relata.

III - OPTIO ECCLESIAE

Tum Rev.mus Cardinalis Petrus Boetto, Diaconus S. Angeli in Foro Piscario, optavit ad Ordinem Presbyterorum. Quam optionem Beatissimus Pater benigno favore excepit, elevans Diaconiam S. Angeli in Foro Piscario, pro hac vice, in Titulum Presbyteralem.

IV - POSTULATIO PALLIORUM

Deinde Rev.mus Cardinalis Petrus Boetto personaliter pro Pallio institit pro Metropolitana Ecclesia Ianuensi.

Per Procuratores vero postulatio facta est pro Ecclesiis metropolitanis: *Vallisoletana, Kingstoniensi* (per successionem) et *Edmontonensi* (per successionem); item pro Ecclesia archiepiscopali *Smyrnensi* et pro episcopali *Tarbiensi* et *Lapurdensi* (ex privilegio).

II

CONSISTORIUM PUBLICUM

Secreto Consistorio feliciter absoluto, fuit in continenti Consistorium publicum pro solemni peroratione Causarum Beati Andreae Bobola, martyris, necnon Beatorum Ioannis Leonardi et Salvatoris ab Horta, confessorum, de quibus supra.

Ill.mi Domini Philippus Re, Augustus Milani et Augustinus Lenti, sacrae Consistorialis Aulae Advocati, relatis breviter vita, martyrio et miraculis Beati Andreae Bobola necnon vita et miraculis Beatorum Ioannis Leonar-

di et Salvatoris ab Horta, pro eorumdem Canonizatione respective institerunt.

Quibus in genua provolutis, R. P. D. Antonius Bacci, Apostolicarum Litterarum ad Principes Secretarius, stans a sinistris Pontificalis Solii, cappa indutus, Sanctitatis Suae nomine his verbis respondit:

« Quod vos diserte, ut soletis, triplicem perorantes causam, enixe postulastis, id Augustus Pontifex grato animo complectitur; quandoquidem nihil antiquius habet, quam ut evangelicae virtutis heroës ita in sua luce ponantur, ut quotquot sunt militantis Ecclesiae filii, eorum intuentes sanctitudinis fulgorem, in trepidis afflictisque huius vitae rebus solacium, in arduo christianae perfectionis certamine invitamentum, in omne genus necessitatibus auxilium habeant.

Ac praeterea ex horum caelitum egregie sanctissimeque gestis, omnium admirationi imitationique propositis, hoc vel loculentius enitere autumat, quod in praesenti rerum gravitate spem Suam, Dei innixam pollicitationibus, acuit ac roborat. Patet scilicet, historia teste, quo turbulentioribus tempestatibus christifidelium communitas iactetur, quo acriore conflictetur odio insidiisque petatur, eo spendidiores edere sanctitatis flores; viros nempe, qui forti strenuoque pectore pro catholico nomine certantes, Iesu Christi imaginem in se referant, omnesque devios ad eum revocare contendant. Quod procul dubio testatur Salvator ab Horta, humilis ille Seraphici Patriarchae assectator, qui, dum Mahumedana impietas, Mauritanorum opera Hispaniae invecta, tam late inibi christianos corrumpit ac profligat mores, suae exemplo virtutis et innumeris rerum miraculis divina ope patratis, cives ad millia bene multa in pristinum vitae decus restituit. Hoc itidem Ioannes Leonardius testatur, Congregationis Clericorum Regularium a Matre Dei conditor, qui, sua suorumque navitate, et exundantes per Italiam e transalpinis regionibus Novatorum haereses coërcuit ac prohibuit, et actuosus ex-

stitit apostolici illius studii fautor, quo excitatae deinceps sacrae propagandae fidei expeditiones tam salutiferos protulere fructus. Hoc denique testatur Andreas Bobola, sacerdos Societatis Iesu, qui saeviente in Polonia infensissimo Catholicae Religioni bello, cum « venator animarum » ac Iesu Christi administer totus esset in Dei Ecclesiaeque iuribus tutandis, in suorumque civium leniendis malis, vecordi schismaticorum furore petitus, atque inauditis prorsus cruciatibus affectus, immortalem martyrii palmam gloriosa morte consecutus est. Hos igitur praeclaros caelites exoptat Summus Pontifex sanctitatis decorare infula; sed tamen nihil vult ex iis desiderari rebus rationibusque, quibus Apostolica Sedes, ex peculiari more institutoque suo, graves eiusmodi causas expedire solet. Quapropter non ante inviolabile auctoritatis Suae oraculum laturus est, quam in Consistorio Semipublico, quod vocant, Patrum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium, itemque omnium, quotquot in Urbe aderunt Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et Abbates *nullius*, sententias exquisierit. Hoc vero temporis intervallo, percupit Sanctitas Sua ut omnes effusis precibus uberiora Sancti Spiritus lumina menti Suae impetrent ».

Post haec Beatissimus Pater, Apostolicam benedictionem solemniter impertiens, concionem dimisit.

13 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Decretum 30 dec. 1937

DAMNATUR LIBER CUI TITULUS: « VON DER ARBEIT ZUM ERFOLG » AUCTORE RAOUL FRANCÉ

(*AAS* XXX [31 ian. 1938] p. 26)

Feria IV, die 15 decembris 1937

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac R.mi Domini Cardinales, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum, qui inscribitur:

RAOUL FRANCÉ, *Von der Arbeit zum Erfolg.*

Et eadem Feria IV eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Papa XI, in audientia Exc.mo ac Rev.mo D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 30 decembris 1937.

I. VENTURI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

Annotationes

Titulus libri completus est: *Von der Arbeit zum Erfolg: Ein Schlüssel zum besseren Leben*: latine: *Quomodo laborandum cum prospero successu? clavis melioris vitae.* Editus est liber Dresdae in Germania, 1934.

Natus Vindobonae in Austria, auctor, ut ipse in epilogo observat, membrum est Academiae Biologicae Germanicae Berolinensis, et quidem meriti causa: ob sparsam sc. phi-

losophiam biologicam, solidissimum, ut ait, novae culturae Germanicae fundamentum. Est autem atheus, licet atheismum abscondere conetur sub agnosticismo quodam cynico, quo irridet religionem christianam, et mysticismo quodam primitivo, quo redit ad religionem Terrae Matris.

Finis libri apparenter est in ordine practico. Docet auctor fidem vitae futurae esse somnium, metaphysicam esse scientiam umbrarum, religionem esse metaphysicam larvatam et consequenter realitate omni privatam. Nil igitur speculatione dignum remanere nisi unicum illud: quomodo effici possit, ut *hic in terra* vita individualis, familiaris, socialis, politica, debitum producat fructum.

Ut id efficiat auctor procedit ex consideratione biologica, qua hominem, societatem, genus humanum considerat ut meram unitatem biologicam, v. g. ut quercum crescentem. Quia vero ad mentem auctoris non potest exsistere principium vitale, quod non sit materiale, procedit ex materialismo puro. Loquitur deinde de valore laboris, de industria, de silvis et stirpe, de nutritione et recreatione, de oeconomia et re pecuniaria, de matrimonio et itinere sponsali; et inter multa iusta et accurate observata, spargit ideas suas agnosticas, cynicas, stirpicas, materialisticas, atheas. Id notasse sufficiat, ad mentem auctoris matrimonii humani tribulationes non aliter considerari debere quam conflictus carnales inter porcos indiacos vel turtures.

In eadem pagina *Observatoris Romani* (10-11 ian. 1938), qua habetur damnatio Sancti Officii, Pater M. Cordovani O. P. condemnationem illustrat articulo lectu dignissimo. Recte notat, philosophiam biologicam esse atheismum haud minus periculosum quam atheismum communisticum; atheismum quoque communisticum Mexicanum prae aliis in biologia materialistica fundari. Exhortatur deinde ad vigilantiam: librum enim condemnatum iam versionem habere patriam et sic spargi ideas atheas stirpicas etiam inter populos meridionales. Clarum est, non in sola Italia

catholicis autarkiam religiosam esse defendendam contra utriusque coloris irrepentes doctrinas atheas.

SEB. TROMP, S. I.

14 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii
Decretum 22 ian. 1938

DAMNATUR LIBER A G. MENSCHING EDITUS, CUI TITULUS: « DER KATHOLIZISMUS. SEIN STIRB UND WERDE »

(*AAS* XXX [28 febr. 1938] p. 63)

Feria IV, die 19 ianuarii 1938

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur: *Der Katholizismus. Sein Stirb und Werde. Von katholischen Theologen und Laien. Herausgegeben von* GUSTAV MENSCHING.

Et sequenti Feria V, die 20 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XI, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 22 Ianuarii 1938.

I. VENTURI, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

15 - Sacra Congregatio Concilii

Resolutio 18 ian. 1936

BOGOTEN.

VOTI

(*AAS* XXIX [20 aug. 1937] p. 343 ss.)

SPECIES FACTI. — Die 27 octobris 1849 Archiepiscopus Bogotensis, una cum clero saeculari et regulari ac Capitulo ecclesiae cathedralis civitatis Sanctae Fidei de Bogotà, grati animi causa erga B. M. Virginem ex multiplicatis beneficiis urbi collatis, duplex emisit votum, celebrandi nempe quotannis festum Immaculatae Conceptionis eo die quo R. Pontifex dogma definiret, atque ieiunium servandi in pervigilio eiusdem festi.

Die 20 novembris a. 1870, novus Archiepiscopus, in memoriam revocans praedictum votum, edictum promulgavit in quo de novo celebrationem solemnem festi Immaculatae Conceptionis iniunxit, adiungens praeterea dictum votum in eodem festo renovatum iri a se et ab omnibus ad festum concurrentibus, qui votum illud emittere voluissent. De voto vero ieiunii nullum verbum. Ceteri Archiepiscopi successores nihil de illo duplici voto dixerunt. Nonnullis quidem annis magister caerimoniarum, iussu Archiepiscopi, in Ordine divini Officii adiecit: « ieiunium pro clero archidioecesis iuxta consuetudinem ex voto », vel « ieiunium pro clero Bogotensi ».

Qua de causa cum deinde quaestio orta esset, an scilicet clerus enunciato voto adstringeretur, hodiernus Archiepiscopus quod sequitur dubium huic Sacrae Congregationi Concilii solvendum proposuit: « an et quomodo adhuc vigeat votum in casu ».

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. — Iure communi votum non obligat ratione sui nisi emittentem (can. 1310 § 1), nec

quisquam voto alieno vi voti obligari potest, nisi ipse votum pariter emittat; est enim votum actio personalis, quae a propria voluntate voventis fiat necesse est et in illa proxime et immediate niti debet. Quodsi De Angelis, *Prael. iuris canonici*, lib. III, tit. 34, n. 2, putavit votum ab aliqua societate emissum vi voti obligare etiam successores in eadem societate, in hac re sectatores non habuit et iuris textus ac doctorum doctrinas sibi habet adversantes (cfr. cap. 6, de voto III, 34; Schmalzgrueber in h. tit., n. 45 sq., 51 sq.).

Quare si civitas vel communitas, velut dioecesis aut paroecia, voveat peragere tale ieiunium, vi voti non obligantur nisi qui voverunt, v. gr., qui Episcopo pro dioecesi voventi adhaeserunt cum intentione se eodem Episcopi voto obligandi, aut cum eadem intentione ratum habuerunt votum nomine fidelium dioecesanorum factum. Quoad posteros, qui eiusdem communitatis deinde facti sunt membra, nimis evidens est hos non obligari voto communitatis, tunc emisso quando necdum nati erant. Generatim ergo membra communitatis, quae personaliter votum non emiserunt, obligari possunt a legitima auctoritate ecclesiastica, vi legis latae, quae utique ferri etiam potest ob motivum religionis. Et S. C. Rituum hac de re constanter respondit ad huiusmodi observantias per votum inductas solos tantum teneri voti obligatione qui vota emiserunt; reliquos posse teneri ex lege ecclesiastica, quam statuere et ex causa abrogare sit penes auctoritatem ecclesiasticam. Cfr. v. gr. Gardellini (ed. 3), *Rescripta authent.*, n. 1444, 1621, 1871, 2019, 4122.

Quod dictum est de lege, valet de statuto. Quapropter si Capitulum cathedrale voveret ieiunium, successores in Capitulo possent manere obligati ex statuto capitulari, non ex voto quod non emiserunt, nisi in ingressu in Capitulum votum personaliter emitterent.

Iam vero in casu nostro, omnes qui votum ieiunii a. 1849 emiserunt et formulae voti subscripserunt, iam-

diu mortui sunt. Hi qui post eorum mortem in clero successerunt, tale votum non emiserunt. Vel ipso a. 1870 cum facta est publica renovatio voti, solum actum est de voto solemniter celebrandi festum Immaculatae Conceptionis, de ieiunio observando in pervigilio edictum Archiepiscopi silet. Nihil igitur mirum quod hodie clerus dubitet de tali obligatione ex lege dioecesana, quae debuisset esse clara et convenienter promulgata. Quod autem talis lex non fuerit promulgata videtur evinci ex ipsa ignorantia Episcoporum sibi succedentium, ex ignorantia populi, ex ipso dubio et difficultate facta ex parte plurium de clero.

Ubi illud etiam opportunum est adnotare, quod iure Codicem praecedente nullus quidem iuris communis et universalis textus allegari poterat, quo Episcopis aut Conciliis particularis esset ablata potestas in suis territoriis ieiunia aut abstinentias praecipiendi (cfr. Benedictum XIV, *De Synodo dioec.*, lib. XIII, cap. 4, n. 6, 7; cap. 5, n. 8); at passim doctores tradebant iamdiu Episcopos illo iure uti non solere, et solummodo urgere observationes ieiuniorum, quae iure communi essent praescripta. Unde saltem consequens erat, ut si quando illa potestate iamdiu non usitata uti vellent, deberent id facere claris expressisque verbis per legem convenienti modo promulgatam.

Quae lex clara et praecisa indubitabili modo promulgata a praesenti Archiepiscopo et a suo clero ignoratur, et certe inter documenta allegata non reperitur. Si allegatur quod in Ordine divini officii adiiciebatur aliquando : « ieiunium pro clero Bogotensi »; ex hoc nihil inferri potest, cum non dicantur anni, in quibus illa adiectio facta fuit quae postea cessavit; nam dum viverent qui votum emiserunt, profecto hi erant obligati ex voto. At, iure Codicis, Ordinarii locorum etiam pro suo territorio non possunt instituere aliquem diem abstinentiae aut ieiunii; solum possunt aliquem peculiarem diem abstinentiae aut ieiunii in sua dioecesi *per modum actus indicere ob peculiarem causam* (can. 1244). Quapropter in praesenti,

quoad actualem clerum, si quae esset obligatio, ea ex lege dioecesana proveniret, et nunc, ad normam can. 1244, talis obligatio ieiunii non amplius existit.

Resolutio. — In plenariis comitiis huius Sacrae Congregationis habitis die 18 ianuarii 1936, ad propositum dubium: *An et quomodo adhuc vigeat votum in casu*; E.mi Patres respondere censuerunt: *Ex deductis non constare de obligatione voti.*

Facta autem postridie Ss.mo D.no Nostro Pio Pp. XI per subscriptum huius Sacrae Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua datam resolutionem approbare et confirmare dignata est.

I. Bruno *Secretarius.*

Notandum

Etsi usu non veniat hic exscribere disceptationes Congregationum Romanarum, istam tamen (sicut et proxime subsequentem) praetermittere noluimus, quia plura continet, quae ad doctrinam moralem de voto eiusque vi obligandi maxime faciunt. Diversitas, ut ex disceptationis synopsi resultat, deprehendebatur sententiarum apud Auctores; quam S. Congregatio nunc, approbante et confirmante SS. D. N., authentice dirimit.

Ios. C., S. I.

16 - Sacra Congregatio Concilii
Resolutio 13 nov. 1937

DIOECESIUM X...
ELEEMOSYNAE MISSARUM BINATARUM
(*AAS* xxx [30 mart. 1938] p. 101 ss)

Species facti. — In nonnullis instantiis reductionis onerum Missarum, quae diebus festis ex pia testatorum vo-

luntate applicandae sunt, preces ita concinnatas esse animadversum est ut ex reditibus legatorum aliqua pars, et quandoque maior, cederet ratione incommodi parocho diebus festis in sua ecclesia Missam iteranti, alia vero pars ab ipsomet impenderetur Missis celebrandis in legatorum satisfactionem vel Curiae in hunc finem mitteretur. Itemque praxim alicubi inolitam esse constitit, qua parochi sacerdotesque Missam binatam facultate apostolica applicantes, si iuxta intentionem offerentium vel piae causae applicent, ad Curiam transmitterent favore Seminarii eleemosynam dioecesanam, excessum sibi retinentes.

Hinc duo sunt consideranda: 1 - num expediat indultum apostolicum concedere ut parocho in propria ecclesia Missam iteranti emolumentum aliquod tribuatur, idque ex legatorum reditibus; 2 - num sustineatur dispositio dioecesana vi cuius sacerdotes Missam binatam applicantes eleemosynam tantummodo dioecesanam Curiae tradere teneantur.

Animadversiones. — Quoad primum. Ex perantiqua Ecclesiae praxi vetitum semper fuit ut plures in die Missas celebrantes plura pro iisdem, praeterquam in die Nativitatis Domini, reciperent stipendia. Cfr. Decr. Gratiani, D. I., c. 53, *de cons.;* Const. Benedicti XIV diei 26 Augusti 1738 *Quod expensis* et diei 30 Maii 1753 *Apostolicum ministerium;* Litt. encycl. Leonis XIII diei 18 Aprilis 1897 *Trans Oceanum*, et Benedicti XV diei 10 Augusti 1915 *Incruentum*. Quod Codex iuris canonici sanxit in canonibus 806 § 1 et 824 § 2.

Quapropter sine peculiari Apostolicae Sedis indulto nefas est parocho Missam iteranti emolumentum aliquod tribuere eo minus ex legatorum reditibus, excipe si ipse legati fundator hanc facultatem fecerit.

Nec convenit indultum apostolicum hunc in finem concedere. Et primum quidem, quia parochus, vi sui muneris, bono fidelium spirituali consulere tenetur, ideoque curare

ut fideles diebus festis de praecepto obligationi Sacrum audiendi satisfaciant. Quodsi unius Missae celebratio huic obligationi ab omnibus implendae satis non sit, alteram celebrare ipse tenetur ad mentem canonis 806 § 2, nullo ad hoc percepto stipendio. Deest enim in casu titulus extrinsecus maioris laboris vel incommodi, vi cuius sacerdotibus binantibus permittitur aliqua retributio ad normam citati canonis 824 § 2 Codicis I. C., cum agatur de parocho Missam iterante in sua paroecia in fidelium sibi commissorum utilitatem, quare iusta causa deest concedendi hunc in finem indultum apostolicum, eo vel magis quia haec retributio in casu ex legatorum reditibus esset sumenda. Iamvero legata in finem proprium constituta sunt, ab ipso fundatore statutum, et diligentissime implenda, sicut omnes fidelium voluntates in pias causas facultates suas donantium vel relinquentium, etiam circa modum administrationis et erogationis bonorum, ad praescriptum canonis 1514.

Nihil tamen vetat quominus, peculiaribus rerum personarumque adiunctis perpensis, his parochis Episcopus retributionem aliquam ex aliis proventibus assignet.

Alterum dubium quod spectat, praescriptio est contra ius commune. Eleemosyna enim Missarum, nisi aliud certo constet, dividi vel separari nequit a celebratione et applicatione Missarum, sed quid unum constituit ad mentem canonis 840 § 1, et distinctio ipsa a mente offerentium est prorsus aliena. Quod si in citato canone res est de Missis manualibus ad alios pro celebratione transmissis, attamen una eademque est regula, eleemosynam Missarum, nisi aliud constet, pro celebratione et pro applicatione *integram* celebranti tradendam esse intuitu oneris quod ei imponitur. Et ita iam pluries declaravit haec S. Congregatio, e. g. in una *Lugdunen.* 31 Ianuarii 1880, in una *Sancti Deodati* 27 Februarii 1905 ad II, et in una *Paderbornen.* 16 Novembris 1917. Utique in citatis resolutionibus eadem S. Con-

gregatio clausulam addidit: « nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae vel ob maiorem laborem aut incommodum ». Sed ex hoc ipso arguitur quod Episcopus nequeat generali praescriptione sive synodali sive extrasynodali indiscriminatim praescribere omnibus sacerdotibus binantibus excessum communis eleemosynae vel eleemosynam ab offerentibus oblatam, quaecumque sit, percipere, dummodo Curiae tradatur eleemosyna synodalis.

Nec est omittendum alienum prorsus esse ab ipso indulti apostolici ambitu, vi cuius sacerdos Missam binatam ad mentem offerentis applicat, ut aliqua eleemosynae pars ipse sibi retineat. Aliter tamen res esset, si ageretur de Missis fundatis, quibus cavet Codex ipse in canone 840 § 2.

Resolutiones. — Propositis itaque in comitiis plenariis diei 13 Novembris 1937 dubiis:

I. *An expediat indultum apostolicum concedere ut parocho, in propria ecclesia Missam iteranti, tribuatur aliquod emolumentum ex reditibus legatorum;*

II. *An sustineatur dispositio dioecesana vi cuius sacerdotes, Missam binatam applicantes, eleemosynam tantummodo dioecesanam Curiae tradere teneantur;*

E.mi Patres huius S. Congregationis responderunt:

Ad I *Negative,* seu *non expedire;*

Ad II *Negative.*

Has resolutiones Ss.mus D. N. Pius Pp. XI in Audientia diei 18 Novembris 1937, referente subscripto Secretario, approbare et confirmare dignatus est.

I. Bruno, *Secretarius.*

17 - Sacra Congregatio Concilii
Prorogatio privilegii 22 dec. 1937

PROROGATUR AD TRIENNIUM CONCESSIO SATISFACIENDI PRAECEPTO PASCHALI QUOCUMQUE TEMPORE PRO ASSISTENTIBUS MISSIONIBUS A CAPUCCINIS DATIS IN BELGIO

(Apud *Analecta Ordinis Minorum Capuccinorum* LIV [1938] p. 10) (1)

Superior Provinciae Belgicae Ordinis Minorum Capuccinorum, perdurantibus iisdem causis, a Sanctitate Vestra humiliter postulat ut sibi prorogetur indultum iampridem concessum per rescriptum S. Congregationis Concilii diei 1 Martii 1929, vi cuius fideles qui intra fines ditionis Belgicae interfuerint ss. Missionibus, quae a Patribus Provinciae quotannis instituuntur, durantibus Missionibus seu Exercitiis satisfacere possunt praecepto paschali quocumque anni tempore.

Sacra Congregatio Concilii, attentis expositis, petitam prorogationem, in terminis et forma praecedentis rescripti, benigne impertita est ad aliud triennium.

Datum Romae, die 22 Decembris 1937.

Annotatio

Etsi praesens privilegium illos dumtaxat respiciat quibus conceditur, illud tamen cum Lectoribus nostris communicandum duximus, quia hodiernam mentem Sedis Apostolicae in urgendo praecepto paschali (can. 859) nova ratione illustrat. Hic sane paschalis communio convertitur in communionem simpliciter annuam; res insolita in historia Ecclesiae, quam illis, qui historiam eiusdem praecepti contexere volunt, praetermittere iam non licebit.

Ios. C., S. I.

(1) Documentum transcripsimus ex *Collectanea Mechliniensia* XXVII (1938) p. 178-9.

18 - Sacra Congregatio de Prop. Fide
Elenchus recognitus favorum spiritualium membris Piae Unionis Cleri pro Missionibus concessorum

Hic elenchus, apud AAS *non vulgatus, ab ipsa S. Congregatione de P. F. digestus est, atque, multiplicatis foliis, simul cum novis Statutis eiusdem piae Unionis (supra, p. 48 ss) cum praecipuis Moderatoribus piae Unionis communicatus. Eum exscribimus ex* Bulletin de l'Union Missionnaire du Clergé (*Bruxellis*) XVII (1937) 85 s.

FAVORES SPIRITUALES OMNIBUS SODALIBUS CONCESSI

I - Indulgentia plenaria, suetis sub condicionibus lucranda, in festis: 1° Epiphaniae; 2° Ss. Apostolorum; 3° S. Michaelis Archangeli; 4° S. Francisci Xeverii; 5° semel in mense, die ad proprium cuiusque arbitrium eligenda; 6° in articulo mortis, servatis servandis.

II - Indulgentia centum dierum pro quolibet pietatis opere in favorem Missionum expleto.

III - Facultas (dummodo adscriptus ad sacramentales confessiones audiendas sit approbatus) benedicendi ac imponendi, servatis ritibus ab Ecclesia praescriptis, scapularia Passionis D. N. Iesu Christi, Immaculatae Conceptionis B. M. V., SS. Trinitatis, B. M. V. perdolentis, B. M. V. a Monte Carmelo, ab Apostolica Sede approbata (cfr. infra n. V).

IV - Facultas, ut supra benedicendi ac imponendi, sub unica formula, scapularia quae ut Sodales Piae Unionis imponendi facultate gaudent (Ex Audientia SSmi, E.mo Praefecto Sacrae Congregationis de Prop. Fide concessa die 20 martii 1919. Cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1919, p. 179).

V - Facultas imponendi scapularia de quibus supra, absque inscriptionis onere in album Confraternitatis (Ex

Audientia SS.mi, E.mo Praefecto S. C. de Prop. Fide concessa die 4 martii 1920).

VI - Facultas pro omnibus adscriptis anticipandi a meridie recitationem Matutini cum Laudibus subsequentis diei, dummodo tamen officium diei iam persolverint (Ex Audientia SS.mi, E.mo Praefecto S. C. de Prop. Fide concessa die 1 dec. 1921. Cfr. *Acta Ap. Sedis,* 1921. p. 565).

FAVORES SPIRITUALES TANTUM SODALIBUS CONCESSI ANTE DIEM 1 APRILIS 1933 ADSCRIPTIS

I - Facultas (dummodo adscriptus ad sacramentales confessiones audiendas sit approbatus) benedicendi, extra Urbem, unico Crucis signo, coronas, rosaria, cruces, crucifixos, numismata et parvas statuas cum applicatione Indulgentiarum Apostolicarum (Cfr. *Acta Ap. Sedis,* 1922, p. 143).

II - Facultas, ut supra, benedicendi, unico Crucis signo, coronas iuxta typum rosariorum B. M. V. confectas, cum applicatione indulgentiarum, quae a PP. Crucigeris nomen habent.

III - Facultas, ut supra, benedicendi coronas Septem Dolorum B. M. V. cum applicatione omnium et singularum Indulgentiarum, quas Summi Pontifices eiusmodi coronis impertiti sunt.

IV - Facultas, ut supra, benedicendi, unico Crucis signo, crucifixos cum applicatione indulgentiarum pii exercitii a *Via Crucis* nuncupati in favorem fidelium, qui quominus sacras visitent « Stationes » legitime impediuntur.

V - Facultas, ut supra, benedicendi, unico Crucis signo, crucifixos, iisdemque applicandi plenariam indulgentiam in articulo mortis ab iis acquirendam, qui praescriptis expletis conditionibus, illos osculati fuerint aut saltem aliquo modo tetigerint (Cfr. *Acta Ap. Sedis,* 1914, p. 348).

VI - Indultum personale Altaris privilegiati, quater in

qualibet hebdomada, dummodo simile indultum pro alia die obtentum non fuerit.

(Haec omnia per S. Poenitent. 15 nov. 1918. Cfr. *Acta Ap. Sedis,* 1919, p. 20).

Commentarium in Favores Spirituales piae Unionis Cleri pro Missionibus

§ 1 - *De duplici sectione favorum spiritualium*

1 - Ante diem 1 aprilis 1933 pleraeque piae associationes sacerdotales ditatae sunt variis facultatibus applicandi piis obiectis indulgentias, fruendi altaris privilegio, impertiendi populo congregato benedictionem papalem in fine contionum; quae facultates sacerdotibus ipso inscriptionis actu communicabantur. Porro die 1 aprilis 1933 S. Paenitentiaria promulgavit decretum, datum die 20 martii 1933, penitus abolens ab ipso promulgationis die istam communicationem sequentium facultatum, nempe « benedicendi devotionis obiecta eisque Indulgentias Apostolicas aut Sanctae Birgittae, ut aiunt, adnectendi, - benedicendi coronas easque (quamque pro suo modo) Indulgentiis ditandi, benedicendi crucifixos ad lucrandas indulgentias pio Viae Crucis exercitio pro legitime impeditis adnexas, necnon ad plenariam in mortis articulo indulgentiam acquirendam, - impertiendi benedictionem papalem in fine contionum, - concedendi indultum, quod dicunt, altaris privilegiati personalis ». Sacerdotes autem, qui iam ante diem 1 aprilis 1933 vi inscriptionis talium associationum facultatibus pollebant, iisdem non sunt privati. Unde orta est necessitas bipartiendi elenchum favorum spiritualium pro sacerdotibus destinatorum, quibus piae associationes sacerdotales gaudent, quemadmodum et S. Congregatio de Propaganda Fide fecit in elencho favorum spiritualium piae unionis cleri pro missionibus anno 1937 denuo edito.

2 - Favores primae sectionis omnibus prosunt sacerdotibus adscriptis, ideoque in hac dissertatione vocantur *favores generales*. Alterius vero sectionis favores solis prosunt sacerdotibus, qui eos ante diem 1 aprilis 1933 *actu* habebant, ideoque hic dicuntur *favores reservati*. Ii autem sacerdotes actu eos tunc iam habebant, qui ante diem 1 aprilis 1933 erant in unionem cleri pro missionibus adlecti et presbyteratu initiati, atque insuper, excepto favore altaris privilegiati, ad sacramentales confessiones audiendas approbati. Carent itaque his facultatibus ii sodales, qui ante diem 1 aprilis 1933 adscripti quidem erant unioni cleri pro missionibus, sed nondum sacerdotio aucti (S. Paenit., 2 martii 1937 ad 1, *AAS* 29 [1937] 58, Periodica XXVI [1937] 350), aut licet sacerdotes quoque facti, nondum approbati ad sacramentales confessiones audiendas, excepto privilegio altaris, quod hanc approbationem non requirit (ib. ad 2). Minus recte igitur citato responso S. Paenit. diei 2 martii 1937 ad 2 dicitur, solas facultates « adnectendi indulgentias apostolicas et plenariam 'in articulo mortis' » non posse exerceri « nisi post obtentam approbationem ad excipiendas sacramentales confessiones ». Verba enim « ut supra » in altera sectione elenchi sub. n. II-V adhibita stant loco verborum in n. I uncinis inclusorum « (dummodo adscriptus ad sacramentales confessiones audiendas sit approbatus) », ideoque indicant, omnes facultates alterius sectionis sub I-V positas requirere « obtentam approbationem ad excipiendas sacramentales confessiones »; quod ceterum aperte liquet ex rescriptis prius apud *Acta Apost. Sedis* publicatis, scilicet XI (1919) 20 et 179 ac XVIII (1926) 235.

3 - Ad facultates III-IV prioris sectionis et I-V alterius sectionis exercendas sacerdos indiget approbatione ad confessiones sacramentales audiendas; non tamen indiget iurisdictione in loco, ubi facultatem exercet. Quare sacerdos, qui *uspiam* est confessarius approbatus, istas facul-

tates exercere potest *ubique* seu etiam extra locum, ubi est approbatus, cum nulla enuncietur huiusmodi restrictio (S. C. Prop. Fidei 28 martii 1927 apud *Periodica* XVII, 140).

4 - Favores spirituales non solum membris unionis cleri pro missionibus prosunt, sed a fortiori cunctis missionariis, qui vel « actu in missionibus degunt vel valetudinis, senectutis aut oboedientiae causa eas *relinquere coacti* sunt » (*Statuta generalia,* n. 13). Missionarii igitur, qui nunc sunt vel prius fuerunt in territoriis missionum, in quibus scilicet sacerdos de mandato legitimae auctoritatis operam navat apostolicam inter infideles et acatholicos (S. C. Prop. Fidei, 7 iulii 1937, supra, p. 84, vel *Comm. pro Relig.* XVIII [1937] 226), favores utriusque sectionis seu generales et reservatos (n. 2) participant. Quoties igitur in sequenti commentario sermo est de favoribus membrorum piae unionis cleri pro missionibus, semper missionarii actuales et officio functi subintellegendi sunt.

5 - Secundum can. 692 « ad fruendum associationis iuribus, privilegiis, indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, necesse est et *sufficit,* ut quis in eam valide receptus sit, secundum propria associationis statuta et ab ea legitime non expulsus ». Hinc « *inobservantia* partialis seu generalis *statutorum* non obest acquisitioni indulgentiarum, ex eo quod statuta sunt potius ad regimen et rectam sodalitatis administrationem data, minime vero tamquam iniuncta opera ad indulgentias acquirendas » (Decr. auth. S. C. Indulg., n. 298 ad 2 et 320 ad 1). Quare recte intellegenda sunt haec verba statutorum n. 9: « Sciant tamen sodales non sufficere nomen dare piae unioni, sed naviter et fideliter exsequenda esse ea officia, quae nomen dantes susceperunt, si gratiis piae unioni ab Ecclesia concessis vere frui desiderent ». Sensus igitur est: Statuta quidem neque necessario ad lucrandas indulgentias observanda sunt neque « obligant sub peccato, cum non sint revera leges, sed

tantum regulae pietatis, quae confratres sequendas sibi proponunt. *Multum tamen interest,* ut quilibet eas servare satagat, ut sic associationis finis attingatur » (GOUGNARD, *De Indulgentiis* [5], p. 158).

6 - Facultates, a S. Sede sine ulla restrictione ad certum locum concessae, *ubique* valide et licite adhibentur (WERNZ, *Ius Decretalium* I [3], n. 161; MAROTO, *Institutiones Iuris Can.* I[3] q. 174), etiam in iis locis, ubi sedem habent ordines, quorum propria sunt scapularia aliave obiecta pia benedicenda; limitatio enim, quae non enunciatur in textu, non est attendenda (S. C. Prop. Fidei 28 martii 1927, ap. *Periodica* XVII, 140). Quare sacerdotes unioni cleri pro missionibus adscripti facultates in hoc elencho a S. Sede sibi concessas benedicendi scapularia, applicandi piis obiectis indulgentias « valide et licite exercere se posse sciant, quin a quopiam cuiusvis regularis ordinis moderatore veniam aut assensum expetere aut obtinere antea teneantur » (cfr. Coll. Prop. Fidei, n. 1710). In facultate tamen I alterius sectionis, applicandi piis obiectis indulgentias apostolicas, expresse excluditur urbs Roma.

Denique concessae facultates non debent Ordinario exhiberi neque eius consensus peti, quia id in concessione non edicitur (Decr. auth. S. C. Indulg., n. 286 ad 2).

§ 2 - *De indulgentiis plenariis* (*n.* I *sectionis prioris*)

7 - Indulgentiae plenariae offeruntur « suetis sub condicionibus », quae sunt confessio sacramentalis, s. communio, visitatio ecclesiae et oratio ad mentem Papae (*Collectio Precum,* praenot. 4). Quae locutio « suetis sub condicionibus », prius vix adhibita, demum anno 1929 in citata Collectione Precum authentice definita et ex tunc usitatissima est. Porro iuxta can. 921 § 2 indulgentia plenaria concessa « pro festis Apostolorum intellegitur concessa dumtaxat pro eorum festo natali ». Hi igitur dies secun-

dum Calendarium universale intellegendi sunt: 24 (25) febr., 1 maii, 29 iunii, 25 iulii, 24 aug., 21 sept., 28 oct., 30 nov., 21 ac 28 decembris. Videtur nihil praeterea de indulgentiis annotandum, sed ad singulas facultates modo transeundum esse.

§ 3 - *De quinque consuetis scapularibus* (*n.* III-V *prioris sectionis*)

Agetur *a* - de materia et forma scapularium, *b* - de benedictione et impositione scapularium, *c* - de nonnullis indulgentiis aliisque favoribus scapularium, *d* - de numismate scapularium.

a - De materia et forma scapularium

8 - Unumquoque scapulare confici debet ex duobus panniculis coloris praescripti, oblongis vel quadratis (exclusis rotundis vel ovalibus vel multangulis), ex *sola lana* textis (*tessuto, tissé, woven, gewebt*) in sensu stricto; parva enim scapularia a prima origine aliud non sunt nisi scapularia maiora ordinum contracta, ideoque ex eadem materia conficienda; maiora vero scapularia constant ex lanea textura proprie dicta. Quare inepta sunt scapularia ex lana subcoacta (*feltro, feutre felt, Filz*), aut ex lanea textura reticulata (*lavoro di maglio, tricotage, stocking-net, Strickstoff*), aut ex lana acu picta (*ricamo, broderie, embroidery, Stickerei*). Decr. auth. S. C. Indulg., n. 423 ad 1-2 et 5; Coll. Prop. Fidei, n. 1896.

9 - Quinque consueta scapularia sunt scapulare *album* Ss. Trinitatis cum cruce assuta, cuius pars verticalis ex lana rubra, pars vero transversalis ex lana caerulea esse debet; deinde scapulare *rubrum* Passionis D. N. Iesu Christi ac Ss. Cordium Iesu et Mariae, cuius alter panniculus habeat assutam imaginem Iesu Christi crucifixi, alter vero imagines Ss. Cordium Iesu et Mariae; praeterea scapulare

caeruleum immaculatae conceptionis beatae MARIAE, scapulare *nigrum* Septem Dolorum beatae MARIAE Virginis ac denique scapulare eiusdem beatae MARIAE de Monte Carmelo coloris *fusci* aut *nigri* (Decr. auth. S. C. Indulg., n. 278). Si haec quinque scapularia coniunguntur, ut generatim fit, expedit ut scapularia Ss. Trinitatis ac Passionis hinc inde extrinsecus ponantur et sic eorum propriae imagines vel signa appareant pariterque ut scapulare Carmelitanum sit fuscum (*bruno, brun ou tanné, brown, braun*) sicque a scapulari Septem Dolorum distinguatur.

10 - Licet autem scapulari laneo coloris praescripti addere *ornamenta* intexta vel acu picta cuiuslibet materiae vel coloris, dummodo color praescriptus praevaleat; licet pariter *varias imagines* panno adnectere, dummodo in scapulari appareat color, forma et pannus, quae uti substantialia sunt retinenda; in scapulari tamen Ss. Trinitatis crux bicolor et in scapulari Passionis IESU CHRISTI imagines propriae necessariae sunt, ut in numero praecedenti dictum est (Decr. auth. S. C. Indulg., n. 423 ad 3 et 4; Coll. Prop. Fidei, n. 2005 ad 2). Unde valide adhiberi nequeunt scapularia, quamvis lanea, quae cooperiuntur ex una parte tela serica vel gossypina, ex altera vero imagine, quae panniculum penitus vel paene cooperit seu abscondit (Coll. Prop. Fidei, n. 2005 ad 1).

Licet tamen panniculos sacri scapularis protegere a sudore *sacculis cuiuslibet materiae decentis*, v. g. confectis ex materia translucida celluloide vel cellophane, dummodo sacculi panno scapularis non sint assuti seu inseparabiliter adnexi, sed potius facile detrahi possint, et dummodo vincula scapularis uniantur panniculis, non vero directe sacculis eorumque ope panniculis (S. C. R. 3 iunii 1925 ap. *Monitore Ecclesiastico* 1927 p. 196).

11 - Vincula autem s. scapularis, quibus coniunguntur binae partes parvi habitus, possunt fieri ex *qualibet decenti materia*, velut catenulae ex metallo, dummodo sca-

pularis una pars a tergo, altera a pectore dependeat (Decr. auth. S. C. Indulg., n. 408 ad 1; S. C. R. 8 maii 1925 ap. *Monitore Ecclesiastico* 1927 p. 196).

12 - *Plura* diversa scapularia eâdem chorda seu catenula conecti ac per modum unius gestari possunt hoc modo, ut variorum scapularium panniculi alii aliis superponantur et tam a pectore quam ab humeris dependeant; at non sufficit unicum scapulare, in quo assuantur diversi coloris panniculi vel intexantur vel acu pingantur diversi colores ad significanda diversa scapularia (Decreta auth. S. C. Indulg., n. 408, et 423 ad 6; Coll. Prop. Fidei, n. 1671 ad 4). Scapularia igitur unita debent esse distincta, i. e. vere *tot* scapularia, quot repraesentanda sunt; quare non licet unum scapulare alteri assuere in quattuor lateribus, nequidem in casu quo panniculi sunt diversae dimensionis ideoque extremitates singulorum apparent, sed, si placet, in superiore margine vel in media parte, dummodo tres aliae extremitates non assuantur, sed separatae maneant (Mocchegiani, *Collectio Indulgentiarum*, n. 866; Gougnard, *De Indulgentiis* [5] p. 258).

b - *De benedictione et impositione scapularium*

13 - Sacerdotes adscripti, et ad confessiones sacramentales audiendas approbati (n. 3), possunt unumquodque e praefatis quinque scapularibus iuxta peculiarem formulam Ritualis Romani benedicere fidelibusque imponere. Praeterea possunt eadem scapularia coniuncta sub unica formula communi benedicere eaque fidelibus semel imponere (n. III-IV sectionis prioris).

14 - Cum tribus ex his scapularibus confraternitates coniunguntur in easque fideles, qui ista scapularia suscipiunt, recipiuntur. Sacerdotes tamen, adscripti unioni cleri pro missionibus, non tenentur nomina fidelium in album associationis inscribere seu onere inscriptionis liberantur

(n. v sectionis prioris). Ad usum huius facultatis non praescribitur approbatio ad confessiones audiendas; quare sacerdotes adscripti, qui aliunde gaudent facultate benedicendi et imponendi fidelibus praefata scapularia, possunt nominum inscriptionem omittere, etsi ista approbatione careant.

15 - Sacerdotes adscripti possunt etiam sibimet ipsis scapularia imponere seque in confraternitates respectivas recipere (Decr. auth. S. C. Indulg., n. 280; Coll. Prop. Fidei, n. 1675 ad 4; can. 201 § 3). Tunc in formula impositionis dicant: « Accipio hunc habitum (vel scapulare) », « induat me Dominus », « ego ex facultate mihi concessa recipio me »; et similiter mutetur persona secunda vel tertia in primam, ubicumque sensus id requirit. Si benedictionis formula in fine occurrit, sacerdos se signet dicens: « Benedictio Dei ... descendat super me et maneat semper. Amen » (cfr. *Ephemerides Liturgicae* 1914, p. 245). Si alii quoque fideles simul recipiuntur, sacerdos utatur numero plurali, sed prima persona ut in exemplis allatis.

16 - Parvulis quoque, rationis usum nondum adeptis, valide imponitur scapulare et, cum ad rationis usum pervenerint, fruuntur indulgentiis et privilegiis, quae illud gestantibus concessa sunt, dummodo impleant condiciones (Decr. auth. S. C. Indulg., n. 410).

17 - Formula collectiva benedicendi quinque consueta scapularia habetur in Appendice Ritualis Rom., Bened. propr. Ordinum, n. 14, eaque adhiberi poterit, etiamsi unum alterumve scapulare desit (cfr. Pius xi 29 iunii 1923 ap. *Monitore Ecclesiastico* 1923 p. 259). Si uni personae scapularia imponuntur, formula recitetur numero singulari, ac si mulier recipienda est, genere feminino.

18 - Si plures recipiuntur, sacerdos semel « omnibus scapularia singillatim imponat, ac deinde proferat su-

pra omnes simul » formulam impositionis (rubr. Rituaiis Rom., l. c.).

19 - Sacerdos scapulare fidelibus imponat vel circa collum vel commodius super uno humero, ita tamen ut una pars a tergo, altera autem a pectore dependeat (Decr. auth. S. C. Indulg., n. 394 ad 1; Coll. Propr. Fidei, n. 1817). Postea tamen scapulare deferri debet circa collum, sive immediate super corpus, sive super vestes interiores, ita ut una pars a tergo, altera autem a pectore dependeat (Decr. auth. S. C. Indulg., n. 277 et 367), nisi numisma eius loco deferatur, de quo infra n. 29.

20 - Unum idemque scapulare benedictum valide potest pluribus per vicem imponi, non iterata benedictione, praesertim cum sufficienti numero non adsint scapularia, dummodo primum scapulare, quod adscripti fideles deinceps deferent, sit benedictum (Decr. auth. S. C. Indulg., n. 421 ad 1), nisi deferant numisma a scapularibus. Similiter scapularía rite benedicta, quae forte supersint, sine nova benedictione aliis possunt imponi (Beringer, *Die Ablässe* [15], 1 n. 932). Ceterum prima tantum scapularia, quibus fideles induuntur, benedicenda atque imponenda sunt a sacerdote, quando vero deperdita vel attrita sunt, possunt alia non benedicta assumi (Beringer, l. c., n. 923; Gougnard, *De Indulgentiis* [5], p. 244 et 248; cfr. S. Off., 11 mai 1916, *AAS* 8, 175).

21 - Milites tamen singulari gaudent privilegio. Omnes enim milites ex copiis terrestribus et maritimis sub armis constituti (i. e. qui actu apud exercitum degunt), possunt numisma scapularium benedictum suscipere ac deferre, quin teneantur respectiva scapularia lanea antea recipere. Iis autem scapularibus censentur adscripti, pro quibus numisma est benedictum; iisdemque etiam militia abdicata, modo prorsus definitivo, adscripti manent (Secret. Status, 22 martii 1912, ap. *Periodica* 7, 224; cfr. S. C. Negot. Eccl.

Extraord., 10 nov. 1914, *AAS* 6 p. 673). De hoc numismate infra est agendum, n. 29 ss.

c - *De nonnullis indulgentiis aliisque favoribus scapularium*

22 - Ad lucrandas singulorum scapularium indulgentias aliasque gratias spirituales necesse est, ut fideles (praeterquam milites: n. 21) scapulare benedictum legitime suscipiant idque deferant continuo pendens a collo unaque sui parte pectus et altera tergum contegens (Decr. auth. S. C. Indulg., n. 277 et 394), vel immediate super corpus vel super vestes interiores (l. c., n. 367 ad 2), nisi loco scapularium deferant peculiare numisma metallicum (n. 29).

23 - Indulgentiae aliique favores scapularium quaerantur in summariis approbatis. Peculiarem tamen mentionem hic merentur benedictio cum indulgentia plenaria pro adscriptis scapulari Ss. Trinitatis atque privilegium sabbatinum scapularis Carmelitici.

24 - *Benedictio cum indulgentia plenaria* adscriptis scapulari Ss. Trinitatis, qui confessi s. Communionem receperunt, conceditur his decem diebus: S. Agnetis secundo (28 ian.), Purificationis Virginis Mariae (2 febr.), S. Ioannis de Matha (8 febr.), B. Ioannis Bapt. a Conceptione (14 febr.), feria iv cinerum, feria v in Coena Domini, S. Michaelis de Sanctis (10 apr.), Ss. Trinitatis, S. Felicis de Valois (20 nov.) ac S. Catharinae (25 nov.). Quae benedictio duplici ritu impertiri potest, nempe publice et privatim.

Publice impertitur sodalibus scapularis in unum congregatis iuxta formulam « Intret oratio mea », insertis in eius ultimam orationem verbis « beatorum Patrum nostrorum Joannis et Felicis » (Rit. Rom., tit. viii c. 33 ii; Beringer, *Die Ablässe* [15], ii n. 508).

Privatim haec benedictio dari nequit extra confessio-

nale, neque illis fidelibus, qui non indigent confessione pro indulgentia lucranda (S. C. Indulg., 30 ian. 1896 ad 1, ap. Mocchegiani, *Collectio Indulgentiarum*, n. 1586). Si praemittitur confessio, immediate post absolutionem sacramentalem haec benedictio danda est. In confessionali igitur, sive praecesserit confessio sacramentalis sive non, sacerdos, ceteris omissis, absolute incipiat a verbis « Dominus noster Jesus Christus etc. », et ita prosequatur usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato atque insertis, ut supra, verbis « beatorum Patrum nostrorum Joannis et Felicis » (Rit. Rom., tit. viii c. 33 ii).

Sed si « adiuncta vetent integram adhibere formulam in Rituali Romano praescriptam, sacerdos, reliquis omissis, dicere poterit » : « Auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa, plenariam omnium peccatorum tuorum indulgentiam tibi impertior. In nomine Patris et Filii ✠ et Spiritus Sancti. Amen ». (Rit. Rom., Appendix, Bened. reserv. ii n. 5).

25 - Omnes sacerdotes adscripti hanc benedictionem dare possunt publice et privatim vel ipso die assignato (n. 24) vel quolibet die intra septiduum subsequens, privatim vero etiam pridie eorum dierum, quibus eadem benedictio est adnexa (S. Paenit., 20 nov. 1923 ad 1 et Breve S. C. R. 11 febr. 1924 ap. *Commentarium pro Religiosis* 5, 201-206).

26 - *Privilegium sabbatinum* dicitur adiutorium ac specialis protectio, quod beata Maria Virgo pie creditur praestare fidelibus in caritate defunctis, praecipue die Sabbati post obitum, si

« *a* - in vita habitum (vel eius loco numisma n. 29) gestaverint et

b - castitatem pro suo statu coluerint, ac (nisi iam teneantur ad recitationem divini officii)

c - officium parvum recitaverint, *vel*, si id recitare nesciant,

d - ecclesiae ieiunia observaverint et feria quarta ac sabbato a carnibus abstinuerint, nisi in iis diebus Nativitatis Domini festum inciderit » (Summarium auth. appr. 4 iul. 1908, ap. *Periodica* 3, p. 265; cfr. Rit. Rom., Appendix, Bened. propr. Ord., n. 12 et 13 in fine).

Fidelibus igitur non est liberum inter opus sub *c* et *d* relatum eligere, i. e. officium parvum recitare vel abstinentiam servare; sed qui legere sciunt, nisi iam teneantur ad recitationem divini officii, debent officium parvum recitare idque, si privatim faciunt, *quocumque* idiomate; qui autem legere nesciunt, ieiunia Ecclesiae secundum indultum dioecesanum et abstinentiam feria quarta ac sabbato, ut supra, servent oportet (S. C. Indulg., Decr. auth., n. 419 ac 3 dec. 1892 ad 1; ap. Mocchegiani, *Collectio Indulgentiarum*, n. 1933; Coll. Prop. Fidei n. 2114 ad 1 et 3; 18 dec. 1906 ap. *Periodica* 3 p. 67).

27 - Omnes confessarii possunt, etiam extra confessionem, suis paenitentibus commutare abstinentiam praescriptam illiteratis (Coll. Prop. Fidei, n. 2114 ad 3). Ad commutationem autem officii parvi pro scientibus legere aut *ieiunii* pro nescientibus legere, requiritur specialis facultas, quae a Praeposito Generali Ordinis Carmelitici facile potest obtineri (Gougnard, *De Indulgentiis* [5] p. 252).

28 - Notetur tamen sedulo, recitationem officii parvi aut abstinentiam feriae quartae ac sabbati « haud esse condiciones generales pro indulgentiis deferentibus sacrum scapulare concessis, sed pia tantum opera a confratribus peragenda », qui specialem favorem privilegii sabbatini lucrari cupiunt. Quare christifideles rite recepti et legitime deferentes scapulare B. M. V. de Monte Carmelo (eiusve loco nimisma scapularium) « frui possunt omnibus indulgentiis a Summis Pontificibus concessis praedictae confraternitati, dummodo tamen pia peragant opera iniuncta in concessione earundem » (Decr. auth. S. C. Indulg., n. 279).

d - De numismatibus loco scapularium deferendis

29 - Impositione scapularium rite peracta fideles pro lubitu, aut suscepta scapularia modo n. 22 descripta gestare, aut eorum loco unicum numisma ex metallo seu ad collum seu aliter, decenter tamen, super propriam personam possunt deferre et ita favores omnes spirituales (sabbatino privilegio (n. 26-27) non excepto) omnesque indulgentias singulis scapularibus adnexas participare ac lucrari. Huius numismatis pars recta imaginem sanctissimi D. N. Iesu Christi Cor suum ostendentis, aversa vero aliquam B. V. Mariae effigiem referre debet (S. Off., 16 dec. 1910, *AAS* 3 [1911] p. 22). Sufficit autem quaecumque effigies mariana, cum determinata minime requiratur (Gougnard, *De Indulgentiis* [5] p. 266).

30 - Omnis sacerdos, pollens facultate scapularia imponendi, potest, iuxta cit. decretum S. Officii, pro iisdem praefatum numisma benedicere. Hinc sacerdotes, adscripti unioni cleri pro missionibus, gaudent facultate benedicendi idem numisma pro quinque consuetis scapularibus (n. 9).

31 - Praefatum numisma *tot* distinctis crucis signis est benedicendum, quot sunt scapularia, quorum loco deferendum est (S. Off., 16 dec. 1910, *AAS* 3 [1911] p. 22). Sufficit igitur signum crucis manu efformare, nulla adhibita formula, nullis vestibus sacris, absque aliis caeremoniis (S. Off., 18 maii 1914, *AAS* 6 [1914] p. 346; A. Gougnard, *De Indulgentiis* [5] p. 146 et 229; Fanfani, *De Indulgentiis* [2], n. 116 B). Si numisma substituendum est quinque consuetis scapularibus, quinquies debita intentione crucis signum super id efformetur, nihil dicendo. Intentio autem debet aliquo modo esse distincta, ut benedictio aliquid efficiat; quare sacerdos vel mente suum cuique scapulari signum deputet, v. g. primum signum crucis valeat pro scapulari Ss. Trinitatis, et sic porro, vel intendat supplere scapu-

laria eo ordine, quo sint instituta vel alia simili ratione (*Periodica* 5 p. 269). Unico crucis signo autem pro unoquoque scapulari sacerdos potest benedicere publice omnia sacra numismata, quae habent fideles in ecclesia vel in quodam conventu, quin haec numismata videantur vel in individuo cognoscantur (S. Off., 5 iunii 1913 ap. *AAS* 5 [1913] 303).

32 - Ista numismata benedici possunt sive ante sive post scapularium impositionem vel serius alio quovis tempore, pro petentium opportunitate, etiam a sacerdote, qui diversus sit ab eo, qui fidelibus scapularia imposuit vel imponet. Quae vero antea benedicuntur, non prosunt gestantibus nisi a tempore, quo scapularia per regularem impositionem susceperunt; impositio enim scapularium ex panno omnibus, exceptis militibus (n. 21), manet necessaria (S. Off., 16 dec. 1910 et 5 iunii 1913 ad 2, *AAS* 3 [1911] p. 22 et 5 [1913] p. 303).

33 - Primo numismate deperdito vel usu detrito novum, quod assumitur, rite ut supra n. 31, benedicendum est (S. Off., 11 maii 1916, *AAS* 8 [1916] 175).

§ 4 - *De facultate anticipandi Matutinum et Laudes*

34 - Omnes sodales, tam sacerdotes quam clerici, rite adscripti, anticipare possunt a meridie recitationem Matutini cum Laudibus diei subsequentis, dummodo tamen officium diei currentis iam persolverint (Bened. xv, 2 dec. 1921, *AAS* 13 [1921] p. 565 et 18 [1926] p. 236; S. C. Prop. Fidei 6 dec. 1935, *AAS* 28 [1936] p. 489). Post horam decimam quartam (seu secundam a meridie) cuivis licet privatim anticipare Matutinum cum Laudibus (Decr. auth. S. C. R., n. 4136 ad 2). Anticipatio autem post horam duodecimam diei ad valorem requirit, ut officium diei currentis iam sit absolutum (*Periodica* 10 p. 359 et 11 p. (104); cfr. can. 39).

Hactenus de favoribus generalibus, seu sectionis prioris elenchi; sequetur commentarium favorum reservatorum seu alterius sectionis.

FRANCISCUS XAVERIUS HECHT, P. S. M.

19 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

Decretum 31 decembris 1937

DE PRECIBUS ET PIIS OPERIBUS INDULGENTIIS DITATIS, NOVA COLLECTIONE EDITIS

(*AAS* xxx [30 martii 1938] p. 110 s)

Quandoquidem ex una parte opus, a Sacra Congregatione Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum anno MDCCCLXXXXVIII editum, multis iam annis non amplius venale prostat; ex altera vero eiusdem generis Collectioni, quae anno MDCCCCXXIX in lucem prodiit, generales indulgentiarum concessiones postremis hisce temporibus, ac praesertim iubilari Redemptionis anno, aliae ex aliis accessere, christifideles non pauci ac vel sacerdotes et Episcopi ab Apostolica Sede petierunt, ut novum, idemque authenticum, prelo excuderetur opus, quod pontificias hac in re largitiones ita in unum colligeret, ut tuta communi pietati norma esset.

Cum vero Augustus Pontifex hac de causa certior factus esset, infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori mandavit, ut huic operi admoveretur manus, cui etiam Ipsemet perficiendo generales normas rationesque indicavit. Eo videlicet spectabat Beatissimi Patris consilium, ut non modo preces et pia opera indulgentiis ditata in unum redigerentur, sed ut potius aptiore indutus forma elenchus

vulgaretur, qui et recentiores omnes Summorum Pontificum id genus largitiones complecteretur, et novo usui novisque huius Offici praescriptis ordinate responderet, quae idcirco Suprema Auctoritate duce invecta sunt, ut indulgentiarum doctrinam atque incrementa nostra hac aetate moderarentur.

Quapropter Sacra Paenitentiaria Apostolica, ut Beatissimi Patris mandata faceret, post diuturnum studium diligentemque laborem, preces et pia opera, ad praesentem hanc diem a Summis Pontificibus indulgentiis ditata, in unum collegit et in vulgus edidit; tum ea videlicet, quae in favorem omnium christifidelium, cum ea etiam quae in favorem quorumdam coetuum spiritualibus hisce muneribus insignita fuerunt: idque ad normam perficiendum curavit earum immutationum atque rationum, quas Suprema ipsa Auctoritas proposuerat.

In Audientia vero infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori die 11 mensis Decembris vertentis anni concessa, Ssmus D. N. Pius divina Providentia Pp. XI Collectionem hanc, typis vaticanis impressam, approbavit et confirmavit et, abrogatis generalibus indulgentiarum concessionibus in eadem Collectione non relatis, ipsam tantum uti authenticam haberi mandavit.

Contrariis quibuslibet etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae, ex S. Paenitentiaria Apostolica, die 31 Decembris 1937.

L. Card. Lauri, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. S. Luzio, *Regens.*

Notandum

Nullum profecto momentum et utilitas novae Collectionis fugere potest; dum autem Commentarios in eandem edendos, si opus sit, in posterum seponamus, interim iam

animos advertimus ad ultimum Decreti incisum: novam scl. Collectionem non solum esse authenticam, verum etiam exclusivam, eo pacto ut anteriores concessiones *generales* in eadem non recensitas, abroget.

Ios. C., S. I.

20 - Pont. Commissio Interpret. Codici Responsa ad varia dubia, 30 dec. 1937

DE COMMUNICATIONE PRIVILEGIORUM (CAN. 613) NECNON DE EXCUSATIONE A POENIS (CAN. 2229)

(*AAS* XXX [28 febr. 1938] p. 73)

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I - DE COMMUNICATIONE PRIVILEGIORUM INTER RELIGIONES

D. An verba canonis 613 § 1: *exclusa in posterum qualibet communicatione,* ita intelligenda sint ut revocata fuerint privilegia a religionibus ante Codicem I. C. per comunicationem legitime acquisita et pacifice possessa.

R. *Negative.*

II - DE EXCUSATIONE A POENIS LATAE SENTENTIAE

D. An metus gravis a poenis latae sententiae eximat si delictum, quamvis intrinsece malum et graviter culpabile, non vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum ad normam canonis 2229 § 3 n. 3.

R. *Affirmative.*

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 30 mensis Decembris, anno 1937.

I. Card. SERAFINI, *Praeses.*

L. ✠ S. I. BRUNO, *Secretarius.*

Annotationes

I

De Communicatione Privilegiorum inter Religiones (*can.* 613 § 1)

Responsum Commissionis diu exspectatum maximi momenti est pro Religiosis. Controversia enim sat acris exsistebat inter canonistas post Codicis promulgationem. Canon 613 § 1 excludit quamlibet communicationem privilegiorum in posterum. Quid de privilegiis per viam communicationis obtentis ante promulgationem Codicis? En quaestio controversa. Sententia communior tenebat communicationem privilegiorum excludi a can. 613 § 1 tantum in futuro, non abrogari quoad praeterita. Hanc sententiam Commissio responso suo confirmavit. Si lector benevolus velit recolere argumenta pro et contra hanc sententiam posita, legat accuratam dissertationem R. P. Honesti Tatjer (1), in quo recenset 40 auctores pro sententia communiore, 19 auctores qui putabant communicationem privilegiorum suppressam esse etiam quoad praeteritum, 14 auctores qui verba tantum Codicis referunt vel saltem cuinam sententiae assentiant non clare manifestant. Cum controversia responso Commissionis nunc sit decisa, nobis utile hic videtur exponere breviter naturam, historiam, ambitum et limites communicationis.

I - *Natura Communicationis Privilegiorum*

In genere, privilegia quattuor modis acquiri possunt: directa concessione, praescriptione, consuetudine et communicatione (can. 63). Communicatio vero est modus quo privilegium uni personae physicae vel morali datum, ad

(1) *De Communicatione privilegiorum inter Religiones*, in *Apollinaris*, v (1932), p. 458-486.

aliam quoque personam sive physicam sive moralem ex superioris ecclesiastici ordinatione extenditur, sive peculiari concessione sive praesertim lege generali. Communicatio vero est vel *aeque principalis*, quo casu privilegium ita communicatum fit independens a priori concessione et per se stat et perit; vel est *accessoria*, quo casu privilegium communicatum sequitur principale et cum illo augetur, minuitur, aut perit (can. 64, 65).

II - *Historia Communicationis Privilegiorum*

Prima concessio privilegiorum per communicationem continetur in duplici Const. Sixti IV, *Regimini*, 31 aug. 1474, qua, praeter alia, statuitur communicatio inter Ordinem Fratrum Praedicatorum et Ordinem Fratrum Minorum Conventualium; quae constitutiones eam ob rem vocatae sunt *Mare magnum* Praedicatorum et Minorum. Ibidem n. 16 sanxit Pontifex communicationem privilegiorum inter duos Ordines, qua alter alterius privilegiis aequo modo gauderet, addita canonica ratione, ob quam illa communicatio inducitur: « *ut quos par labor pariaque merita coniungunt, paria coniungant privilegia et favores* », quae pariter habenda est aequa ratio pro aliis communicationis concessionibus (1). Idem autem R. Pontifex eodem anno, 27 maii, const. *Sedes Apostolica* Congregationi Eremitarum S. Francisci de Paula concessit vel potius confirmavit communicationem privilegiorum cum Fratribus S. Francisci ceterisque mendicantibus. Anno 1479 per aliam constitutionem *Sacri Praedic. et Min. Ordines* Ordini S. Dominici et S. Francisci nova concessit privilegia et communicationem tribuit privilegiorum cum Eremitis S. Augustini, Carmelitis, et Servis B. M. V.

Iulius II, 28 iul. 1506, const. *Dudum ad sacrum* nova contulit privilegia Minimis (*Mare magnum Minimorum*) et

(1) Wernz-Vidal, III p. 406, in nota 8, d.

communicationem cum ceteris mendicantibus. Idem fecit pro Eremitis S. Augustini const. *Etsi* et const. *Religionem vestram* (1508) communicationem expresse extendens etiam ad privilegia *vivae vocis oraculo concessa.*

Leo x const. *Dudum per nos,* 10 dec. 1519 communicationem statuit inter sex Ordines Praedicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Servorum B. M. V., Minimorum, quae communicatio in forma aeque principali, motu proprio concessa, valebat et de privilegiis concessis et concedendis.

Clemens viii const. *Ratio pastoralis,* 20 dec. 1597, Minimis concessit communicationem privilegiorum cum Ordinibus etiam non mendicantibus.

Generatim privilegia communicationis non sunt facta Congregationibus. Nonnullae tamen Congregationes indulta obtinuerunt quibus ipsis Regularium privilegia communicantur. Sic Congregationi SS.mi Redemptoris a Summis Pontificibus communicata sunt pariformiter et aeque principaliter privilegia, exemptiones, indulta, aliaeque spirituales gratiae tribus Congregationibus Doctrinae Christianae, Piorum Operariorum, et Clericorum Discalceatorum Crucis et Passionis D. N. I. C. usque tunc concessa, et quae in posterum concederentur. Haec sufficiant uti exempla evolutionis instituti communicationis privilegiorum. Qui plus de hac re scire velit, legat Tamburini, *De Iure Abbatum,* v. i, Disp. xvii, QQ. 1-49, ubi fuse exponit quibusnam communicationibus diversae religiones potitae sint.

III - *Ambitus Communicationis Privilegiorum*

Communicatio privilegiorum unius Ordinis cum altero non est mutua, nisi expresse dicatur. In communicatione vero plura includebantur et sub nomine privilegiorum veniebant, quae proprie loquendo privilegia non sunt, ut gratiae et dispensationes, etc. quia eorum notiones iure

antiquo non ita clare patebant ac nunc circumscriptas in titulo v libri primi Codicis habemus.

Communicatio quae inter Regulares vigebat concessa erat pariformiter et aeque principaliter, et privilegia communicanti reddebat propria et independentia ac si ipsi directe et immediate collata fuissent. Inde fiebat, quod si in priori privilegiato privilegium aliquod vel diminutum vel sublatum esset, penes posteriorem nulla accessit mutatio, seu sic illud conservabat prout ad ipsum transiit. In applicandis sibi privilegiis a prima religione habitis, servandus erat modus quo ipsi privilegia concessa fuerunt. In specie Iulius II (const. *Alias ad supplicationem*, 1 iun. 1509) haec determinavit:

1 - de Praelatis unius Ordinis privilegia transeunt ad Praelatos alterius Religionis, qui in eadem sunt dignitate constituti, etsi forte nomine dispares sint;

2 - item de Fratribus privatis ad Fratres privatos, seu de singulis subditis ad singulos subditos alterius Ordinis; non vero privilegia personae particulari concessa, utpote personalia;

3 - de conventibus ad conventus, quando eadem vel similis ratio militat;

4 - de festivitatibus ad festivitates; e. g. privilegium pro solemnitate fundatoris unius Ordinis, concessum censeatur et pro solemnitate festivitatis fundatoris alterius Ordinis. Sed absque speciali privilegio, communicatione sola privilegiorum, Regulares non possunt addere nomen S. Fundatoris in Litaniis et Confiteor, itemque recitare Officia et Missas concessas aliis Religionibus (S. R. C., D. 2166 ad 2, 20 mart. 1706).

Porro communicatio privilegiorum intellegenda est non tantum de concessis directe, sed etiam de iis quibus per communicationem gaudent (Piatus, II, Q. 145, 2°).

IV - *Limites Communicationis Privilegiorum*

Si privilegia per communicationem iam ante Codicem acquisita per responsionem Commissionis confirmantur, non tamen est putandum communicationem quae inter Regulares ut plurimum locum habebat, nullis fuisse adstrictam peculiaribus normis. Plures enim limitationes apponendae erant huic communicationi. Videamus praecipuas.

A communicatione generali privilegiorum, nisi specifice nominentur in concessione, manent exclusa:

1 - quae concessa fuerunt cum clausula incommunicabilitatis;

2 - extraordinaria, i. e. sic dicta *exorbitantia,* iuxta reg. 81 Iuris in VI: « In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus ». Propter hanc rationem BENEDICTUS XIV in const. *Impositi nobis,* 27 febr. 1747, exclusit a communicatione privilegium suscipiendi Ordines a quolibet Episcopo;

3 - privilegia quae alicui ordini, conventui, aut ecclesiae fuerant concessa ob rationem omnino specialem, v. g. propter miraculosam imaginem ibi veneratam, privilegium Portiunculae, etc.; necnon privilegium altaris privilegiati;

4 - privilegia quae Ordinis Constitutionibus essent contraria. Haud raro illa quoque erant exclusa, quae a suprema ordinis potestate repellerentur. Haec duplex limitatio apponitur a S. PIO V const. *Dum indefessae,* in concedenda communicatione Societati IESU, et magis adhuc explicite in const. *Decet* GREGORII XIII, 1575;

5 - privilegia ad tempus concessa, seu non in perpetuum; non enim sunt proprie dicta privilegia.

V - *Conclusio*

Finem imponamus huic commentario dicendo Regularium privilegia non adeo numerosa esse, quantum ob oculos ponit locutio *Mare magnum;* nam attendendae sunt

plures *revocationes* saepius factae, iam multo ante Codicem, e. g. privilegiorum decretis Tridentinis contrariorum, et vivae vocis oraculorum. Tandem notandum est S. Congregationem de Religiosis recognitionem privilegiorum omnium Religionum instituturam esse.

ADAMUS ELLIS, S. I.

II

De Excusatione a Poenis Latae Sententiae (*can.* 2229 § 3 3°)

Authentice solvitur, per hoc responsum, dubium quod manebat circa vim metus gravis in ordine ad excusandum a poenis latae sententiae.

1 - Etenim aliqui auctores, innixi principiis in canone 2205 contentis, tenebant metum gravem excusare quidem a poenis propter violationem legis *mere* ecclesiasticae inflictis, minime vero excusare a poenis inflictis propter *actum qui intrinsece malus sit,* etsi in contemptum fidei etc. non vergat.

Argumenta afferebant sequentia:

a - Ubicumque delictum habetur secundum proprietatem verborum completum, eo ipso ex canone 2217 § 1 2°, poena latae sententiae incurritur. Sed ex canone 2205 § 3, si actus sit intrinsece malus metus gravis non aufert delicti imputabilitatem. Ergo neque poenae susceptionem.

b - Fere eodem modo argumentum a contrario desumendo ex canone 2218 § 2, ex quo videtur illos tantum excusari a poenis latae sententiae incurrendis, qui excusantur a gravi imputabilitate culpae; a qua certe non excusantur violantes, ex metu gravi, qui usum rationis non tollit, legem naturalem.— Sic inter paucos D. SOLE, *De Delictis et poenis,* Romae 1920, p. 318 ss.

2 - Alii multi tamen contrarium tenebant, asserentes extra canonem 2229 § 2 n. 2, metum gravem semper excusare a poenis latae sententiae etiamsi adsit gravis reatus culpae moralis.

Argumenta pro hac sententia petebantur ex necessitate concordandi canones cum iure veteri, et videri possunt in Cappello, *De censuris* [3], n. 61. Nunc autem praesenti responso dubium solvitur secundum hanc sententiam, quae adeo communis iam evaserat ut casus solverentur sine haesitatione in hoc sensu. E. c. D. Teodori: « mater, si ex metu gravi sibi abortum procuraverit, etsi rea sit gravis peccati, censuram hanc, de qua c. 2350 § 1, non contrahit prout apparet ex canone 2229 ». (*Apollinaris*, v [1932] p. 253).

Responsum tamen necessarium ostendebatur eo quod occasio confusionis manebat propter canonem 2205 n. 3, ubi actus *intrinsece malus*, quoad delictum in eadem linea ponitur ac actus qui vergunt in contemptum Fidei, etc.

Ulpianus López, S. I.

21 - Ordinariatus dioecesis Linciensis

Monitum

DE VITANDIS EXAGGERATIONIBUS IN RE LITURGICA

(apud *Linzer Diözesanblatt* LXXXIII (1937) p. 114 ss)

Movimentum liturgicum (1) in dies novos dolendos errores producit. Altare invertunt, ut possint celebrare facie versa ad populum; tabernaculum de medio altaris auferunt et in aliquo pariete collocant; laici stantes S. Com-

(1) Sic latine reddimus textum originalem: Die liturgische Bewegung weist immer wieder bedauerliche Abirrungen auf. Der Altar wird umgekehrt zwecks Zelebration facie versa ad populum - das Tabernakel wird aus der Mitte des Altares entfernt und in eine Wand-

munionem accipiunt; missa quae dicitur « cantata et recitata » quotidiana et mechanica repetitione vilescit; post Pater Noster omittunt Ave Maria; Rosarium recitare intra Missam prohibent.

Eiusmodi tendentiae publicam et severissimam damnationem merentur. Statuimus igitur stricte pro utroque clero quae sequuntur:

1 - Inversio altaris et celebratio facie versa ad populum omnibus sine exceptione stricte vetatur. Nemini licet usus, qui forte in Ecclesia primitiva fuerint, proprio marte instaurare; id quod neque aedificationi fidelium inservit neque genuino movimento liturgico, sed novitate populum perturbat et contradicit vigenti praxi ecclesiae.

2 - Tabernaculum removere de medio altaris et SS. Sacramentum collocare in aliquo loco parietis expressis verbis prohibetur a Codice et a Rituali Romano: can. 1269 § 1: Sanctissima Eucharistia servari debet in tabernaculo inamovibili in media altaris parte posito. - Rituale Romanum (tit. IV c. 1 n. 6): Tabernaculum in altari maiori vel in alio sit collocatum.

3 - S. Communionem stando accipere expressis verbis

---

nische verwiesen - Kommunikanten empfangen die heilige Kommunion stehend - die Betsingmesse wird zu einer schablonenhaften und eintönigen Alltagsmesse - das Ave Maria wird nach dem Vaterunser ausgelassen - das Rosenkranzgebet während der heiligen Messe untersagt.

Solche Bestrebungen müssen offen und unnachsichtig missbilligt werden. Es ergehen demnach ausnahmslos für den Welt- und Ordensklerus nachfolgende strikte Weisungen:

1 - Die Umstellung des Altares und die Zelebration facie versa ad populum wird ausnahmslos und strenge untersagt. Es steht niemandem zu, früher bestandene altchristliche Gebräuche der Urkirche eigenmächtig zu repristinieren; dies dient nicht der Erbauung der Gläubigen und der richtig verstandenen liturgischen Bewegung, sondern ruft vielmehr die Verwunderung und Beunruhigung des Volkes wach und steht im Widerspruch mit der bestehenden kirchlichen Praxis.

2 - Die Entfernung des Tabernakels aus der Mitte des Altars und die Aufbewahrung des Allerheiligsten in einer Wandnische ist ausdrücklich verboten durch den Kodex und durch das Rituale Romanum. Canon 1269 § 1: Sanctissima Eucharistia servari debet in tabernaculo inamovibili in media parte altaris posito. - Rituale Romanum (tit IV c. 1 n. 6): Tabernaculum in altari maiori vel in alio sit collocatum.

3 - Die hl. Kommunion stehend zu empfangen ist ausdrücklich

vetatur a Rituali Romano (tit. IV c. 1 n. 3): utroque genu flexo Sacramentum suscipiant; n. 4: si danda sit communio, ad gradus altaris genuflexis praebeatur.

4 - Ave Maria post Pater Noster in publico officio divino minime omittendum est. Cavendum, ne falsificata et obliqua idea quae vocatur christocentrica diminuat devotionem Marianam, id quo maxime absit in nostra Austria Superiore Mariae devotissima.

5 - S. Rosarium ne prohibeatur durante Missa, tamquam sit « oratio non liturgica », cum e contra vix inveniatur devotio, quae tam concinne, graphice et populo accommodate naturam et significationem Sacrificii Missae exhibeat, quam ipsa recitatio S. Rosarii. Sacrificium Missae mystice manifestat et instaurat non solum Passionem, sed totam vitam Salvatoris: « Memores nos servi tui, sed et plebs tua sancta, eiusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae passionis, necnon et ab inferis resurrectionis, sed et in caelos gloriosae ascensionis », quae mysteria in triplici Rosario commemorantur. Cum Leo XIII pro mense octobri recitationem Rosarii durante Missa disertis verbis iniunxit, nulli movimento liturgico illud e Missa eliminare fas est.

---

untersagt durch das Rituale Romanum (Tit IV c. 1 n. 3): utroque genu flexo Sacramentum suscipiant; n. 4: si danda sit communio, ad gradus altaris genuflexis praebeatur.

4 - Unter keinen Umständen darf das Ave Maria nach dem Vaterunser bei öffentlichen gottesdienstlichen Funktionen ausgelassen werden. Die falsch verstandene und einseitig betonte sogenannte christozentrische Idee darf nicht zu einer Verdrängung der marianischen Ideologie führen, am allerwenigsten in unserem marianischen Oberösterreich.

5 - Das hl. Rosenkranzgebet darf nicht als ein « unliturgisches » Gebet aus der hl. Messe verdrängt werden; - im Gegenteil, es gibt kaum eine katholische Messandacht, die in so knapper, anschaulicher und populärer Weise das Wesen und die Bedeutung der hl. Messe veranschaulicht und ausdrückt wie gerade das Rosenkranzgebet. Die hl. Messe ist die mystische Darstellung und Erneuerung nicht nur des Leidens, sondern des gesamten Erlöserlebens - Memores nos servi tui, sed et plebs tua sancta, eiusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae passionis, necnon et ab inferis resurrectionis, sed et in coelos gloriosae ascensionis - Geheimnisse, die im dreifachen Rosenkranz in Erinnerung treten. Wenn Leo XIII für den Monat Oktober den hl. Rosenkranz innerhalb der hl. Messe ausdrücklich vorgeschrieben hat, hat keine liturgische Bewegung das Recht, ihn aus der hl. Messe zu verdrängen.

6 - Movimentum liturgicum ne deveniat in lusum subiectivisticum et separatisticum, in nugas et « Sport » liturgicum singulorum quorundam, sed ordinetur in curam animarum universalem tamquam supremum et immutabile principium. Plus valet pastoratio universalis per praedicationem et sacramenta, opera et uniones sociales, vivam actionem catholicam et apostolatum laicorum, quam specificata imbutio liturgica singulorum coetuum. Exterior, mechanica, vel violenta iniunctio ideologiae et praxis liturgicae parum proderit, quin immo animos avertit, populum alienat a sana et vera vita liturgica Ecclesiae, ipsum periculum excitat separationum, ne dicam schismatum.

Quod idem valet etiam de Missa quae vocatur « cantata et recitata ». Infinita repetitione identicae vel verbis tantum variantis orationis auditio Missae deveniet in schema, id quod multi auditores molestissime et quasi coactionem religiosam ferre coeperunt. Quandoque vel « Missa cantata et recitata » utiliter adhiberi potest; sed omni Dominica, immo cotidie instituta modum excedit, taedium movet et omnem devotionem personalem delet. « Liturgia in communitate » (Gemeinschaftsgottesdienst) ne sit in eo, ut singuli quidam placita sua liturgica communitati iniungant,

---

6 - Die liturgische Bewegung darf nicht ausarten in eine subjektivistische und separatistische Liebhaberei, Tändelei und « liturgischen Sport » einzelner, sondern muss sich in den Dienst der Gesamt-Seelsorge eingliedern, die das oberste Prinzip ist und bleibt. Wichtiger als alle liturgische Detailbetreuung einzelner Kreise ist die allgemeine Pastoration durch Predigt und Sakramentenempfang, durch Pflege der Standes- und Vereinsbedürfnisse, durch Verlebendigung der katholischen Aktion und des Laienapostolates. Ein bloss äusseres mechanistisches oder gar gewaltsames Aufzwingen der liturgischen Ideologie und Praxis wird wenig Nutzen erzielen, stösst innerlich ab, entfremdet das Volk dem gesunden und richtig verstandenen liturgischen Leben der Kirche und birgt geradezu die Gefahr separatistischer, um nicht zu sagen schismatischer Tendenzen in sich.

Das gilt namentlich auch von den sogenannten Betsingmessen. Durch die immerwährende Wiederholung des gleichen oder nur in Worten verschiedenen Gebets wird die Messe allmählich zur Schablone, was vielen Messbesuchern bereits unerträglich zu werden beginnt und wie eine religiöse Vergewaltigung empfunden wird. Hie und da ist ja eine Betsingmesse ganz angezeigt; aber Sonntag für Sonntag oder gar bei jeder täglichen Messe bedeutet sie ein Uebermass, das abstumpft und jede persönliche Andacht untergräbt. « Gemeinschaftgottesdienst » besteht nicht in der Aufnötigung liturgischer Lieblingstendenzen ein-

neque id quod forte placet singulis coetibus qui vocantur liturgicis, quasi officium universis per vim imponatur. In hac re movimentum liturgicum ne promoveatur, sed diminuatur.

7 - Imprimis denuo monemus clerum iuniorem, ut in colendo movimento liturgico districte et sine exceptione observet mandata, desideria et consilia praepositorum parochorum; ne expressa approbatione et permissione parochi quidquam huius generis innovetur; ut sanum et diuturna experientia pastorali probatum iudicium parochorum et omnium seniorum pastorum pluris faciant quam istas inventiones inquietas et articulos cuiusdam litteraturae liturgicae popularis. Non omnia quae licent expediunt - Fratres sobrii estote - Sub specie boni multi decipiuntur.

† Iohannes Maria

Annotationes

Quamvis praesens Monitum per se dioecesim particularem dumtaxat respiciat, et plura continet quae difficile intelleguntur nisi quis consideret condiciones locales, tamen et alibi, congrua congruis referendo, utiliter applicari potest; et haec est ratio cur idem exscribendum duximus.

Ad singulas vero paragraphos haec notata habeas:

---

zelner auf die Gesamtheit, und was einzelnen sogenannten liturgischen Gemeinden gefällt, darf nicht gewaltsam zum Pflichtgottesdienst für alle gemacht werden. Hier ist nicht Ausbau, sondern Abbau der liturgischen Bewegung am Platz.

7 - Es ergeht namentlich an den jüngeren Klerus erneut die eindringliche Mahnung, sich bei der Pflege der liturgischen Bewegung strikte und ausnahmslos an die Weisungen, Wünsche und Winke des vorgesetzten Pfarrers zu halten, ohne seine ausdrückliche Billigung und Erlaubnis keinerlei diesbezügliche Neuerung einzuführen und das gesunde, durch reiche seelsorgliche Erfahrung erprobte Urteil des Pfarrers und überhaupt des älteren Seelsorgeklerus höher zu werten als die ständig zu Neuerungen drängenden Anregungen und Artikel einer gewissen überschwenglichen volksliturgischen Literatur. Non omnia quae licent expediunt - Fratres sobrii estote - Sub specie boni multi decipiuntur.

† Johannes Maria.

Ad 1. Studium illud vel furor, quo praesertim in novis sanctuariorum constructionibus altare maius ita ponitur, ut celebrans stet facie versus populum, duabus praesertim considerationibus nititur: altera historica, altera symbolica. Notissimum enim est, in antiquissimis quibusque basilicis Romanis altaria eo modo posita esse. Sed caveas ne credas hunc usum localem Romanum universalis ecclesiae fuisse. In nulla porro liturgia orientali invenitur, in quibus tot antiquissimae ecclesiae ritus conservatos esse constat. Romae vigebat initio non « orientatio » basilicae, sed potius « occidentatio ». In basilicis *coemeterialibus* antiquissimis (S. Petri, S. Pauli antiquioris, S. Laurentii antiquioris, S. Pancratii, S. Sebastiani) construebatur *confessio* occidentata, cui superponebatur altare orientatum. Unde opinio orta est, in omnibus basilicis Romanis altare maius ab initio situ inverso positum fuisse, et in restaurationibus saec. xix nonnulla altaria (ut in S. Saba in Aventino) ab archaeologis invertebantur. Sane qui hodie altaria invertere student, fundamento archaeologico admodum dubio nituntur. Ad quaestionem cf. J. A. Jungmann, *Alte Kirche und Gegenwartskirche*, in *Theol.-prakt. Quartalschrift* 86 (1933) p. 720; J. Braun, *Der christliche Altar* I, 1924, p. 411-417. - Altera ratio est symbolica, scilicet ut unio celebrantis cum populo magis manifestetur. Re vera hic finis solum obtinetur in sanctuariis minoribus, ubi pauci forte circumstant altare: in maioribus basilicis celebrans post altare vix conspicitur. Ceterum iure merito urgeri potest symbolismus contrarius: sacerdos offert nomine populi, ideoque stans quasi in capite populi, id quod manifestius habetur, cum sacerdos sicut populus facie versa quasi ad Deum invisibilem offert.

Ad 2. Dicit quidem *Caeremoniale Episcoporum* lib. I cap. 12 n. 8: « Valde opportunum est, ut illud (SS. Sacramentum) non collocetur in maiori, vel in alio altari, in quo episcopus vel alius solemniter est Missam, seu Vesperas

celebraturus; sed in alio sacello vel loco ornatissimo, cum omni decentia et reverentia ponatur. Quodsi in altari maiori, vel alio, in quo celebrandum erit, collocatum reperiatur, ab eo altari in aliud omnino transferendum est ». - Quod dicitur « in alio sacello vel loco ornatissimo », semper intellegendum esse de aliquo altari patet, sive illud altare sit in propria capella sive in navi ecclesiae; qui uterque modus ubique in ecclesiis Urbis videre est. SS. Sacramentum vero collocare in aliquo scrinio parietis tum in Urbe tum extra hucusque inauditum erat. - Ceterum *Caerem. Episc., l. c.* addit rationem, cur SS. Sacramentum durante functione sollemni in altari ne sit: « ne propterea ritus et ordo caeremoniarum, qui in huiusmodi Missis et Officiis servandus est, turbetur ». Est ergo ratio mere practica, ne scilicet ob praesentiam SS. Sacramenti in altari caeremoniae multiplicentur. In Urbe in omnibus ecclesiis maioribus proprium altare SS. Sacramenti habetur, quod speciali ornatu distinguitur quodque extra functiones liturgicas devotioni fidelium locum praebet. Non id ab Ordinario Linciensi impugnatur, sed tendentia quorundam, qui nescio quo spiritu agitati navigant contra « devotionem tabernaculi » quam aiunt, quasi abstraheret fideles ab ipso sacrificio.

Ad 3. Etiam haec singularitas indiscrete excepta est ex ritibus Ecclesiae antiquae. In ritibus orientalibus etiam hodie laici S. Communionem stantes accipiunt. Sed ritus genuflectendi in Ecclesia Latina immemorabili usu venerabilis eodem plane modo dignus et symbolicus est. Quod si sola antiquitas alicuius ritus praeteriti iustificaret eius instaurationem, possent novatores illi eodem iure Communionem sub utraque specie aut Communionem domesticam introducere.

Ad 4. Per se quidem Pater Noster stare potest sine Ave Maria, prout fit in Canone Missae. Sed aliud est, cum Ave

Maria omitti incipitur, ubi hucusque publice recitari consuevit, ut in benedictionibus vespertinis. Hoc sane gravissimi scandali esset, nec fideles umquam intellegerent, quo pacto religioni Christi Domini obesset pietas erga Beatissimam Eius Matrem. - Austria Superior, i. e. Dioecesis Linciensis, iure se iactat de speciali devotione erga B.V.M., maxime cum splendidissima Cathedralis Linciensis, anno 1862 a F. J. Rudigier episcopo in honorem B.M.V. Immaculatae ingenti molitione incepta non minoribus sacrificiis fidelium nostro fere tempore ad finem usque perducta sit.

Ad 5. Error eorum, qui recitationem Rosarii vel aliarum precum durante Missa impugnant, in eo esse videtur, quod credant, laicos tum solum Missae assistere cum fructu posse, cum ipsa verba celebrantis sacerdotis et ipsi recitent. Sane fidelibus, imprimis eruditioribus, et maxime alumnis scholarum superiorum, magnopere commendatur, ut Missale Romanum sibi familiare faciant et in auditione Missae etiam ipsos textus liturgicos pro privata sua devotione adhibeant. Sed recitatio formulae liturgicae in laico semper manet oratio privata, nec minus utiliter quandoque etiam alias preces, ut Rosarium vel etiam meditationem mere internam laicus instituit.

Ad 6. Asperrima sane verba Episcopi et quae admirationem excitare possunt. Nam quid habet indiscreta forte, sed bona intentione introducta forma devotionis cum schismate? - Tamen in historia ecclesiastica notissimum est, indiscretam quandam devotionem mulierculae unius terrimum illud schisma Donatistarum generasse. Potest enim fieri, ut in eiusmodi res specietenus minutissimas multorum male contentorum animi et secretae oppositiones conspirent. Sane tales prae se ferunt « Sentire cum Ecclesia », verum non cum Ecclesia concreta, prouti est, prouti verificatur in pastoribus exsistentibus et in praxi vigenti, sed cum aliqua Ecclesia abstracta et ideali, quam sibi fingunt.

« Missa cantata et recitata » (*Betsingmesse*) vocatur schema quoddam, secundum quod durante Missa ab uno (laico) alta voce et lingua vernacula recitantur textus selecti ex formulario Missae diei, insertis cantibus communibus. Quod schema imprimis propagatur ab « Apostolatu liturgico populari » Claustro-Neoburgensi in Austria Inferiore. Ordinarius Linciensis minime negat utilitatem huius schematis. Est autem adminiculum privatum, industria quaedam, qua fideles adiuvantur in auditione Missae. Laicus vel laica, quae textus recitat, numquam evadit persona liturgica. Fideles ne credant, hoc schema esse formam Missae aliam vel magis officialem. Ut adminiculum hoc schema vim suam amittit nimia repetitione. Aliud est in sacerdote celebrante, qui quidem et ipse eosdem cotidie vel simillimos textus recitat; nam in sacerdote recitatio textuum liturgicorum non est adminiculum devotionis privatae, sed constituit partem ipsius operis divini.

L. Hertling, S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

22 - SS. D. N. Pius Pp. XI

A — Bulla *Quo christiani,* 17 iun. 1937, ex territorio Ap.ci Vicariatus de *Hankow,* in Sinis, subpraefecturae de *Suihsien, Ingshanhsien* et *Anluhsien,* ad civilem provinciam de *Hupeh* pertinentes, disiunguntur ac separantur, earumque territorium in novam erigitur Praefecturam Ap.cam, de *Suihsien* nuncupandam et Fratrum Minorum, Provinciae de Hybernia, curis concredenda (*AAS* xxx [31 ian. 1938] p. 5 s).

B — Bulla *Quidquid ad spirituale,* 17 iun. 1937, ex dioecesi Osakaënsi territorio, in Iaponia, tota civilis Praefectura de *Shiga* distrahitur, nec non Provinciae civilis de *Kyoto* pars, una cum ipsa urbe *Kyoto,* decem civiles subpraefecturas complectens, quod quidem territorium in Ap.cam Praefecturam, de *Kyoto* nuncupandam, erigitur et constituitur (*AAS* xxx [31 ian. 1938] p. 7 s.).

C — Bulla *Ad evangelicam,* 1 iul. 1937, a Vicariatus Ap.ci de *Changsha* territorio, in Sinis, sex civiles subpraefecturae separantur ac seiunguntur, earumque territorium ita distractum, in novam erigitur et constituitur Ap.cam Praefecturam, de *Siangtan* nuncupandam atque Ap.cis Missionariorum O. F. M. curis committendam (*AAS* xxx [31 ian. 1938] p. 9 s.).

D — Bulla *Enascentium Ecclesiarum,* 1 iul. 1937, Missio *sui iuris* de *Loangwa,* in Africa Centrali, finibus immutatis, ad Vicariatus Ap.ci gradum et dignitatem evehitur ac Societati Missionariorum Africae concreditur (*AAS* xxx [31 ian. 1938] p. 10 ss.).

E — Bulla *Quo maiores,* 1 iul. 1937, e Vicariatus Ap.ci de *Tsingtao* territorio sex civiles subpraefecturae, ad civilem Praefecturam de *Shangtung* pertinentes, separantur ac disiunguntur et exinde novus erigitur Vicariatus Ap.cus de *Ichowfu* nuncu-

pandus Missionariisque Societatis Verbi Divini concredendus (*AAS* xxx [31 ian. 1938] p. 12 s.).

F — Bulla *Recta Ecclesiarum,* 1 iul. 1937, ex missione *sui iuris* de *Loangwa* territorii pars dismembratur et Vicaritui Ap.co de *Nyassa* in Africa centrali adnectitur (*AAS* xxx [28 febr. 1938] p. 53 s.).

G — Bulla *Quo in Rhodesia,* 1 iul. 1937, a Vicariatus Ap.ci de *Nyassa* territorio districtus de *Petauke* et de *Fort Jameson,* a Missione *sui iuris* de *Loangwa,* hac ipsa die in Vicariatum Ap.cum evecta, districtus de *Lundazi* separatur, et territorium ita efformatum in novam Ap.cam Praefecturam erigitur et constituitur, quae de *Fort Jameson* appellabitur (*AAS* xxx [28 febr. 1938] p. 54 s.).

H — Bulla *Ad christianae,* 31 iul. 1937, a dioecesis Taubatensis territorio pars seiungitur quattuordecim paroecias complectens, et harum paroeciarum territorium in novam dioecesim, *Lorenensem* nuncupandam, erigitur et constituitur (*AAS* xxx [28 febr. 1937] p. 56 ss.).

I — Epistola *Laetanti animo,* 7 sept. 1937, SS. D., Em.um P. D. Ioannem Tit. S. Balbinae S. R. E. Presb. Cardinalem Verdier, Archiep.um Parisiensem, Legatum mittit ad Conventum Marialem in Monasterium de Aiguebelle Ordinis Cistercensium Reformatorum ex tota Gallia indictum, munus ei committens, ut Suo nomine Suaque potestate Conventui praesit eidemque ore eius, cui suavis est copia fandi, Sua explicet vota et salutares deferat adprecationes (*AAS* xxx [31 ian. 1938] p. 18 s.).

J — Epistola *Iucundus profecto,* 8 sept. 1937, ad Exc.um P. D. Titum Trocchi, Archiep.um Tit. Lacedaemoniensem eundemque Auditorem Generalem Camerae Ap.cae, quinquagesimum natalem sacerdotii explentem, SS. D. eius promerita dilaudat deque sacro munere tam diu fructuose gesto libenti animo gratulatur (*AAS* xxx [31 ian. 1938] p. 19 s.).

K — Epistola *Quadringentos feliciter,* 12 sept. 1937, ad R. P. Narcisum Durchschein, Priorem Generalem Ordinis Hospitalarii S. Ioannis de Deo, quarto exeunte saeculo ab eiusdem Ordinis constitutione, SS. D., Sodalium enumerans promerita, ut antiquis nova addant exhortat, atque eis caelestia adprecatur auxilia (*AAS* xxx [28 febr. 1938] p. 59 s.).

L — Epistola *Suavi semper,* 14 oct. 1937, Em.um P. D. Angelum Mariam, Episcopum Praenestinum S. R. E. Cardinalem Dolci, Archiep.um Patriarchalis Basilicae Liberianae, SS. D. Legatum Suum eligit atque constituit, ut Suam gerens personam, Conventui Eucharistico ex tota Italiae natione Tripoli ineundo, nomine Suo Suaque auctoritate praesideat (*AAS* xxx [28 febr. 1938] p. 60 s.).

M — Epistola *Pergratus profecto,* 31 oct. 1937, ad Em.um P. D. Ignatium Gabrielem Tit. SS. xii Apostolorum S. R. E. Presb. Cardinalem Tappouni, Patriarcham Syrorum Antiochenum, xxv episcopatus annum expleturum, SS. D. Suam benevolentiam confirmat ac paternos gratulationis Suae sensus patefacit (*AAS* xxx [28 febr. 1938] p. 61 s.).

N — Nuntio radiophonico *Audite populi,* 31 dec. 1937, SS. D. ad urbem Madraspolitanam, ad exitum Congressus Eucharistici Nationalis, verba paterna pronuntiat atque, effuso animo, Ap.cam Benedictionem impertit (*AAS* xxx [31 ian. 1938] p. 25).

O — Motu proprio *Con l'art. 21,* 31 dec. 1937 de pensionibus ordinandis, SS. D. N. promulgat ordinationem pensionum ad unitatem redactam pro omnibus personis ecclesiasticis et civilibus S. Sedi et Civitati Vaticanae in servitio seu civili seu militari addictis. Sumitur vox S. Sedis eo sensu quem habet in can. 7 *CIC;* ad Civitatem vero Vaticanam, in ordine ad praesens Motu proprio, pertinent omnia illa entia, instituta, commissiones, officia, organa et opera residentia in praefata Civitate vel, licet extra illam in Italia resideant, dependentia tamen in ratione administrationis a Sede Apostolica. — Quamvis, si can. 9 respicias, praefatum Motu proprio promulgatum dixeris die 16 febr. 1938, qui dies *AAS* fasciculo appositus est, tamen, in illo legitur « Tale Regolamento andrà in vigore dal 1° gennaio 1938 ». Difficultatem autem dilutam habebis si observes hic proprie non condi ius canonicum, sed potius civile Civitatis Vaticanae, quod utique propriam habet rationem (*AAS* xxx [16 febr. 1938] p. 33-50 - id est, per integrum fasciculum).

P — *Litterae de Patronis*:

Brevi *Romanum Pontificem,* 1 sept. 1937, Sanctus Patricius Confessor et Pontifex, totius dioecesis Bathurstensis peculiaris apud Deum declaratur Patronus (*AAS* xxx [31 ian. 1938] p. 15).

Q — *Litterae de Ecclesiis*:

1 - Brevi *Romanorum Pontificum,* 18 iul. 1937, titulo ac

privilegiis Basilicae Minoris honestatur Templum in honorem S. Antonii, O. F. M., in civitate Mediolanensi Deo dicatum (*AAS* xxx [31 ian. 1938] p. 14 s.).

2 - Brevi *Historicīs constat,* 1 sept. 1937, Baltimorense templum Cathedrale in honorem Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae Deo dicatum titulo privilegiisque Basilicae Minoris, ad instar Basilicarum Minorum de Urbe, decoratur (*AAS* xxx [31 ian. 1938] p. 16 s.).

23 - S. C. Consistorialis

1 - Decreto 20 nov. 1937, territoria *Sacco* et *Isola* a dioecesi Cenetensi seiunguntur et dioecesi Concordiensi attribuuntur iuxta alveum fluminis *Livenza,* mutatis hac ratione utriusque dioecesis finibus (*AAS* xxx [28 febr. 1938] p. 63 s.).

2 - Decreto 28 nov. 1937, fines archidioecesis Coloniensis et dioecesis Monasteriensis mutantur (*AAS* xxx [28 febr. 1938] p. 64 s.).

24 - S. C. Rituum

Causae beatificationis et canonizationis:

1 - *Calaritana.* Decretum 21 nov. 1937, Super dubio: *an stante approbatione duorum miraculorum post indultam praedicto Beato ab Apostolica Sede venerationem,* tuto *procedi possit ad ipsius Beati Canonizationem* canonizationis B. Salvatoris ab Horta, Laici Professi O. F. M. (*AAS* xxx [31 ian. 1938] p. 27 ss.).

2 - *Chicagien. seu Lauden.* Decretum 21 nov. 1937, Super dubio: *an constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico* beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Franciscae Xaveriae Cabrini, Fundatricis Instituti Missionariarum a S. Corde Iesu (*AAS* xxx [28 febr. 1938] p. 67 ss.).

25 - Provisio Ecclesiarum

A - *SS. D. praeficere dignatus est in Consistorio secreto die 17 mart. 1938 habito:*

Exc.us P. D. Raphael Lira, cathedrali ecclesiae Vallis Paradisi,

R. D. Iosephus Pronti, cathedrali ecclesiae Aquaependensi.

R. P. Reginaldus Duprat, cathedrali ecclesiae Principis Albertensis.

R. D. Gulielmus Murphy, cathedrali ecclesiae Saginavensi.

R. D. Marianus Madriaga, cathedrali ecclesiae Lingayensi.

B — *Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt*:

5 ian. 1938, R. D. Paulus Butorac, cathedrali ecclesiae Catharensi.

16 ian. 1938, Exc. P. D. Abel Isidorus Antezana y Rojas, cathedrali ecclesiae Ovetensi.

22 ian. 1938, Exc. P. D. Emmanuel Arce y Ochotorena, cathedrali ecclesiae Ovetensi.

27 ian. 1938, R. D. Richardus Chávez, cathedrali ecclesiae Ororensi.

4 febr. 1938, Exc. P. D. Antonius García y García, metropolitanae ecclesiae Vallisoletanae.

11 febr. 1938, Exc. P. D. Georgius Choquet, cathedralibus ecclesiis Tarbiensi et Lourdensi.

12 febr. 1938, R. P. D. Carmelus Ballester y Nieto, Congr. Miss., cathedrali ecclesiae Legionensi.

C — *Decretis S. C. de Prop. Fide nominati sunt*:

3 dec. 1937, R. P. Iosephus Descuffi, C. M., metropolitanae ecclesiae Smyrnensi.

8 ian. 1938, R. D. Ioannes Lonergan, cathedrali ecclesiae Portaugustanae.

8 ian. 1938, Exc. P. D. Iosephus Petrus Leonard, cathedrali ecclesiae Madurensi, nuper erectae.

26 - Nominationes

A — *Decretis S. C. pro Eccl. Orientali renunciati sunt*:

28 iul. 1937, R. P. Constantius Bergna, O. F. M., Praefectus Ap.cus de *Dessiè*.

28 iul. 1937, R. P. Petrus Villa, e Congr. Filior. S. C. I., Praefectus Ap.cus de *Gondar*.

21 sept. 1937, Bartholomaeus Bechis, e Congr. Missionum, Praefectus Ap.cus de *Tigrai*.

B — *Decretis S. C. de Prop. Fide renunciati sunt*:

22 oct. 1937, R. P. Marcellianus a Guerchen, O. M. Cap., Praefectus Ap.cus de *Gibuti*.

22 oct. 1937, R. P. Michäel Verhoeks, e Congr. Missionum, Praefectus Ap.cus de *Soerabaja.*

12 nov. 1937, R. P. Adolphus a Vinge, O. M. Cap., Praefectus Ap.cus Insularum Mayottae, Nossibeae et Comorae.

12 nov. 1937, R. P. Hieronymus Haberstroh, S. V. D., Praefectus Ap.cus de *Sining.*

10 dec. 1937, R. P. Matthias M. Bucholz, Mission. SS.mi Cordis de *Issoudun,* Praefectus Ap.cus de *Shihtsien.*

17 dec. 1937, Ferdinandus Martin, e Soc. Mission. Africae, Praefectus Ap.cus de *Fort Jameson.*

21 ian. 1938, R. P. Iosephus Futy, e Mission. a « La Salette », Praefectus Ap.cus de *Morondava.*

4 febr. 1938, R. P. Franciscus Mazzieri, O. F. M. Conv., Praefectus Ap.cus de *Ndola.*

27 - Necrologium

19 maii 1937, D. Emmanuel Antonius de Paiva, episcopus Garanthunensis.

5 oct. 1937, D. Iosephus Vogt, episcopus Aquisgranensis.

8 oct. 1937, D. Antonius Mostel, episcopus Alajulensis.

15 oct. 1937, D. Iosephus Marcondez Homen de Mello, episcopus S. Caroli *del Pinhal.*

21 oct. 1937, D. Iosephus Simon Hermannus Brunault, episcopus Nicoletanus.

26 oct. 1937, D. Avedis Petrus xiv Arpiarian, Patriarcha Ciliciae Armenorum.

29 oct. 1937, D. Stephanus Miklósy, episcopus Hajdudoroghensis ritus byzantini.

7 dec. 1937, D. Antonius Bauer, archiepiscopus Zagrabiensis.

15 dec. 1937, D. Franciscus S. Reyes, episcopus de *Cáceres.*

5 ian. 1938, D. Laurentius Pereira, episcopus de *Kottar.*

5 ian. 1938, D. Paschalis dell'Isola, episcopus Cavensis et Sarnensis.

12 febr. 1938, D. Iacobus Byrne, episcopus Toowoombaensis.

16 febr. 1938, Em.us D. Card. Aloysius Capotosti, Tit. S. Petri in Vinculis.

23 febr. 1938, D. Michael Iosephus Spratt, archiepiscopus Regiopolitanus.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

James H. Brennan, M. A., S. T. B., J. C. L., *The Simple Convalidation of Marriage*. An Historical Synopsis and Commentary. (The Catholic University of America, Canon Law Studies, N. 102), Washington, D. C. (The Cath. Univ. of America) 1937, 15, 5 × 23 cm., vi-135 p.

Foreword - Nature of simple Convalidation - History of simple Convalidation - Renewal of Consent - Convalidation following a diriment Impediment - Convalidation following defective Consent - Convalidation following defective Form - Convalidation in extraordinary Circumstances - Effects of Convalidation - Convalidation in American civil Law - Bibliography - Alphabetical Index.

Joseph Bernard Brunini, A. B., S. T. B., J. C. L., *The Clerical Obligations of Canons 139 and 142*. An Historical Synopsis and Commentary. (The Catholic University of America, Canon Law Studies, N. 103), Washington, D. C. (The Cath. Univ. of America) 1937, 15,5 × 23 cm., x-121 p.

Foreword - Introduction - Medicine and Surgery - The Holding of public Office - The Office of Notary public - The Administration of Lay Property - The Offices of Procurator and Advocate - Engaging in civil criminal Trials - Legislative Offices - Business Occupations - Bibliography - Alphabetical Index.

Maurice Connor, B. A., J. C. L., *The Administrative Removal of Pastors*. An Historical Synopsis and Commentary. (The Catholic Univ. of America Canon Law Studies, N. 104), Washington, D. C. (The Cath. Univ. of America) 1937, 15,5 ×23 cm., viii-159 p.

Foreword - Nature and Character of the Administrative Removal of Pastors - The Stability of the Pastoral Office - Administrative Removal up to the Decree *Maxima cura* - Decree *Maxima cura* - Causes for Removal - Necessary Officials and Witnesses in the Renoval Process - Procedure for irremovable Pastors - Procedure for removable Pastors - Provision for the

removed Pastor - Recourse to the Holy See - Bibliography - Alphabetical Index.

S. Goyeneche, C. M. F., *Iuris Canonici Summa Principia,* pars II: *De Religiosis,* pars III: *De Laicis,* Roma (Tip. Pol. « Cuore di Maria ») 1938, 17 × 24,5 cm., 290 p.

Prooemium - De erectione et suppressione religionis, provinciae, domus - De religionum regimine - De admissione in religionem - De ratione studiorum in religionibus clericalibus - De obligationibus et privilegiis religiosorum - De transitu ad aliam religionem - De egressu e religione - De dimissione religiosorum - De societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis - De Laicis - Aliqua generalia - De fidelium associationibus in genere - Species associationum et ordo inter eas - De tertiis ordinibus saecularibus - De confraternitatibus et piis unionibus - De archiconfraternitatibus et primariis unionibus - Appendix: Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Instructio circa fundationem religionum indigenarum.

Merlin Joseph Guilfoyle, J. C. L., *Custom.* An historical Synopsis and Commentary. (The Catholic University of America, Canon Law Studies, N. 105), Washington, D. C. (The Cath. Univ. of America) 1937, 15,5 × 23 cm., xiv-151 p.

The Historical Development of Customary Law - From the Beginning of the Church to the Corpus Juris - Custom in the Corpus Juris Civilis. Justinian Law - Custom in the Corpus Juris Canonici - Custom During the Age of the Decretists and Decretalists - Custom During the Age of the Doctors - Commentary on the Legislation of the Code - Bibliography - Alphabetical Index.

James Austin Hughes, A. B., A. M., J. C. M., *Witnesses in criminal Trials of Clerics.* An historical Synopsis and Commentary (The Catholic University of America, Canon Law Studies, N. 106). Washington, D. C. (The Cath. Univ. of America) 1937, 15, 5 × 23 cm., ix-140 p.

Foreword - Preliminary Notions - Procedure in Roman Law - Procedure in the Early Church - Germanic Procedure - Procedure of the Probatory Period in the Corpus Juris Canonici - Jurisprudence of the Probatory Period in the Criminal Trial - Procedure of the Probatory Period from the Council of Trent to the Code - Witnesses. Nature, Obligation and Exemption - Procedure of the Probatory Period - Examination of Witnesses - The Estimation of Proof - Bibliography - Alphabetical Index.

Raymond J. Jansen, A. B., S. T. L., J. C. L., *Canonical Provisions for Catechetical Instruction.* An Historical Synopsis and Commentary. (The Catholic University of America Canon Law Studies, N. 107), Washington, D. C. (The Cath. Univ. of America) 1937, 15, 5 × 23 cm., x-152 p.

Origin and Definition of the Term Catechesis - Historical Synopsis - The Obligation of Ordinaries - The Obligation of Pastors - The Obligation of Parents and Sponsors - Supplementa (List of Indulgences - Religious Instruction of Public School Pupils in American civil Law - Constitution of the Confraternity of Christian Doctrine) - Alphabetical Index - Bibliography.

John James Kealy, A. B., J. C. L., *The Introductory Libellus in Church Court Procedure.* An historical Synopsis and Commentary. (The Catholic University of America Canon Law Studies, N. 108), Washington, D. C. (The Cath. Univ. of America) 1937, 15, 5 × 23 cm., xi-120 p.

Introduction - Preliminary Observations - Roman Procedural Law - Canon Law Procedure - Necessity of the Introductory Libellus - Essential Elements of the Libellus - External Form of the Libellus - Judicial Action on the Libellus - Emendation and Alteration of the Libellus - Recourse Against Decree of Rejection - Provision Against Negligence of Tribunal - Processual Use of the Libellus in Marriage Causes - Bibliography - Index.

James Edward McManus, C. ss. R., J. C. L., *The Administration of temporal Goods in religious Institutes.* (The Catholic University of America Canon Law Studies, N. 109), Washington, D. C. (The Cath. Univ. of America) 1937, 15,5 × 23 cm., xvi-196 p.

Bibliography - The right to own Property - The Administration of Property - Investments - Alienation. Debts. Obligations - The Account of Administration - Responsability for Debts and Obligations - Donations - Conclusion - Alphabetical Index.

Eugene James Moriarty, J. C. L., *Oaths in Ecclesiastical Courts.* An Historical Synopsis and Commentary. (The Catholic University of America Canon Law Studies, N. 110) Washington, D. C. (The Cath. Univ. of America) 1937, 15,5 × 23 cm., x-115 p.

Foreword - General Notions of the Oath - The Roman Concept of the Judicial Oath - The Oath of Purgation - The Judicial Oath in the Corpus Juris Canonici - The Probatory Oath after the Corpus Juris Canonici to the Code - The Oath to speak the

Truth - The Oaths of having spoken the Truth, of Secrecy and of Office - The Probatory Oath - The Exhortation of the Judge to the Oathtaker - Bibliography - Alphabetical Inde.

Eligius G. Rainer, C. ss. R., J. C. L., *Suspension of Clerics.* An Historical Synopsis and Commentary. (The Catholic University of America Canon Law Studies, N. 111), Washington, D. C. (The Cath. Univ. of America) 1937, 15,5 × 23 cm., xvii-249 p.

Bibliography - An Historical Synopsis of the Development of Suspension - The Notion of Suspension - The Division of Suspension - The Effects of Suspension - The Infliction of Suspension - The Judicial Trial - The Extrajudicial Procedure - Remedies at Law - The Violation of Suspension - The Cessation of the Censure of Suspension - The Cessation of the Vindictive Penalty - Appendices (*Latae Sententiae* Censures of Suspension - *Latae Sententiae* Vindictive Suspensions) - Alphabetical Index.

* * * *Repertorium Iuridicum Ecclesiasticum* seu Curiae Romanae iurisprudentia universa, post editum Codicem iuris canonici (1918-1931) publici iuris facta, cum canonum ac rerum omnium Indicibus locupletissimis. (Editio altera diligenter recognita et aucta), Romae (Apud Ephemerides « Jus Pontificium ») 1937, 19 × 26.5 cm. 70-19 p. et supplem.; pretium Lire 14.— (Extra Italiam: 16.—).

II - Ex Periodicis

COLLATIONES GANDAVENSES XXV (1938), fasc. 1 (Febr.) — F. Blaton, *De reddendis donis sponsalitiis,* p. 15-6.

COLLATIONES NAMURCENSES XXXII (1938), fasc. 2 (Mart.) — E. Ranwez, *Opera servilia,* p. 116-23.

COLLATIONES TORNACENSES LXXXII (1937), fasc. 4 (Mart.) — J. Dermine, *La valeur sociale de la famille. La famille au service de l'humanisme* (contin.), p. 217-29.

COMMENTARIUM PRO RELIGIOSIS XVIII (1937), fasc. 4-5 (Iul.-Oct.) — A. Larraona, C. M. F., Can. 542 2°. *De impedimentis ad Novitiatum* (contin.); Can. 543. *De admissione ad Novitiatum et professionem,* p. 227-37. — Ph. Maroto, C. M. F., *De proprietatibus Constitutionum,* p. 244-69. — Antonius Peinador, C. M. F., *Votum et virtus in obligationibus religiosorum propriis,* p. 270-85.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO XLVIII (1937), fasc. 12 (Dec.) — Avv. Riccardo Romano, *Della natura dell'intervento del promotore di giustizia nelle cause matrimoniali*, p. 527-37.

JUS PONTIFICIUM XVII (1937), fasc. 4 — A. Toso, *De officio cooperatoris paroecialis eiusque natura*, p. 193-9. — S. Romani, *De ignorantia legis* (contin.), p. 218-34. — A. Crnica, O. F. M., *De lacunis legum supplendis ad normam Codicis i. c.*, p. 242-57.

IL MONITORE ECCLESIASTICO LXIII (1938), fasc. 1 (Ian.) — Can. Dr. Luigi Cozza, *Doveri parrocchiali* (contin.), p. 8-16. — Sac. Rodolfo Colombo, *La nomina del Vicario sostituto*, p. 17-20.

ID. LXIII (1938), fasc. 2 (Febr.) — Can. Dr. Luigi Cozza, *Doveri parrocchiali* (contin. et finis), p. 35-41. — * * * *Incompatibilità di ritenere due beneficii*, p. 52-5. — * * * *L'assistenza dei Vicarii Cooperatori ai matrimonii*, p. 55-6.

PASTOR BONUS (1) (Romae) II (1938), fasc. 1 (Ian.) — F. Muzzarelli, *Quaestio moralis: Usus scientiae sacramentalis*, p. 140-5.

RASSEGNA DI MORALE E DIRITTO III (1937), fasc. 4 (Oct.-Dec.) — Avv. Pio Ciprotti, *Le nuove norme per i processi di nullità di matrimonio presso i tribunali diocesani* (finis), p. 298-317. — S. Romani, *Studio critico sulle fonti del diritto canonico primitivo*, p. 318-29.

RAZON Y FE XXXVIII (1938), fasc. 3 (Mart.) — J. de la C. Martínez, *¿Es compatibile la guerra española con la caridad?*, p. 302-27.

NEDERLANDSCHE KATHOLIEKE STEMMEN XXXVIII (1938), fasc. 2 (Febr.) — Dr. W. Mulder, *Een toepassing van het privilegium fidei*, p. 56-7.

---

(1) Nuper prodiit; titulus completus est: *Pastor Bonus, Commentarium de re Pastorali* (apud piam Societatem S. Pauli, via Grotta-perfetta 58, Romae); ut autem distinguatur a Commentario homonymo in Germania edito, ad nomen huius « Romae; ad nomenque illius « Trier » deinceps adiungemus.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

Francisco Triebs Sacerdoti et Doctori iubilanti!

Magno cum gaudio Periodicorum *Redactores scita R. P.* Gerardi Oesterle, *Iuris Canonici in Pontificio Instituto S. Anselmi Professoris, opera utuntur, ut Illustrissimo et Reverendissimo Domino Professori Doctori* Francisco Triebs, *Praelato Domestico S. S. et Iuris Canonici cultori insigni, qui cum nostri periodici Fundatore longa quondam amicitiae necessitudine coniunctus, annum a suscepto Sacerdotio atque in S. Theologia Doctoris gradu agit quinquagesimum, ex animo gratulentur ac felicissima quaeque a Deo precentur.*

Occurrente 23 iun. cel. Professor Dr. Franciscus Triebs celebrabit feliciter dena a suscepto sacerdotio lustra necnon die 14 aug. subsequente faustum anniversarium diem quinquagesimum, ex quo ipse ad gradum academicum Doctoratus in s. theologia iuvenis sacerdos promotus est. Brevem piamque ipsius Iubilaris memoriam in *Periodicis* tria facta iustificabunt: ipse mortua sua matre motu proprio renuntiavit suae parochiae in loco Militsch, dioecesis, nunc archidioecesis, Vratislaviensis, ut in Hollandia Novitiatum S. I. ingredi potuerit. Etsi finem desideratum, Deo aliter disponente et bonae voluntati viribus haud correspondentibus, haud nactus fuerit, tamen ipsum factum satis superque illustrat spiritum, quo ferebatur in Societatem Iesu. Insuper Iubilaris intima amicitia coniunctus

fuit cum primo illustrique *Periodicorum* auctore, P. A. VERMEERSCH, et « piae memoriae ergo amici carissimi et collegae P. Arthuri Vermeersch, S. I., Romae in Universitate Gregoriana quondam professoris » dedicavit articulum, *De Promotore iustitiae in causis nullitatis matrimonii ac praesertim de eius iure accusandi,* tum in *Apollinaris* (vol. X, 395) tum in *Theologisch - praktische Quartalschrift,* (vol. 90, 406). Tertio gloriosa ipsius Triebs merita circa disciplinam canonicam rite et iuste extolluntur in *Periodicis de re canonica.* Unde non est nostra intentio illustrandi aut sacrum ministerium tam naviter actuoseque a Iubilari gestum diversis in locis, quod Pius Papa XI feliciter regnans agnovit elevando sacerdotem septuagenarium ad dignitatem Antistitis Urbani, die 5 ian. 1935, aut munus antecessoris in iure canonico per viginti et septem annos praeclare et splendide exhibitum. Singularis huius operis monumentum clarissimum exstat clerus catholicus, imprimis Vratislaviensis et Berolinensis. Quibus theologis Professor « natus » peritissimus in iure et versatissimus in iurisprudentia hanc iuris scientiam, quae tam frequenter et a tot hominibus sicca et nauseosa denominari consuevit, vivaci eloquentia et logica dictione proposuit et exemplis illustravit, ut memoria harum praelectionum usque ad praesentem diem suis discipulis iucundissima remanserit. Non est tandem nostrum enumerari merita iubilantis sacerdotis circa constitutionem et regimen Tribunalis ecclesiastici Berolinensis. Dr. Schreiber, primus Berolinensis Episcopus, a 1929 senem 65 annorum nominavit Officialem Tribunalis ecclesiastici. Vix unus in tota Germania huic officio tam idoneus ac professor emeritus Triebs. Ipse non solum disposuit de copiosissima scientia iuris, sed etiam de amplissima experientia. Quae Officialis merita iam agnita sunt a tribus eiusdem dioeceseos dignissimis episcopis. Unice brevissimo stylo velim enarrare, qua via Triebs ad studium iuris pervenerit et quibus operibus scientiam i. c. ditaverit.

Iubilaris natus die 7 nov. 1864 in civitate Silesiae, vulgo « Glogau », post visitatum ibidem gymnasium a. 1883 studiis theologicis Vratislaviae vacare coepit; imprimis Vetus Testamentum animum ipsius occupavit. Unde die 14 aug. 1888 in Facultate theologica Monasteriensi ad gradum Doctoratus promotus est tractando de Cherubim et Seraphim. Ordinatus die 23 iun. 1888 neopresbyter diversis in locis curae animarum addictus per plures annos duas subsequenter rexit parochias. Post egressum e Novitiatu S. I. Triebs de novo studiis se dedicavit in Universitate Rhenana, sc. Bonnensi, promovendus die 14 aug. 1897 in facultate philosophica. Promotus Dr. theol. et phil. clero Ecclesiae principalis Berolinensis S. Hedvigis adscriptus fuit. Pro suo zelo apostolico, pro sua experientia sub diversis formis actioni sacerdotali sese consecravit, imprimis munere experti confessarii et splendidi praedicatoris verbi divini perfunctus. Sed non obstante gravissimo in cura animarum labore studiosissimus cooperator Universitatem Berolinensem frequentavit eum in finem, ut sese in linguis Orientalibus excoleret. Fortuito, si ita dicere fas est, adiit quodam die aulam academicam professoris iuris, Dr. Kahl. Quae praelectio mentem et animum ipsius Triebs tam vehementer allicuit, ut illa hora pro ipso fuerit « Damascus ». Subitanea luce cognovit suam propriam vocationem ad studium iuris. Abhinc 40 annos, sc. ab a. 1898-1900, visitavit praelectiones celeberrimorum Iuristarum Berolinensium, sc. KAHL, KOHLER, HINSCHIUS. Cuius valoris fuerit Hinschius, 13 dec. 1898 defunctus, probat praeter edita Decretales Pseudo-Isidorianas et capitula Angilramni (1863) « opus momentosum » (VAN HOVE, *Prolegomena* p. 316): *Das Kirchenrecht der Katholiken und Protestanten in Deutschland. Sysiem des Katholischen Kirchenrechts* (I/VI, 1, ab a. 1869/97). Ipse Hinschius, quamvis acatholicus, non solum eminenti iuris Ecclesiae catholicae scientia est gavisus, sed etiam in spiritum huius iuris, in quantum

acatholico possibile, penetravit. Eodem anno, quo Triebs fuit ordinatus presbyter, Iosephus Kohler, fuit Berolinum vocatus professor iuris. Qui fuit antesignanus in disciplina iuris evolvenda et propugnator ideae iustitiae in theoria et praxi. Tandem Triebs est gavisus professore Guilelmo Kahl, qui ex a. 1895 Berolini docuit inter alia ius ecclesiasticum, pluraque edidit opera, quae tangunt Ecclesiam catholicam, v. g. de legibus amortisationis in Germania latis, de diverso conceptu quem nutrit Ecclesia calica et protestantica circa relationem inter Statum et Ecclesiam, de libertate conscientiae, de systemate doctrinali iuris ecclesiastici, de confessione prolis e matrimonio mixto oriundae, de paritate confessionum, de relatione inter confessionem religiosam cum suo vinculo conscientiae et libertatem sic dictam in docendo, tandem de erigendis per Religiosos societatibus in ordine ad mercaturam. Non est ergo mirandum, quod Iubilaris talibus fruens eminentibus professoribus pro studio iuris inflammatus fuerit et a. 1902 iura doctoris publici in Universitate Vratislaviensi capessiverit. Tres annos post fuit renuntiatus extraordinarius; a. 1909 tertia celebrata promotione academica, sc. ad Doctoratum in utroque iure coram collegio Universitatis Gottingensis, fuit proclamatus a. 1910 ordinanarius pro iure canonico in Vratislaviensi Athenaeo. Quod munus retinuit usque ad a. 1930, quo ratione aetatis ipsi fuit renuntiandum.

Quibus de professore Triebs praemissis quaedam addenda sunt de *scriptore* in iure canonico. Anno 1905 publicavit Triebs *Studien zur Lex Dei.* Erstes Heft: *Das römische Recht der Lex Dei über das fünfte Gebot des Dekalogs* (Freiburg im Breisgau). Anno 1907 subsecutus est fasciculus secundus cum subtitulo: *Das römische Recht der Lex Dei über das sechste Gebot des Dekalogs.* Notissimum inter Canonistas et Romanistas est opusculum, ante a. 438 elaboratum, *Lex Dei* aut *Collatio legum Mosaicarum et Romanarum.* Finis publicationis a Triebs intentus hic erat:

investigandi sub luce scientiae modernae, utrum et in quantum libri poenitentiales sint dependentes a *Lege Dei*. Iure autem poenali canonico sese evolvente ex disciplina poenitentiali, quaestio proposita in haec verba erat concipienda: « quemnam influxum *Lex Dei* exercuit in evolutionem iuris poenalis canonici? » In utroque fasciculo tractantur illa delicta iuris Romani, quae in *Lege Dei* exponuntur, sc. delicta contra quintum et sextum praeceptum Decalogi. In praefatione Triebs iustissime monet, nixus Benedicto XIV, de summa necessitate vacandi studio iuris Romani ad intelligendum ius canonicum; Romani pro sua indole exstiterunt populus iurisprudentiae classicus, et ius canonicum tum quoad materiam tum quoad terminologiam intimum cum iure Romanorum connexum habet. Exemplum pro dictis allegat distinctionem iuris Romani inter homicidium voluntarium et casuale; quae distinctio haud sine influxu fuit in ius s. ordinationis clericorum (irregularitas ex delicto homicidii). Quod ipsius Triebs opus, omni attentione dignum, fundamentum posuit et materiam suppeditavit pro historia evolutionis iuris poenalis in genere et iuris poenalis canonici in specie.

Opus palmare a Iubilari editum est ipsius ius matrimoniale. Anno 1925 publicavit: *Praktisches Handbuch des geltenden Kanonischen Eherechts in Vergleichung mit dem deutschen staatlichen Eherecht für Theologen und Juristen* I. Teil (Breslau, Verlag Schlesische Volkszeitung). Anno 1927 secunda pars e prelo exiit; qua in parte de impedimentis impedientibus et dirimentibus uberiorem tradidit explicationem historicam iuxta illud: « Historia docet ». Pro elaboranda tertia parte de consensu matrimoniali, edita a. 1929, extraordinariae difficultates extrinsecae et intrinsecae sese opposuerunt. Extrinsecae: auctor non solum gravi laborabat infirmitate, sed etiam acies oculorum ad minimum redacta est. Intrinsecae: elaborando materiam de consensu matrimoniali in genere et de defectibus consensus in specie (erroris, simulationis, vis et metus, con-

dicionis appositae) versatissimus professor gravissimam sensit difficultatem huius tractatus; tum difficultatem tum momentum practicum produnt S. R. R. aliorumque Tribunalium ecclesiasticorum matrimoniales sententiae ex defectu consensus. Auctor gravissimo elaborando Voto iuridico per menses occupatus necnon uti primus Tribunalis Berolinensis Officialis labore qualitative et quantitative extraordinario revera oppressus, tandem a. 1932 ultimam partem iuris matrimonialis publicitati tradidit. Valor huius operis poterit exprimi duobus verbis: « *egregius liber* ». (Sipos in *Ius Pontificium*, vol. xv, p. 42). Egregius per suum characterem absolute scientificum; egregius per spiritum specifice iuridicum; vix invenietur ius matrimoniale, in quo spiritus iuridicus tam fortiter regnat ac in opere auctoris Triebs. Hilling (*Archiv für Kath. Kirchenrecht*, vol. 113, p. 686) agnoscit sub hoc respectu Iuri matrimoniali nostri iubilaris palmam inter alia huius generis opera. Manibus tangi poterit influxus, quem Triebs in Universitate Berolinensi sub professoribus uti Hinschius, Kahl, Kohler receperat. Liber egregius per claram et accuratam dictionem, egregius per scientificam penetrationem difficultatum neque rararum neque facilium, quas ius matrimoniale in se absconditas habet; egregius per capacitatem auctoris materiam proponendi et nexum inter theoriam et praxim conservandi et nectendi. Sägmüller (*Theologische Quartalschrift*, vol. 114, p. 164) notat: « Triebs stat al pari cum eximio iure matrimoniali Wernz-Vidal ». Utrumque ius matrimoniale testatur culmen scientiae canonisticae trans et citra Alpes.

Et ipse Triebs et ipsi auctoris amici unum adhuc desiderarunt: publicandum ius processuale matrimoniale. Quamvis auctor huic desiderio iustissimo satisfacere hucusque non potuerit, tamen in diversis periodicis publicavit articulos de processu matrimoniali tractantes, v. g. de interpretatione canonum 1990-1992 C. I. C. in *Periodica*, vol. xx, p. 93*. In *Theologisch-praktische Quartalschrift* ex

anno 1936 editi sunt tractatus circa diversas huius iuris quaestiones sub titulo: *Lose Blätter zum Kanonischen Prozess.* Qui tractatus testantur auctoris experientiam in Causis matrimonialibus.

Venerandam hanc senectutem benignissimus Deus servet, tueatur, roboret, ac coelestibus muneribus solaciisque refertam uberrimis salutis aeternae fructibus locupletet!

Ex Collegio S. Anselmi

Die S. Pentecostes 1938.

D. G. Oesterle, O.S.B.

De calendariis ecclesiasticis communitatum religiosarum ritus byzantini-slavici propriis

In Ecclesia catholica romana ritus latini, introducto fere ubique missali et breviario romano, praeter calendarium universale ecclesiasticum vigent calendaria particularia, dioecesibus, ecclesiis, communitatibus religiosis propria. Calendarium universale, a S. Sede ordinatum, prostat cum in Actis Apostolicae Sedis anni 1912 (1), tum etiam in fronte missalis et breviarii romani; calendaria particularia dioecesibus, ecclesiis, communitatibus religiosis propria efformantur secundum decreta Congregationis S. Rituum (2); religiosos ritus latini debere habere et sequi proprium calendarium statuitur in decretis eiusdem C.S.R. (3): de gradu sollemnitatis, quo sancti et beati, communitatibus

(1) *AAS* IV (1912) p. 58-84.
(2) *AAS* V (1913) p. 457-464, praesertim p. 463.
(3) *Decreta authentica Congreg. S. Rituum*, vol. VI Nr. 4312. Appendix II (1927).

religiosis propii, celebrari possint, agitur in decreto C.S.R. nn. 4317 (1914) (4).

Investigare, utrum in ritu byzantino (slavico) praeter calendarium (Ustav, Typicum) universale vigeant calendaria particularia, non caret ratione actuali et practica. Nam multis in Ordinibus et Congregationibus religiosis, Romano Pontifice adhortante et volente, ramus ritus orientalis, plerumque ritus byzantini (slavici), institutus est (5). Religiosi apostolatui orientali in ritu orientali incumbentes, experimento et experientia ultimorum annorum edocti, iam nunc affirmare valent felicem evolutionem huius apostolatus, in Ordinibus et Congregationibus religiosis suscepti, sperari licere, cum ipsi sint veri filii propriae familiae religiosae et simul veri orientales, fore nempe ut recipiant ritum orientalem omni ex numero integrum ac purum et remaneant nihilominus cum sociis proprii Ordinis vel Congregationis perfecte uniti, eadem perfecta oboedientia sub iisdem superioribus, eadem formatione et educatione religiosa, iisdem regulis, idealibus atque mediis perfectionis. Qua ratione et forma iidem religiosi exercitia pietatis, familiae religiosae propria, perficere valeant, colligendum est ex regulis et normis, in ritu, de quo agitur, iam vigentibus. Optime hae regulae et normae hauriuntur ex conciliis, decretis et instructionibus ecclesiae dissidentis, quae tamen principiis et decretis auctoritatis romanae corrigendae et perficiendae erunt.

Proin investigandum erit:

I) Num communitatibus religiosis in ritu byzantino (slavico) competat ius habendi et sequendi Calendarium (Ustav seu Typicum) ecclesiasticum proprium.

II) Quibus rationibus hoc Calendarium communitatibus religiosis proprium, ab universali differat.

---

(4) *Ibidem.*

(5) Vide *Rationem statisticam S. Congregationis Orientalis* (Romae 1932) p. 299; nova editio multis aliis nominibus Ordinum et Congregationum locupletanda est.

Notae bibliographicae

FONTES:

1) *Ustav Dukhovnykh* Consistorij (Statutum Consistoriorum Ecclesiasticorum), Petrogradii 1905 (ultima et officialis editio).

2) *Instrukcia blagočinnomu monastyrej* (Instructio ad decanos foraneos monasteriorum), in « *Polnoe Sobranie Postanovlenij i Razporiaženij po vedomstvu Pravosl. Izpovedania,* Petrogradii 1915, Tom. I anni 1825-1835, Nr. 195.

3) *Opredelenie svjašč. Sobora pravosl. russiskoj Tserkvi o Monastyriakh i Monašestvujuščikh. Osnovnyja stati obščago položenia.* (Decretum S. Concilii Ecclesiae russicae orthodoxae de monasteriis et de religiosis, Statutum generale) in *Sobranie opredelenij i postanovlenij sv. Sobora Pravosl. Russiskoj Tserkvi,* fasc. IV, Mosquae 1918.

4) *Ustav Cerkovnij seu Typicon* (Ordo officiorum divinorum), Mosquae 1906 (editio s. Synodi).

5) *Ustav Solovetskago Monastyria* (Statutum monasterii Solovecensis) (manuscriptum saeculi XIX).

6) *Ustav Novgorodskago Pervoklassnago Jureva obščežitelnago monastyria,* (Ustav seu statutum Monasterii S. Georgii, urbis Novgorod, coenobitici et primi ordinis), Mosquae 1830.

7) *Minaea* (Ordo officiorum sanctorum), 12 vol., Mosquae 1904.

8) *Mesacoslov seu Menologium,* ex editione synodali, et quidem: Mosquensis 1906, in ipso *libro Ustavi*; Počajeviensis 1902 et Kievo-Cryptensis 1907, in « *Posledovanie Večernii... i vsenoščnago bdienja* »; Petrogradensis, in « *Služebnik* » 1903, « *Akathisty e Kanony* » 1906; Mosquensis, in « *Evangelie* » 1904; Kievo-Chryptensis, in « *Molitvoslov* » 1907.

9) *Paterik, Kievo-Cryptensis,* Kiovii 1853.

10) *Inočeskoe kellejnoe pravilo* (Regula monachalis de exercitiis pietatis privatae), Mosquae 1904 (editio officialis).

11) ALEX. PROVOLOVIČ, *Sbornik zakonov o Monašestvujuščem dukhovenstvie* (Collectaneum legum de clero regulari), Mosquae 1897.

OPERA:

EUG. GOLUBINSKI, *Istoria Kanonizacii svjatykh v russkoj Cerkvi* (Historia canonizationis sanctorum in ecclesia russica), in « *Ctenija* » Univers. Mosquensis, 1903, I, p. 1-600.

I. MANSUETOV, *Cerkovny Ustav* (*Tipik*), Mosquae 1885.

A. DMITREVSKY, *Recenzija učenykh izledovanij...* « *Cerkovny Ustav* (Tipik) », in *Khristjanskoe Ctenie,* 1888, II, p. 480-576; cf. etiam operá eiusdem auctoris in « Trudy » 1900-1905.

Archim. Sergij, *Polny Mesacoslov Vostoka* (Menologium completum Orientis), Mosquae 2 vol. 1901.

Archimandrit Leonid, *Svjataja Rus* (Russia sancta), Petrogradii 1891.

Joh. Martinov, *Annus ecclesiasticus graeco-slavicus*, Parisiis 1863.

J. Nilles, *Calendarium manuale utriusque Ecclesiae occidentalis et orientalis* I-II, Oeniponte 1896.

Alias indicationes bibliographicas de calendariis particularibus et de hagiographia russa invenies apud memoratos auctores: Golubinsky; Nilles, p. xxx-xliii; Leonid, p. iv; Martinov, p. 1-22.

I - *Num communitatibus religiosis in ritu byzantino (slavico) competat ius habendi et sequendi Calendarium (Ustav, Typicum) ecclesiasticum proprium.*

Communitatibus religiosis in ritu byzantino (slavico) licere sequi praeter calendarium universale etiam proprium clare enuntiatur in Instructione S. Synodi ad decanos foraneos monasteriorum data (6) necnon in Statuto generali de monasteriis et de religiosis, edito et approbato a Concilio Mosquensi 1918 (7). Paragraphus 5 Instructionis S. Synodi decernit:

« Decanus foraneus monasteriorum curam habet ut cultus divinus in monasteriis rite et plene peragatur secundum « Ustav » (calendarium) universalem et secundum « Ustav » (calendarium), ubi est, proprium monachalem ».

Paragraphi 25-26 Statuti generalis de monasteriis et de religiosis:

§ 25. Superiores monasterii maximam curam et fratres maximum fervorem impendant, ut cultus divinus stricte secundum « Ustav » (Tipicum) perficiatur, ne quid omittatur vel cantui substituatur lectio; cum cultu divino consociandae sunt adhortationes pietatem foventes.

§ 26. In domibus religiosis, ubi in functionibus liturgicis observantur speciales ritus, consuetudines saeculis

(6) *Polnoe Sobranie Postanovlenij... Izpovedania*, Petrogradii 1915, Tom. I annorum 1825-1835, Nr. 195, § 5.

(7) *Sobranie opredelenij...* fasc. IV (Mosquae 1918) p. 34-35.

consecratae et spiritui orthodoxiae non contrariae retineri debent, quamvis Typico seu Ustavo non contineantur ».

Tenor Instructionis et Statuti est generalis et se extendit ad omnes vitam religiosam (monachalem) agentes; pro monasteriis Stauropigiacis (quae in Russia ante revolutionem octo erant) decanus foraneus (blagočiny) eligitur ex membris « Kontorii » S. Synodi, Mosquae residentis; exceptio quaedam concessa est Laurae Solovecensi (8). In documentis allatis notio « Ustav » sumitur potius sensu lato quam stricto, id est subintelliguntur non solum illae praescriptiones et rubricae, quae « Ustavo » seu Typico (Ordine officiorum divinorum), sed etiam illae quae aliis libris liturgicis, ut sunt: Služebnik (missale), Trebnik (rituale), continentur.

Liber « Ustav », qui a multis auctoribus ex diversis respectibus explicatur (9), considerari potest vel ratione cultus liturgici, vel disciplinae monasticae vel vitae christianae et moralis fidelium (10). Regulis Ustavi, in quantum est liber liturgicus, normas docemur: 1) de formis et ritibus cultus divini in genere, 2) de festis mobilibus et immobilibus decursu anni liturgici celebrandis, 3) de menologio seu calendario sanctorum qui singulis diebus commemorandi sunt, 4) de occurrentia et concurrentia festorum.

« Ustav » seu Typicum esse ordinem officiorum divinorum universalem, non solum religiosis sed etiam clero saeculari praescriptum, colligitur ex articulo 35 (34) Statuti Consistoriorum Ecclesiasticorum (11):

« Cultus divinus persolvitur secundum « Ustav » ecclesiasticum, tempore statuto, cum lectionibus canticisque nitide prolatis, sine festinatione et perturbatione, cum silenti pietate ac recollectione, sine arbitrariis mutationibus et innovationibus ».

(8) Vide notam sub 6.

(9) Bonam introductionem in Ustavum ecclesiasticum prae aliis auctoribus praebet K. Nicolskij, *Posobie k izuceniju ustava Bogosluzenija pravosl. tserkvi*, Petrogradii 1907.

(10) I. Mansuetov, *Cerkovny Ustav* p. 482.

(11) *Ustav Dukhovnykh Consistorij* p. 15.

II - *Quibus in rationibus calendarium (Ustav) communitatibus religiosis proprium ab universali differat.*

In documentis allatis, nempe in Instructione S. Synodi et in decreto Concilii Mosquensis de monasteriis et de religiosis, perspicue discernitur calendarium (Ustav) universale a calendariis particularibus, communitatum religiosarum propriis. Superest investigare, num in ritu byzantino (slavo) similis habeatur relatio inter calendarium universale et particulare ac in ritu latino (cogita breviarium romanum et breviarium seraphicum). Dicendum autem est relationem calendarii universalis in ritu byzantino (slavo) ad particularia esse aliam: nam *a*) « Ustav » (calendarium) universalis in se potius est monasticus quam paroecialis, et nihilominus communitatibus religiosis insufficiens; *b*) differt a calendariis particularibus formis officii divini et ordine cultus sanctorum, communitatibus religiosis propriorum.

a) *« Ustav » universalis in se potius est monachalis quam paroecialis, et nihilominus communitatibus religiosis insufficiens.*

« Ustav » ecclesiasticus universalis in ecclesia russica receptus, cognomine Hierosolymitanus, ortus est in monasterio S. Savae prope Urbem sanctam, saeculo VI; per saecula usu et auctoritate valuit in ecclesiis byzantinis, etsi Typicum (Ustav) Studitarum etiam tunc obtinebat. Evolvitur et augetur hymnis ecclesiasticis a monachis compositis (puta canones Iosephi Hymnographi), inseruntur rubricae de occurrentia et concurrentia festorum a monacho Marco elaboratis; correctio et revisio eius ab auctoritate ecclesiastica religiosis plerumque committitur. Capita 33-47 Ustavi fere exclusive agunt de vita monastica (de ieiunio et de abstinentia, de vita communi, de mensa communi, de panagia, de exercitiis pietatis in cellis privatim faciendis...); rubricae officiorum divinorum, eorum ambitus et structura vitam religiosam (monasticam) supponunt.

Auctoritas ecclesiastica severe quidem postulat, ut sacerdotes saeculares perficiant cultum divinum secundum formam et structuram Ustavo ecclesiastico universali praescriptam, maiore vero indulgentia utitur quod ad ambitum et extensionem officiorum divinorum attinet; hoc haud dubie innuitur § 6 Instructionis ad decanos foraneos monasteriorum (12): « Ne sit festinatio in cultu divino peragendo, id quod apud religiosos multo minus excusari potest, quam apud sacerdotes saeculares (paroeciales), qui interdum occupationibus paroecialibus obruuntur ».

Quamvis « Ustav » universalis ratione originis, evolutionis et tenoris indolem monachalem prae se ferat, nihilominus communitatibus religiosis non sufficit. « Ustav » universalis, idiomate slavico conscriptus, sexies fere correctionem seu revisionem maioris momenti subiit; ultimis vicibus anno 1682 sub Patriarcha Ioachimo (13) et 1695 sub Patriarcha Hadriano. Quo anno « Ustav » in concordiam redigitur cum minaeis, nuper in revisione Niconiana correctis (14). Aliae correctiones et revisiones locum non habuerunt, nisi forte excipias emendationem certorum mendorum preli, insertionem aliquorum festorum, quae ab anno 1838 omnino cessavit. Vita ecclesiastica crescente et progrediente, « Ustav » universalis, magis et magis laborat mendis quibusdam et insufficiens apparet communitatibus religiosis, ex rationibus sequentibus:

1) Inter Calendarium universale scriptum et vigentem usum non parva irrepsit divergentia, quae saepius a scriptoribus ecclesiasticis (15) et membris commissionum liturgicarum deploratur. Membrum quoddam sectionis VI institutionis, cuius titulus « Predsobornoe Prisutstvie », refert « Typic seu Ustav ab anno 1682 mutatum non esse et exhibere indolem dogmaticam; multos porro episcopos af-

(12) *Polnoe Sobranie... Izpovedanija*, l. c. Nr. 195, § 6.
(13) I. Mansuetov, *Cerkovny Ustav*, p. 323-356.
(14) *Ibidem* p. 356-365; cf. Dmitrevsky, *Recenzija...* in « *Khristianskoe Ctenie* 1888 II p. 560 ss.
(15) E. Golubinsky, *O reformie v bytii russkoj Tserkvi*, Mosquae 1913 p. 22 ss., p. 98 ss., p. 123-126.

firmasse typicum iam non observari, ne in monasteriis quidem; nova haberi officia, quae non contineantur in typico... » (16).

2) « Ustav » deficit interdum eo quod sancti iam a saeculis ad cultum universalem elevati etiam nunc exhibentur cum nota eorum cultum ad aliqua tantum loca coartante, sic festum S. Savae Višercensis, 1 Octobris et S. Isidori Rostoviensis 14 Maii.

3) Cum « Ustav » primo loco ponat sanctos in tota ecclesia byzantina ab antiquo commemoratos, hinc interdum in dubio relinquitur, cuius sancti festum imprimis celebrandum sit, utrum illius qui primum locum obtinet in calendario, sed charactere festivo caret, an illius qui, etsi secundo vel tertio loco memoratur, charactere tamen festivo gaudet. E. g., die 5 Octobris primo loco nominatur S. Charitina, Martyr, carens charactere festivo, eodemque die Ss. Metropolitae Mosquenses: Petrus, Alexius, Ionus et Philippus, cum signo festivo. Apposita autem invenitur nota: « Celebratur eorum festum modo sollemni (Sobor) in locis ubi quiescunt eorum reliquiae, vel ubi habentur templa eorum ». Quod vero officium est in aliis ecclesiis celebrandum? De hac dubitatione notat Dimitry, auctor menologii sanctorum editi in urbe Tambov anno 1878 (17), « falsam esse sententiam eorum, qui putent, semper illum sanctum in officiis divinis primo loco et principaliter celebrandum esse, qui in Calendario ecclesiastico primum locum obtineat; licere etiam celebrare imprimis sanctos propriae nationis, territorii vel monasterii ». In calendariis ecclesiasticis singulis annis pro usu cleri edendis, generatim sancti celebrandi adducuntur eo ordine, quo in Calendario (Ustav) ecclesiastico collocati inveniuntur; in aliis calendariis festa sanctorum propriae nationis primo loco ponuntur (18).

(16) Cf. Jos. SCHWEIGL, *Revisio librorum liturgicorum byzantino-slavicorum*, in « *Periodica de re morali canonica liturgica* » XXVI (1937) p. 382.

(17) DIMITRY, *Mesacoslov Svjatykh*, I-III (Tambov 1878) p. VIII-XIX.

(18) *Pastyrsko-missionerski Kalendar*, Petrogradii 1908.

4) « Ustav » universalis, utpote qui universalis sit, communitatibus ea demum de causa non sufficit, quod e sanctis ad cultum universalem elevatis (ca. 150), qui pro multo maiore parte ex communitatibus religiosis proveniunt, solum paucos commemorat (ca. 15).

b) « *Ustav* » *Universalis a calendariis particularibus differt formis officii divini, et cultu sanctorum, communitatibus religiosis proprio.*

Cum « Ustav » universalis, quamvis communitatibus religiosis insufficiens, natura sua sit monachalis, facile intelligitur cur non omnia monasteria vel communitates religiosae habeant calendarium proprium; illa Calendaria particularia quae in usu sunt, plerumque inserviunt uni vel paucis tantum communitatibus religiosis, et, adhuc codicibus manuscriptis contenta, studio et scientiae saepe praecluduntur.

Cognitio naturae et ambitus talium calendariorum particularium, communitatibus propriorum, hauriri potest:

1) *Ex ipsis calendariis monasteriorum.* In Calendario (Ustav, Typico) monasterii Solovecensis, in manuscripto saeculi XIX (19), si comparatur cum Typico universali, discrepantiae et lectiones variantes apparent non paucae, praesertim in capite 19, ubi agitur de festis et de modo ea celebrandi. — In « Ustav » monasterii coenobitici S. Georgii, urbis Novgorod, de cultu divino agitur in cap. 5-7; in cap. 7 exponuntur regulae eorum qui recitant psalterium in ecclesia diu ac noctu. In annotatione quadam legitur: « Quando, quomodo, quo ritu alia officia divina et functiones liturgicae perficiendae sint, desumendum est ex Ustav universali et ex aliis libris liturgicis ad hunc finem editis » (20).

2) *Ex regulis munus liturgistae seu caerimoniarii* (*Ustavčik*) spectantibus: « Curam agat ut officium divinum

(19) *Ustav Solovetzkago Monasterija*, manuscriptum saeculi XIX.
(20) *Ustav Novogorodskago... Monasterija*, Mosquae 1835.

perficiatur secundum Typicum (Ustav) ecclesiasticum et secundum ordinem in monasterio receptum » (21).

3) *Ex libris, qui inscribuntur Pateriki,* seu e collectione narrationum antiquarum, plerumque panegyricarum, in honorem sanctorum alicuius monasterii seu communitatis religiosae. Celebres sunt pateriki Laurae Kievo-Cryptensis, Stauropoliae Solovocensis et monasterii Volocalamescensis (22). Ex his libris eruitur, quinam sancti alicuius monasterii speciali sollemnitate colantur, quo tempore eorum cultus ortus sit. Rarius tamen indicatur eorum officium.

4) *Ex libris liturgicis a S. Synodo approbatis,* in typographiis autem monasteriorum impressis. In menologio libri liturgici, qui dicitur Molitvoslov (23), impressi in typographia Laurae Kievo-Cryptensis, leguntur nomina eorum qui in hac Laura gloriam sanctorum adepti sunt; mense Octobri, e. g., commemorantur 19 sancti huius Laurae, quorum 10 characterem festivum habent.

5) *Ex officiis propriis sanctorum.* Complures sunt sancti communitatum religiosarum (monasteriorum), qui gaudent officio proprio, quamvis « Ustavo » non contineantur. Laura Kievo-Cryptensis de 118 sanctis gloriatur, quorum reliquiae partim iacent in cryptis S. Antonii (73), partim in cryptis S. Theodosii (45); ex quibus 1-3 gaudent officio proprio cum gradu *Bdenie* (hoc est Vigilia nocturna sollemnis), 11 cum gradu *Polyelejon,* 5 cum gradu *Vel. Slavoslovie;* 27 habent officium de Commune sanctorum Laurae Kievo-Cryptensis et provinciae ecclesiasticae Kioviensis, 4 cum gradu *cum Octoicho* (qui est inferior gradus festi). Reliqui sancti et venerabiles nominantur quidem in calendario proprio, at eorum mentio in officio divino non fit. Hi porro omnes coniuncte celebrantur: die 28 Augusti ii quorum reliquiae in cryptis S. Theodosii quiescunt; sabbato post octavam festi Exaltationis Crucis (post diem 22

(21) *Ibidem* cap. 5 de diversis muneribus monasterii.
(22) Arkhim. Leonid, *Svjataja Rus,* p. IV.
(23) *Molitvoslov,* Laura Kievo-Cryptensis. 1907.

Septembris), ii quorum sacra corpora in cryptis S. Antonii iacent. Omnes deinde communi sanctorum Thaumaturgorum Laurae Kioviensis officio celebrantur dominica 2ª quadragesimae (24).

Festa sanctorum et venerabilium supra commemorata maxima ex parte pertinent ad classem pro aliquibus locis tantum admissam. De differentia inter cultum sanctorum universaliter et cultum pro aliquibus locis tantum admissum agit concilium Mosquense 1918 in decreto de canonizatione seu glorificatione sanctorum (25): Can. 13. « Adscriptio sancti, in aliquibus locis tantum honorati, ad coetum sanctorum totius ecclesiae competit s. Concilio ecclesiae russicae; tamen officium eius ut est sanctus, iam ante talem glorificationem peragi potest ubique, cultoribus eius petentibus.

Can. 14. « Nomen sancti ad cultum universale-ecclesiasticum elevati, inseritur in calendarium (menologium) russicum totius ecclesiae, dempta mentione eius cultus localis.

Can. 15. « De elevatione sanctorum ad cultum universale-ecclesiasticum s. Patriarcha specialibus litteris certiorem reddit Patriarcham Oecumenicum et praesules aliarum ecclesiarum autocephalarum ».

Expedit hos canones de cultu sanctorum in ecclesia dissidenti vigentes conferre cum canone 1277 Codicis iuris canonici, qui ob naturam suam pertinet etiam ad Orientales catholicos:

« § 1. Cultu publico eos tantum Dei Servos venerari licet qui auctoritate Ecclesiae inter Sanctos vel Beatos relati sint.

(24) Archim. Leonid, *Svjataja Rus*, p. 1-32; cf. Martinov, *Annus ecclesiasticus graeco-slavicus*, Parisiis 1863.

(25) *Sobranie opredelenij i postanovlenij Sv. Sobora pravosl. russiskoj Tserkvi* fasc. iv (Mosquae 1918) p. 25-26.

Valor huius concilii eo aliquantum minuitur, quod in hoc concilio etiam laici tulerunt suffragium deliberativum in quaestionibus non dogmaticis; revolutione proletaria orta quaedam decreta certa festinatione et absente parte membrorum concilii emanata sunt; revolutione proletaria saeviente et vincente, decreta concilii solum in parte in vitam induci potuerunt; cf. Jos. Schweigl, *Die Hierarchien der Getrennten Orthodoxie in Sovietrussland*, in *Orientalia Christiana*, fasc. 46 (Romae 1928) et fasc. 54 (Romae 1929).

§ 2. In album Sanctorum canonice relatis cultus duliae debetur; Sancti coli possunt ubique et quovis actu eius generis cultus; Beati vero non possunt, nisi loco et modo quo Romanus Pontifex concesserit ».

6) *Ex regula* (*pravilo*) *monachali de exercitiis pietatis privatis.* In hac regula, quae fere in omni monasterio aliquantulum diversa est, enumerantur exercitia cultus liturgici et exercitia cultus privati (in cellis peragenda), ad quae monachus obligatur. Cognoscimus enim ea officia quae a communitate religiosa in ecclesia liturgice et ea quae a singulis in cubiculis private persolvuntur. Haec tamen officia (canones, acathistia in honorem Dulcissimi Iesu...) ex iusta ratione posse etiam in ecclesia communiter peragi, neque ideo evadere exercitia cultus liturgici, clare ex « pravilo » intelligitur (26).

Hae conclusiones ex allatis documentis sequi videntur:

1) Non esse contra spiritum et indolem ritus byzantini (slavici) ut religiosi eiusdem ritus habeant et sequantur calendarium proprium.

2) Officia liturgica Familiae religiosae et huius sanctorum cultum certo moderamine recipiendum esse in calendarium proprium.

3) Officia communitati religiosae propria, debita licentia, fieri posse cum forma liturgica, vel etiam, sine tali licentia, cum forma extraliturgica, quamvis haec exercitia in ecclesia et a tota communitate religiosa peragantur.

Utinam ad felicem progressum Apostolatus qui in ritu orientali, ab Ordinibus et Congregationibus religiosis praestandus est, quidquam utilitatis conferant quae breviter hic disseruimus.

IOSEPH SCHWEIGL, S. I.

---

(26) *Inoceskoe kellejnoe Pravilo*, Mosquae 1904 (editio officialis) p. v.

Theoria legis mere poenalis et hodiernae leges civiles

Introductio. Indubitatum est apud auctores catholicos leges civiles iustas habere posse vim ligandi conscientias eorum quibus imponuntur, per obligationem vere moralem.

Id necessarium esse ad humanam reipublicae gubernationem, praeclare ostendit Leo xiii, inquiens: « Voluit igitur Deus ut in civili societate essent qui multitudini imperarent. — Atque illud magnopere valet, quod ii, quorum auctoritate respublica administratur, *debent* cives *ita posse cogere ad parendum, ut iis plane peccatum sit non parere.* Nemo autem hominum habet in se aut ex se, unde possit huiusmodi imperii vinculis liberam coeterorum voluntatem constringere. Unice rerum omnium procreatori et legislatori Deo ea potestas est: quam qui exercent, tamquam a Deo secum communicatam exerceant necesse est: « Unus est legislator et iudex, qui potest perdere et liberare (*Iac.*, iv, 12 », *Diuturnum*, 29 iunii 1881).

1. — Unde duo principia doctrinae catholicae circa naturam potestatis legislativae fluunt:

1) Principes possunt praecipere subditis, « ita ut iis non parere peccatum sit », seu possunt imponere obligationem conscientiae.

2) Hoc facere non possunt nisi quatenus nomine Dei tamquam Dei ministri agunt. Si ergo quaeratur quaenam sit causa immediata obligationis moralis implendi leges humanas, respondendum est cum sententia unanimi theologorum, legislatorem ipsum humanum esse vere causam obligationis.

Quod si obiciatur componi non posse cum natura obligationis conscientiae, quod a voluntate humana generetur, responsum perspicue a Leone xiii datur his verbis « Ad Romanos principum ethnicorum imperio subiectos, Pauli est

excelsa et plena gravitatis sententia: *Non est potestas nisi a Deo;* ex quo tamquam ex causa illud concludit: princeps *Dei minister est* » (*Encycl. cit.*).

Non possunt principes quidem propria potestate; at potestate ministeriali a Deo accepta, utique sine ulla difficultate possunt; eo fere modo quo sacerdos potestate vera fungitur ministerio suo, tamquam Dei minister, vere efficiendo illos miros effectus, qui in administratione sacramentorum cernuntur.

Unde merito SUAREZ (*De legibus*, Lib. III, Cap. XXI, n. 9) sententiam singularem Gersonis, P. VERMEERSCH (*Theol. Mor.*, Vol. I, n. 161) sententiam Dom. Koch et Dom. Renard, negantes legislatoribus civilibus veram causalitatem obligationis moralis, tamquam a traditione et doctrina theologorum alienas reiciunt. « Lex humana, ait Suarez (l. c., n. 7) se habet ut causa proxima et secunda, quae nititur in lege aeterna tamquam in causa prima; effectus autem, qui proxime est a causa secunda, ita ut a prima non fieret nisi per illam, secundae simpliciter tribuitur, et ideo obligatio haec, etiamsi sit in conscientia, simpliciter est a lege humana ».

Admissa doctrina nuper exposita, exsurgit quaestio difficilior, de natura et amplitudine huius potestatis.

Quaestio sic a SUAREZ proponitur: « Diximus posse humanam legem in conscientia obligare; nunc autem inquirimus *an sit hoc intrinsecum tali legi* » (*l. c.*, cap. XXII).

Circa hanc quaestionem adest saecularis disputatio, a qua pendet controversia de possibilitate legum mere poenalium.

Qui tenent ad essentiam legis pertinere quod obliget in conscientia, concedunt legislatori potestatem dandi vel non dandi legem, sed omnino negant eum posse dare legem, quae vera lex sit et in conscientia non obliget ad id quod praecipit. Alii e contra asserunt posse legislatorem, si velit, in aliquibus saltem materiis, dare leges quae immediate non obligent in conscientia ad actum quem praecipiunt vel

prohibent, sed ad aliquid aliud, secundum legislatoris voluntatem; i. e. ad poenam subeundam.

Considerantibus nobis conditiones quae ab auctoribus, qui leges mere poenales admittunt, ponuntur, et simul attente inspicientibus legislatorum nostrorum civilium mentem, solutio occurrit, quae valorem habere videtur in qualibet sententia ex disputatis inter auctores.

Etenim tales nobis apparent leges civiles hodiernae, ut videatur in illis has conditiones non dari quae, ex theoria legis mere poenalis, requiruntur ut lex quaevis habeatur ut talis.

2. — *Scopus nostrae dissertationis.*

Unde operae pretium visum est, abstinendo pro nunc a quaestione speculativa circa possibilitatem talium legum, investigare utrum in legibus civilibus hodiernis illae conditiones verificentur quae a genuinis auctoribus et propugnatoribus theoriae legis mere poenalis proponuntur tamquam necessariae ut lex quaelibet haberi possit ut mere poenalis.

Etenim si illae conditiones non dantur, discussio quae minime clausa est, circa possibilitatem et convenientiam illius theoriae, utpote practico momento destituta, per aliam explicationem magis consonam erit substituenda.

Nostram opinionem modeste lectoribus nostris subicimus, desiderio ducti suscitandi iterum studium quaestionis maximi momenti et quidem ad mentem communis magistri, Angelici Doctoris, a quo normas ad interpretandam obligationem legis civilis, sine recursu ad theoriam poenalisticam, mutuari intendimus.

3. — *Materiae proponendae divisio.*

Praemissis notionibus praeviis et sententiis auctorum recentiorum, agemus:

a) de conditionibus essentialibus ad theoriam obligationis mere poenalis adstruendam.

b) de conceptione obligationis inter legumlatores hodiernos.

c) de nostra conclusione.

d) de normis positivis ad obligationem legis civilis explicandam.

4. — *Notiones et sententiae.*

Si manuales Theologiae moralis consulamus, ad explicandam in concreto obligationem legum civilium, praemittunt divisionem legis ratione ipsius obligationis in *moralem et poenalem.*

Non una est ratio loquendi apud ipsos. Conferantur, ex. c., P. MERKELBACH, O. P., *Summa Theologiae Moralis,* Vol. I, n. 287; P. MARC-RAUS, C. SS. R., *Institutiones morales Alphonsianae,* ed. 18, Vol. I, n. 178, 181; P. VERMEERSCH, S. I., *Theologia Moralis,* ed. 3, Vol. I, n. 169.

Audiamus P. Vermeersch, l. c., 5, 3: « *Ex sanctione leges mere morales, leges mere poenales, leges mixtae distinguuntur* ».

Leges mere morales praecipiunt vel ordinant sine sanctione poenae.

Leges mere poenales solam sanctionis poenae necessitatem inducunt.

Leges mixtae simul praecipiunt vel ordinant, et poenam seu coactionem exteriorem promulgant.

Secundum ipsum, lex mere moralis obligat in conscientia ad implendam ipsam dispositionem legis.

Lex mere poenalis, statuit poenam « *sed ipsam ordinationem suam non urget sub peccato* ». Haec est nota quae constanter ab omnibus proponitur; scilicet, quod ex lege poenali non oritur obligatio sub peccato ad implendum id quod in lege praecipitur.

Ad quid ergo obligamur?

5. — Generatim, auctores duas proponunt explicationes. Alii dicunt: obligamur ad poenam, i. e., « ad acceptandam

poenam ut iustam ». FERRERES, *Theol. Mor.* I, n. 205; MARC-RAUS, o. c., n. 181; MERKELBACH, o. c., n. 287; alii proponunt obligationem disiunctivam, i. e. *vel* ad implendum quod praecipitur, *vel* ad sustinendam poenam, quae secus imponetur. Sic Ferreres, o. c., qui hanc sententiam vocat communissimam.

Accessit demum P. Vermeersch, qui recedendo ab his quae in editionibus anterioribus, secundum consuetum loquendi modum docuerat, in tertia editione sic proponit explicationem propriam de lege poenali: « *Lex mere poenalis nobis concipienda videtur ut lex quae tota quanta conscientiam non obligat,... i. e. quae tota quanta se continet in ordine iuridico seu fori exterioris* » (*o. c.*, n. 172, 3). Ergo non obligat neque sub culpa neque sub poena.

Lex ergo est norma, i. e. ratio dictans quid faciendum sit, non tamen imponens morali imperio quidquam facere, sed relinquens industriae legislatoris finem obtinere nulla inducta conscientiae obligatione. Conceptio haec facillime intelligitur, liberatque subditos ab omni conscientiae praeoccupatione.

Si quaeratur de ratione legis mere poenalis, omnes tamquam postulatum recurrunt *ad mentem legislatoris*. Pro omnibus *obligatio est effectus liberae voluntatis legislatoris*. Substracta vero causa, substrahitur effectus seu obligatio. Ut clare apparet, omnes supponunt obligationem separari posse per actum positivum voluntatis legislatoris ab ipsa lege. Hoc autem minime indubitatum est, ut optime constat ex his quae D. RENARD, tradit (1).

6. — Nobis, qui ab hac controversia praescindere volumus, magis interest investigare quemnam actum voluntatis

(1) Circa originem theoriae legis mere poenalis, nondum habemus investigationem sufficientem ad illam statuendam. Vide quae dicit D. RENARD, in opere *La Théorie des Leges mere poenales*, Paris 1929, pg. 18 et seq. Quicumque sit exitus praedictae investigationis, ex iis quae apud auctores antiquiores videre potuimus, putamus adeo clare constare de necessitate *intentionis deobligantis*, ut non sit timenda, ex hoc capite, nostrae conclusionis labefactatio.

legislatoris exigant auctores ad hoc ut lex tamquam mere poenalis, haberi possit.

Iam vero omnes uno ore proclamant, quod ad hoc ut lex habeatur tamquam mere poenalis sufficit et *requiritur* actus positivus voluntatis legislatoris sic statuentis. « Lex mere poenalis, inquit P. VERMEERSCH (n. 174), erit quam humanus legislator *vult esse talis* ».

Quid ergo si habeatur lex de qua non constat legislatorem voluisse eam esse mere poenalem?

Si logicam observare volunt, legem illam ut poenalem habere non possunt. Nam quod lex sit moralis et obliget in conscientia est naturalis consequentia ipsius legis. Ergo ad hoc ut poenalis sit, requiritur actus positivus voluntatis legislatoris excludentis obligationem vel mutantis terminum ipsius.

7. — Haec est sententia perpetua omnium auctorum qui leges mere poenale defendunt.

Paucos citare sufficiat.

ALPHONSUS DE CASTRO, qui ex professo quaestionem de legibus mere poenalibus late exponit, indubitanter omnia argumenta, diversis rationibus, semper fundat in principio quod legislator potest per suam intentionem terminum obligationis legis mutare. Hanc tamen intentionem expresse debet in lege, vel alio modo determinare; secus obligatio cadit super id quod in lege statuitur. In opere *De potestate legis poenalis* (Lugduni, 1554), cap. XI lib. I, sic concludit: « Nam ob hanc causam, ut alias diximus, statuta Fratrum Minorum et Praedicatorum non obligant ad culpam aliquam; quia illorum statutorum conditores NOLUERUNT *ad culpam aliquam suos subditos obligare*, prout ipsimet in principio suorum statutorum aperte expresserunt. Ex his evidenter sequitur, *ut iuxta variam legislatoris intentionem, varia sit etiam diversarum legum obligatio* ».

Postea, etiam MARTINUS DE AZPILCUETA, celeberrimus Doctor Navarrus, eo usque processit ut assereret ad hoc ut leges civiles in conscientia obligarent, requiri expres-

sam declarationem legislatoris, secus nullas obligare saltem sub mortali. *Manuale confessariorum,* Romae, 1634, Cap. XXIII.

Contra ipsum merito insurgit SUAREZ, invocando sententiam communen theologorum, quae tenet contrarium scilicet, nisi aliter constet de expressa legislatoris voluntate, leges obligare in conscientia, etiam poenales. « Dicendum est ergo legem, quae in verbis suis et modo quo fertur, praeceptum continet, etiamsi poenam adiiciat, obligare in conscientia, vel sub mortali vel sub veniali culpa, iuxta qualitatem materiae... *nisi aliunde constet de expressa mente legislatoris* ». (*De legibus,* l. v, cap. 3, n. 6. Cf. etiam cap. IV, n. 8).

Nec in re quae facile comprobari potest ex auctorum simplici lectione diu immorari necessarium reputamus.

8. — Facile omnes concedunt ex ipsis sequentes conclusiones deduci posse:

1) Ad hoc ut lex aliqua, etsi poenam contra violatores contineat, haberi possit ut mere poenalis, requiritur ut constet de positiva mente legislatoris, *nolentis* subditos obligare ad culpam, sed *tantum* ad poenam.

2) Hoc supponit legislatorem poenam concipere ut medium inducendi suaviter subditos ad observantiam statuti in materia indifferenti.

3) Ideo maxime verificatur in constitutionibus Ordinum religiosorum, quibus observantia regularum urgetur, quae hominibus dantur, sponte sua perfectionis studio deditis, et quae circa materiam versantur, de se indifferenti, aut de consilio.

9. - *Prima praemissa.*

Unde concluditur ad casum nostrum solvendum: *Ad hoc ut criterium theoriae legis poenalis applicari possit legibus civilibus hodiernis, requiritur ut nobis constet legislatores hodiernos habuisse intentionem subditos non obligandi in conscientia ad legem observandam sed ad poe-*

nam tantum subeundam, vel ad nihil voluisse ipsos obligare.

Nam si hoc non constat, ut verbis utamur Dom. Soto: « *fidelissima regula est: Omnis lex quae absolute fertur, hoc est, quae contrarium non explicat, obligat ad culpam... Quo fit, ut quicumque legem ferre voluerint, sive saeculares Principes, sive ecclesiastici Praepositi, quae non obligent ad culpam, illud debent explanare* » (1).

Ecce doctrinam maximi momenti, quam auctores posteriores passim negligentes, ad consequentias devenerunt vere mirabiles, quaerentes signa voluntatis interpretativae legislatoris, ex quibus practice sequi videtur destructio illius characteris moralis, qui dignitatem legibus conciliat et honorem.

Quid igitur legislatores hodierni de obligatione morali vel poenali decernunt?

10. - *Mens legislatoris hodierni.*

Via ad illam investigandam duplex habetur:

a) Sententias investigare auctorum qui doctrinam proponunt circa naturam legis civilis.

b) Ipsam mentem legumlatorum directe introspicere.

a) *Sententiae doctorum* (1).

Magna sententiarum varietas fere in hoc tantum convenit, ut adstruant perfectam separationem inter ordinem iuridicum et ordinem moralem. Ordo iuridicus qui legibus custoditur, respicit relationes interpersonales civium, quae socialiter exigi possunt; ordo moralis, non nisi activita-

---

(1) *De Iust. et Iure*, lib. I, q. v, a. 6. Unde clare constat non sufficere illam exclusionem negativam quae habetur apud legislatores hodiernos, sed requiritur positiva, quae ab illo fit qui cogitando de obligatione morali quae ex lege nasci potest, eam tamen excludere vult.

(1) Cf. Dabin, *La philos. de l'Ordre Juridique positif.* Paris 1929, G. Del Vecchio, *Lezioni di Filosofia del Diritto*, Castello, 1932, c. x. L. Mendizabal y Martín, *Tratado de Derecho Natural*, Madrid 1928, vol. 1, cap. xxiii, R. de Ruggiero, *Istituzioni di Diritto Civile*, Messina, s. d., 6a edit., cap. I. *Kelsen-Recasens, Comp. de la Teoria general del*

tem personalem hominum erga semetipsos, quae exterius socialiter exigi non potest.

Lex est norma activitatis socialis. Ut notas proprias habet ut sit: A) Imperativa ipsius activitatis quae in ipsa proponitur.

B) Ut sit coercitiva, i. e., ut etiam nolentes cogi possint ad eius observantiam. Unde necessitas, quae ex lege imponitur, est essentialiter ordinis exterioris et iuridici; ideo legis observantia exigi ab aliis potest, sive a publica auctoritate, sive etiam ab aliis civibus.

Reatus ex violatione legis est semper et in omni lege, responsabilitas iuridica, seu necessitas respondendi coram societate de omnibus consequentiis quae ex violatione legis proveniunt.

Leges poenales pro ipsis supponunt tamquam fundamentum violationem legis quae observanda erat; *neque unquam dari potest casus in quo libera poenae acceptatio ab implenda parte dispositiva legis excuset. Poena supponit anteriorem culpam, utique iuridicam.*

Lex repraesentat mentem iuridicam multitudinis conscientis, per organa politica manifestatam; dicit imperium voluntatis, at cuius voluntatis? Fere omnes auctores respondent: voluntatis populi constituti in regimine politico perfecto.

De facto resultat ut terminus longioris elaborationis ad quam plurimi concurrere debent: puta deputati, senatores, ministri, supremus moderator. Ideo, si de voluntate legislatoris personalis quaestio moveretur, omnes uno ore responderent hanc nihil posse in ordine ad legis obligationem constituendam vel mutandam; cum revera, in ordinationibus politicis hodiernis, nec concipi potest voluntas quaedam personalis, a qua tantum aut principaliter lex dependeat.

c) Mens ipsorum legislatorum.

Hanc investigare, ex aliis mediis quam ipsis verbis legis hodie difficile est. Legislatores non personae individuales sunt, sed morales.

Lex non est actus unius voluntatis, sed processus quidam ex plurimis actibus constans.

Illa ergo *intentio statuentis,* de qua loquitur Gandavensis, hic in forma legis tantum est invenienda.

Forma autem legis, si investigatio fiat in legibus hodiernis, *est una, uniformis, eaque omnino imperativa,* nullo modo disiunctiva.

Effectus legis pro subditis est obligatio iuridica, quae eamdem vim habet in omnibus legibus; neque ratione modorum, quibus obligant leges, discriminantur inter se. Poena non proponitur ut elementum legis praeceptivae, sed ut sanctio propter legem culpabiliter violatam.

Ideo poena nunquam excusat a lege observanda; sed observatio legis urgetur donec possibilis est.

Haec omnia comprobari possunt vel ex lectione auctorum, qui leges civiles commentantur, vel ex ipso legum civilium studio.

Si quaestio vel peritis vel legislatoribus proponatur de morali obligatione legis, respondebunt se ab illa praescindere, utpote a re quae tota intra sacrarium conscientiae subiectivae continetur.

Si ulterius ab ipsis quaeratur, num velint conscientiam ligare, pro diversitate conceptionis philosophicae responsa dabunt; sed fere unanimiter dicent se conscientiam attingere non valere, se sub peccato ligare non posse.

Si tamen interrogentur, num velint conscientiam liberare ab obligatione morali: « Minime », respondebunt. Imo ipsis videtur omnino consonum ut qui ordinem moralem admittunt, etiam ex conscientia leges observent. Tantum dicunt hoc esse negotium ab ipsis alienum.

Haec plena erroribus cernuntur. Sine dubio; at factum adstruunt.

11. — Factum quodnam est? Factum est: *Legislatores hodierni ab ordine morali in suis legibus ferendis magna ex parte praescindunt.*

Factum est quod interrogantibus de mente legislatoris in ordine ad obligationem moralem inducendam, responsio erit: *Legislatores moderni circa obligationem moralem inducendam vel non, mentem non habent.*

Age nunc, secundum propugnatores theoriae legis poenalis, tota quaestio de discernenda obligatione sub culpa vel sub poena, innititur in voluntate *positiva* legislatoris.

Ergo cum in legislationibus hodiernis haec voluntas positiva excludens moralem obligationem non detur, fateri debent, quod in legislationibus hodiernis, criterium ipsum fundamentale theoriae abest; quo admisso, theoria ipsa practica applicatione caret.

12. — *Secunda praemissa. Intentio legumlatorum hodiernorum obligationem moralem subditorum non considerat, sed dirigitur tantum ad obligationem iuridicam.*

Quae cum ita sint, thesim nostram statuere possumus ut sequitur:

13. — Divisio legis civilis in moralem, poenalem et mixtam, quidquid sit de quaestione speculativa, practice ad explicandam obligationem legum civilium hodiernarum inservire non videtur.

Nam ut criterium legis mere poenalis applicari possit ad determinandam obligationem alicuius legis, requiritur actus positivus voluntatis legislatoris respiciens ipsam obligationem legis sub adspectu moralis conscientiae.

Atqui legislatores hodierni nullum actum positivum voluntatis respicientem conscientiam moralem in suis legibus ferendis habent. Ergo legibus hodiernis criterium legis mere poenalis ad mensurandam earum obligationem moralem, applicari non potest.

Maior patet ex dictis in priore parte. Minor autem ex dictis in secunda.

14. — Ad solvendas difficultates observare velis:

1°) Solutio nostra non labefactatur, ex eo quod, ut innuere videntur multi auctores manualium Theologiae moralis, non requiratur voluntas explicita, sed sufficiat implicita. Nam, ut vidimus, praecissio ab ordine morali est totalis, nec ullum vestigium apparet ex quo deduci possit ipsos velle vel non velle conscientiam ligare.

Quod ut clarius appareat, sufficiat in mentem revocare ea quae auctores afferunt ut signa voluntatis implicitae. PP. Marc-Raus, o. c., n. 183, 2°: « Leges aliquas esse mere poenales novimus ex notis sequentibus: 1° Ex ipsis *legis verbis*, v. gr., si disiunctive exprimatur »... Sed vidimus legislatores modernos hanc formam exprimendi legem prorsus ignorare. Utique leges quibus in Codice poenali sanctiones statuuntur, utuntur forma: « qui hoc fecerit, solvat talem poenam ». Sed hoc statutum poenale supponit aliam legem absolute imperantem aliquid faciendum. Iam vero de ista lege quaestio movetur. « 2° Ex declaratione legislatoris »... Diximus quid valeat haec declaratio.

P. Merkelbach, o. c., n. 287, recurrit praeterea ad materiam legis, ad naturam et qualitatem poenae. Sed etiam vidimus (1), quomodo haec nullum signum constituant voluntatis moralis obligationis tollendae vel inducendae.

2°) Ex dictis sequitur non sufficere silentium legislatoris de obligatione morali ad concludendum leges esse poenales. Nam tunc concludendum esset omnes leges civiles ex vi sua esse mere poenales, quod nemo admittit nec admittere potest. Nam silentium hoc non solum observatur ubi de legibus agitur levioris momenti, sed in omnibus eodem modo.

3°) Ergo unica conclusio logica ex studio legislationis hodiernae in ordine ad obligationem conscientiae men-

(1) Vide supra p. 211.

surandam, est haec: Leges hodiernae ex mente auctorum qui illas genuerunt, nullum praebent criterium ad obligationem in conscientia mensurandam.

4º) Ergo in legibus hodiernis obligationis moralis natura et extensio deduci debent tantum ex principiis iuris naturalis et revelati, praescindendo a mente legislatoris.

15. - *Criteria positiva ad determinandam naturam obligationis legis civilis.*

Hic quaedam solutionis principia tantum proponimus, quae in sequenti articulo, Deo favente, enucleatius evolvemus.

Ex nostra thesi sequitur conclusio negativa. Compleri debet brevissima expositione doctrinae positivae.

Exclusa theoria legis mere poenalis, nobis non manet alia via ad obligationem conscientiae determinandam, nisi recursus ad traditionem Patrum interpretantium clarissimam doctrinam Sancti Pauli.

Ex isto fonte S. Thomas aureum principium desumpsit, quo norma fundamentalis continetur: « Leges positae humanitus vel sunt iustae, vel iniustae. Si quidem iustae sint, habent vim obligandi in foro conscientiae a lege aeterna, a qua derivantu, secundum illud *Prov.* 8: « Per me reges, regnant, et legum conditores iusta decernunt ». I-II, q. 96, art. IV.

Haec de omnibus legibus valent, etiam de legibus quae ab imperatoribus ethnicis, qui certe de conscientia non cogitabant, datae sunt.

Conferantur pulcherrima verba Leonis XIII, in *Diuturnum*, ed. Paris, Bonne Presse, Vol. I, pag. 148.

Norma ergo obligationis determinandae non est nisi ipsa legis natura et necessitates boni communis propter quod datur lex.

Interpretatio autem obligationis ,independenter a quavis legislatoris voluntate, committitur conscientiae recte efformatae illorum qui ad implendam legem tenentur.

Practice ergo moderatoribus conscientiae erit applica-

re criteria de observantia legis positivae, quae tradi solent pro morali impletione legis.

16. — Ad hoc multum iuvare videtur attendere ad ea quae sequuntur:

1° - *Ad quos legis ordinatio immediate dirigitur.* Dantur plurimae leges quae non singulos subditos respiciunt, sed publicos ministros, ex. gr., de tributis exquirendis, de ordine observando per vias, etc. In his ergo singulis sufficit oboedientiam *passivam* praestare; unde ad nihil tenetur, nisi solutio vel impletio ab ipsis exigatur per publicos ministros.

2° — *Ad naturam legis.* Sunt plurimae leges adeo minuta praecipientes ut fere impossibile sit semper eas observare. Iustae tamen sunt. In his adeo parva esse potest materia et tam parum facere ad bonum commune, ut neque peccatum veniale constituat eam aliquando negligere.

3° — Demum attendendum est *ad onera quae a lege imponuntur.* Bonum commune exigit ut iustitia distributiva observetur, ideoque ne magnum gravamen alicui ex civibus imponatur quod superet vires ipsius.

In hoc casu legitime, propter grave incommodum quod legis observatio secumfert, excusari potest ab eius observantia, qui in talibus adiunctis versatur.

His prae oculis habitis, prudens conscientiae moderator mitigare poterit rigorem quem induere videntur multae leges hodiernae, subditum ab illis liberum declarando in casibus particularibus, non quia poenales sunt, sed quia legibus humanis humana observantia praestanda est.

ULPIANUS LÓPEZ, S. I.

Quaesitum de operibus requisitis ad indulgentias plenarias lucrandas

Quoniam concessioni indulgentiae plenariae plerumque adiungitur clausula « suetis condicionibus », *quaeritur*:

Utrum « suetae condiciones » quibus subicitur acquisitio indulgentiae plenariae, etiam visitationem ecclesiae vel oratorii publici complectuntur annon?

Respondetur:

Dubitatum est de vi clausulae « suetis condicionibus », quae hodie communissima est in plenariis indulgentiis. Dubium in eo fundatur, quod auctores hucusque aut obscure aut diverse eam interpretati sunt. Attamen omne dubium sublatum est in novissima authentica Indulgentiarum Collectione, quae inscribitur *Preces et pia Opera indulgentiis ditata* et prodiit Romae anno 1938. Ea « complectitur indulgentias generales, a Summis Pontificibus pro toto orbe usque ad integrum annum 1937 concessas « (pag. VII n. 1). Huic collectioni duo praecesserunt opera, nunc antiquata, alterum italice scriptum *Raccolta di orazioni e pie opere,* Romae editum anno 1898, alterum autem anno 1929 tamquam eius continuatio editum atque latine scriptum, quod inscribitur *Collectio Precum piorumque operum, quibus Romani Pontifices... indulgentias adnexuerunt ab anno 1899 ad 1928.*

Porro *Raccolta* nondum usa est clausula « suetis condicionibus », sed edixit tantum generatim quatuor opera requiri ad indulgentias plenarias acquirendas, nempe confessionem, communionem, visitationem ecclesiae vel publici oratorii, orationem ad mentem Papae (pag. XI). In memorata tamen continuatione anni 1929 primo haec clausula generaliter adhibita atque definita est authentice. Quae definitio, paulo perpolita, in recentissimo opere sic ef-

fertur: « Condiciones, quae pro acquirendis plenariis indulgentiis, in hac collectione contentis, ordinario praescribuntur, quaeque *per notam clausulam suetis condicionibus' designantur,* sunt: confessio, communio, visitatio ecclesiae aut publici vel (pro legitime utentibus ad normam can. 929) semipublici oratorii et oratio ad mentem Summi Pontificis. In casibus vero, in quibus omnes recensitae condiciones non requiruntur, eae, quae necessariae sunt, singulatim in propriis locis adnotantur » (pag. VIII n. 4).

Perspicuum igitur nunc est, quid verba « suetis condicionibus » valeant. Porro in novissima collectione precum piorumque operum indulgentiis ditatorum haud paucae indulgentiae notabiliter mutatae sunt, sive quoad mensuram sive quoad condiciones. Sic ubique suppressae sunt quadragenae, quae nonnumquam annis pari numero apponebantur; v. g., indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum nunc sine quadragenis apponitur in collectione authentica. Praeterea ordinario clausula « suetis condicionibus » addita est indulgentiis plenariis, etsi in pristina concessione deerat. Quod apprime notandum est. Amodo igitur preces et pia opera « non secundum veterem, sed secundum novam concessionum formam, indulgentiis potiuntur, ea vera, quae in hac collectione non recensentur, indulgentias amittunt » (pag. VII n. 2).

In hac collectione colliguntur quoque ea, quae postremis annis de pluribus condicionibus indulgentiarum S. Sedes edixit, praesertim de oratione ad mentem Summi Pontificis ac de visitatione ecclesiae. Postquam de oratione ad mentem Papae fundenda inter auctores fusius disceptatum est, Sancta Sedes haec edixit:

1. « Ad indulgentias plenarias *toties quoties* lucrandas, pro quibus alicuius ecclesiae visitatio iniuncta est, oportet et sufficit saltem *sex* Pater, Ave et Gloria ad mentem Summi Pontificis in singulis visitationibus recitare » (*Collectio indulgentiarum,* pag. XVI; *S. Paenit.,* 5 iul. 1930 *AAS* XXII (1930) p. 363; *Periodica* XIX (1930) p. 341); neque in-

tegrum est fidelibus alias aequivalentes fundere preces (*S. Paenit.*, 13 ian. 1930 ad 2, *AAS* XXII (1930) p. 43; *Periodica* XIX (1930) p. 218). Huiusmodi indulgentiae sunt indulgentia Portiunculae, vel diei Omnium Fidelium Defunctorum aliaeque.

2. Pro reliquis indulgentiis plenariis, nisi oratio definita praescribatur, « clausula ' precandi ad mentem Summi Pontificis ' plane adimpletur adiiciendo ceteris operibus praescriptis recitationem ad eam mentem u n i u s Pater, Ave et Gloria, relicta tamen libertate singulis fidelibus, ad normam canonis 934 § 1, *quamlibet aliam orationem* recitandi, iuxta uniuscuiusque pietatem et devotionem erga Romanum Pontificem » (*Collectio*, pag. XV; *S. Paenit.*, 20 sept. 1933, *AAS* XXV (1933) p. 446; *Periodica* XXII (1933) p. 196). Quae oratio partim mentalis esse potest, ut infra.

Visitatio autem ecclesiae sic accuratius descripta est. « Condicio ' visitandi ecclesiam aut publicum vel (pro legitime utentibus) semipublicum oratorium ' adimpletur per accessum ad ecclesiam vel ad oratorium saltem cum intentione quadam generali seu implicita honorandi Deum in se vel in Sanctis suis, aliqua adhibita prece, et quidem prece praescripta, si aliqua imposita fuit ab indulgentiae largitore, vel aliqua qualibet sive orali sive etiam mentali pro cuiusque pietate ac devotione » (*Collectio*, pag. XIII; *S. Paenit.*, 20 sept. 1933, *AAS* XXV (1933) pag. 446; *Periodica* XXII (1933) p. 196). Phrasis autem oratione « qualibet sive orali sive etiam mentali » secundum canonem 934 § 1, qui in sequenti propositione eiusdem decreti citatur, intellecta non permittit pure mentalem orationem, sed oratio potest esse partim oralis, partim mentalis (*Periodica* XXII (1933) p. 198). Iuxta hoc decretum « visitat igitur templum, qui illud ingreditur ad confitendum, ad recipienda vel ministranda sacramenta, ad ornandum altare, immo ad quidpiam reficiendum, dummodo aliquam precem addat » (*Ibidem*).

Denique annotare iuvat nihil referre, *quo ordine* prae-

dicta quatuor opera peragantur; attamen ultimum opus, quod etiam sacra communio esse potest, in statu gratiae fiat oportet. Unde visitatio ecclesiae fieri potest ante vel post confessionem et communionem, etsi in concessione dicatur, « qui vere poenitentes, confessi ac s. communione refecti ecclesiam visitaverint ». *Decr. auth. S. C. Indulg.*, n. 214; *S. Paenit.*, 3 april. 1934 § XIV, *AAS* XXVI (1934) p. 152; *Periodica* XXIII (1934) p. 49).

FRANCISCUS XAVERIUS HECHT, P. S. M.

Quaesitum de diebus menstruam Missam Iesu Sacerdotis excludentibus

Quoniam condicio « dummodo non occurrat ... quodlibet festum, vigilia aut octava Domini », cui subicitur celebratio menstruae Missae Iesu Sacerdotis accipienda est de festis, vigiliis et octavis Christi Domini, *quaeritur*:

Cur a pluribus auctoribus censetur illam celebrationem omittendam quoque esse in vigilia Pentecostes et infra huius festi octavam?

Respondetur:

Decretum S. C. R. diei 11 martii 1936 (*AAS* XXVIII (1936) p. 240; *Periodica* XXV (1936) p. 138) prohibet hanc Missam, quoties occurrit « quodlibet festum, vigilia aut Octava Domini ». Interpretatio huius loci apud *Periodica* XXVI (1937) p. 197 s. alicui dubio ansam dedit. Dictum est enim ibidem, decretum 4337 circa menstruam Missam votivam S. Cordis Iesu applicari posse etiam menstruae Missae Iesu Sacerdotis, ideoque supra legendum esse, quoties occurrit quodlibet festum, vigilia aut Octava *Christi Domini*. Attamen in sequenti pagina 198 dictum est hanc Missam insuper im-

pediri in vigilia et infra Octavam Pentecostes; quod cuidam lectori videbatur contradicere asserto priori. Sic autem res se habet.

Nemo non videt decretum diei 11 martii 1936 esse valde incompletum; non solum enim dies prohibiti imperfecte enumerantur, verum etiam nihil dicitur, num haec Missa habeat *Gloria* et *Credo*, num sit assimilanda Missae votivae solemni atque etiam commemoranda in diebus prohibitis. Quae postea pluribus decretis affirmata sunt, uti notum est. Revera tamen nemo hucusque quaesivit, num haec Missa in vigilia vel infra Octavam Pentecostes prohibeatur, quia talis quaestio ex « legibus latis in similibus » facile solvi potest et interim debet (cfr. can. 20).

Missa menstrua Iesu Sacerdotis « habeatur tamquam votiva solemnis » (S. C. R. 2 ian. 1937 ad 2 et 12 ian. 1937 ad 2, *Periodica* XXVI (1937) p. 191 et 194). Reapse igitur non est votiva solemnis, sed ei assimilanda in plerisque; nam habet ritum duplicem, quia habet *Gloria* ac *Credo* (S. C. R. 25 nov. 1936 ad 1 et 2 ian. 1937 ad 1, *Periodica* XXVI (1937) p. 190-192); unde admittit solas commemorationes Missae votivae solemni congruentes et ipsa impedita commemoratur sub unica conclusione in Missa diei, « dummodo non occurrat festum D. N. Iesu Christi aut eius Octava » (S. C. R. 25 nov. 1936 ad 2).

Menstrua missa Iesu Sacerdotis tamen prorsus differt a missa votiva solemni, si considerentur dies, quibus permittitur; nam haec in duplicibus II classis permittitur, illa vero excluditur (S. C. R. 11 martii 1936). Immo neque Missa menstrua S. Cordis Iesu quoad dies convenit cum missa votiva solemni, quamvis ceteroqui potioris condicionis sit quam missa Iesu Sacerdotis, quia pariter in duplicibus II classis permittitur.

Iamvero Missa votiva solemnis, quae longe superat menstruam missam Iesu Sacerdotis, prohibetur in vigilia Pentecostes (*Add. in rubr. Miss.* II 3); ergo a fortiori missa menstrua Iesu Sacerdotis excluditur in ista vigilia. A Feria

IV usque ad Sabbatum infra octavam Pentecostes missa votiva solemnis quidem permittitur (*ibidem*). Attamen neque missa votiva S. Cordis Iesu infra hanc octavam admittitur, sed commemoratur tantum sub unica conclusione (*S. C. R.*, n. 4372 ad 15), licet sit potioris iuris quam Missa Iesu Sacerdotis, quia, v. g., permittitur in duplicibus II classis. Ideo concludere debemus missam menstruam Iesu Sacerdotis pariter prohiberi in vigilia et infra Octavam Pentecostes et commemorandam esse in missa diei, quemadmodum communissima fert interpretatio.

FRANCISCUS XAVERIUS HECHT P. S. M.

MONUMENTA

28 - SS. D. N. Pius Pp. XI
Constitutio Apostolica de Cryptoferratensi Coenobio in Abbatiam « nullius » erigendo.

(*AAS* xxx [11 iun. 1938] p. 183 ss.)

CRYPTOFERRATEN.

CRYPTOFERRATENSE COENOBIUM PROPE URBEM IN ABBATIAM « NULLIUS », SEU MONASTERIUM EXARCHICUM, ERIGITUR, MONACHIS BASILIANIS RITUS BYZANTINI CONCREDITUR ET EIUSDEM FINES, IURA AC PRIVILEGIA STATUUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Pervetustum Cryptaeferratae Coenobium, quod, licet inter latinas gentes ac prope Urbem ipsam positum, inde ab exordio byzantinum ritum adhuc usque servavit, Romanorum Pontificum erga orientales Ecclesias propensissimi animi praeclarum semper exhibuit testimonium. Quod quidem animo volventes, ex quo Nos inscrutabili Dei consilio ad Petri Sedem evecti sumus, non mediocri gavisi sumus gaudio sub peculiari Nostro patrocinio Coenobium illud recipere, quod, saeculo decimo primo ineunte a Divo Nilo

Iuniore conditum, temporum decursu magis in dies floruit, veluti orientalis fulgidissima gemma in Romani Pontificis tiara inserta. Nos enim fugere non poterat Abbatiae illius historiam cum Romanae Ecclesiae arctissime semper coniunctam fuisse, eamque Praedecessores Nostros plurimis cumulasse privilegiis et honoribus, quibus et christifidelibus venerabilior redderetur et ad exoptatam Ecclesiarum orientalium cum Apostolica Sede unionem promovendam aptior fieret. Huius pontificiae erga Cryptoferratense Coenobium dilectionis non unum in medium proferri potest exemplum; sed, ut proximioris tantum aevi res breviter attingamus, memorare lubet cl. m. Leonem Papam Tertium Decimum, qui in Abbatia illa et byzantini ritus integritatem instauravit et monasticam disciplinam ad S. Basilii Magni regulas propius restituit, et auctor fuit ut ubique gentium evulgarentur ingenuarum artium opera, quibus pia fidelium devotio S. Mariae Cryptaeferratae Basilicam ditavit, ad quam illi Roma, ex Latio, ex ipsis remotis Orientis byzantini regionibus omni tempore frequentes confluxerunt. Nec minor fuit in Coenobium ipsum tam s. m. Pii Papae Decimi munificentia, quam fel. rec. Benedicti Papae Quinti Decimi apostolica sollicitudo, qui in illo Pontificium Seminarium Graecum-Albanense instituit ac sollertibus commisit S. Basilii Monachorum curis. Quibus Praedecessorum Nostrorum vestigiis Nos ipsi insistentes, eademque apostolica caritate permoti, peculiaris Nostrae in Coenobium illud dilectionis sollemne praebere testimonium statuimus, quo omnibus pateat Romanum Pontificem una cum Ecclesia universa certam fovere spem, per incensum Monachorum S. Basilii Cryptaeferratae studium et sollertem industriam, omnes byzantini ritus fideles, quondam cum Petri Sede coniunctissimi devinctos, postea vero ab ea luctuosissimo schismate avulsos, ad Catholicae Ecclesiae unitatem tandem aliquando adduci posse. Sciant inde omnes Nos magni facere eorumdem Monachorum praeclarae doctrinae opera, impensos in artibus ingenuis labores ac

potissimum in byzantina melurgia, ad quam investigandam tanto doctissimi viri ingenii acumine intendunt. Ab ipsa namque Abbatia, in qua, ut omnes norunt, percelebris exstat bibliotheca, insignibus manuscriptis codicibus minio pictis copiose instructa, plurima opera laude dignissima eduntur tum ad typographicam artem polyglottam, tum ad graecam palaeographiam, tum ad picturas graeco more minio ductas pertinentia; illic demum magna cum studiorum utilitate officina existit ad codices librosque instaurandos, temporis hominumque iniuria depravatos. Quae omnia prae oculis habentes, at in animarum bonum praecipue intendentes, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi pro Ecclesia Orientali praepositorum consulto, audito quoque venerabili Fratre Nostro Francisco S. R. E. Cardinali Marchetti Selvaggiani, suburbicariae dioecesis Tusculanae Episcopo, in qua Cryptaferrata oppidum exstat, re mature perpensa, Coenobium ipsum ad maiorem dignitatis gradum provehere statuimus. Suppleto igitur quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Cryptoferratense quod supra memoravimus Coenobium in Abbatiam *nullius dioeceseos*, seu Monasterium Exarchicum, eodem servato S. Mariae Cryptaeferratae nomine, extollimus, erigimus et constituimus, quam Nobis et Sanctae Sedi immediate subiectam volumus ac declaramus et Monachis Basilianis ritus byzantini concredimus. Huius autem novae Abbatiae *nullius* territorium, iam e dioecesi Tusculana distractum, hisce in praesenti delimitatur finibus, nempe via Iuliano Della Rovere, vulgo *della Cartiera* nuncupata, ponte Castri, moenibus valli, semita inter praedium Sororum Franciscalium Missionariarum a B. M. V. et fundum Abbatiae, et oliveto ad familiam Mazzanti nunc spectante. Statuimus insuper ut Abbatiae istius Abbas sit Archimandrita pro tempore Congregationis Italicae Monachorum Basilianorum. Novae porro Abbatiae *nullius* S. Mariae Cryptaeferratae, eiusque pro tempore Abbatibus seu

Archimandritis, quamvis Abbatia ipsa tribus saltem iure requisitis paroeciis careat, ex peculiari gratia, non obstante canonis 319, § 2, C. I. C. praescripto, omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae Abbatiae *nullius* earumque Praesules iure communi per orbem fruuntur, quorum officiis et oneribus ipsi quoque erunt adstricti. Ecclesia Abbatialis sicut antea erit Basilica S. Mariae a Gratiis Cryptaeferratae, in qua Abbatis seu Archimandritae sedem figimus, omnibus eidem servatis honoribus et privilegiis, quae saeculorum decursu a Summis Pontificibus ipsi conlata sunt. Decernimus insuper ut ad Archimandritae seu Ordinarii onera sustinenda Congregatio Italica quam supra diximus Monachorum Basilianorum mensam aliquam illi pro viribus praestet. Volumus autem ut nulla ratione fas sit quamlibet territorii abbatialis partem infra descriptos antea fines contenti alienare seu cedere, sive venditione, sive locatione, sive alio modo absque Apostolicae Sedis facultate; ita ut si aliqua illius territorii partis cessio sine Apostolicae Sedis venia evenerit, cessio ipsa invalida prorsus et illicita habeatur. Nihil vero innovetur quoad paroeciae ritus byzantini praefatae Ecclesiae S. Mariae iura et onera, iuxta quae Decreto *Quanta Romanorum*, a S. Congregatione pro Ecclesia Orientali die undevicesima Maii mensis, anno millesimo nongentesimo undetrigesimo edito, a Nobis statuta sunt. Firmum autem manere volumus ius Monachis Basilianis sacras ter in anno processiones ducendi per publica Cryptaeferratae vias, si ipsis placeat, nimirum die vicesima secunda Augusti mensis, idest in festo Iconis S. Mariae, in sollemnitate S. Nili Iunioris, Cryptaeferratae oppidi Fundatoris et Protectoris, et vespere feriae sextae maioris hebdomadae; Ordinarius attamen Archimandrita de ipsis processionibus ducendis Cardinalem Episcopum Tusculanum quotannis certiorem faciat. Ad quae omnia ut supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem Fratrem Petrum Pisani, Archiepiscopum titularem Tomitanum et Pontificio Solio

Adsistentem, delegamus eidemque facultates necessarias et opportunas tribuimus etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum et cum onere ad Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar quantocius transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque rata ac valida esse volumus et iubemus, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis minime obstantibus. Nemini autem hanc paginam erectionis, constitutionis, derogationis, concessionis, statuti, mandati et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulfi, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo septimo, die sexta et vicesima mensis Septembris, in festo S. Nili Iunioris, Pontificatus Nostri anno sextodecimo.

Fr. Th. Pius, O. P., Card. Boggiani
Cancellarius S. R. E.

Eugenius Card. Tisserant
S. C. pro Eccl. Orient. a Secretis

Alfonsus Carinci, *Proton. Apost.*
Vincentius Bianchi-Cagliesi, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Annotationes

Neminem fugiet huius documenti singulare momentum. Ipso namque suo scopo arte cohaeret cum eiusdem Summi Pontificis *Motu Proprio* die 25 martii 1938 edito (v. infra p. 230-237), quo iurisdictio sacrae Congregationis pro Ec-

clesia Orientali multum dilatatur. Respicit autem pervetustum celeberrimumque Cryptoferratense Coenobium quod prope Urbem situm, a novem saeculis antiquum ritum italobyzantinum servavit ac coluit, vivum testimonium constantis Romanorum Pontificum dilectionis et munificentiae.

Post memorata huius benevolentiae recentiora quaedam exempla, Constitutio magnificis verbis Summi Pontificis spem significat fieri aliquando posse ut per incensum Monachorum Sancti Basilii Cryptaeferratae studium et sollertem industriam ceteri ritus byzantini fideles ad catholicam unitatem reducantur. Necessariam utique ad tantum opus peragendum auctoritatem Monachi Cryptoferratenses ob praeclara doctrinae opera impensosque in artibus ingenuis labores dudum sibi compararunt.

Quae omnia prae oculis habens, at in animarum praesertim bonum intendens, Summus Pontifex Coenobium Cryptoferratense ad maiorem dignitatis gradum provehere volens illud in Abbatiam *nullius dioeceseos* seu Monasterium Exarchicum, nomine Sanctae Mariae Cryptoferratae decoratum, de apostolicae potestatis plenitudine extollit, erigit et constituit, et Monachis Basilianis ritus byzantini concreditum Sibi et Sanctae Sedi immediate subicit subiectamque declarat.

Determinatis deinde territorii novae Abbatiae *nullius* finibus, statuitur ut Abbas sit Archimandrita pro tempore Congregationis Italicae Monachorum Basilianorum. Abbas autem Cryptoferratensis die 18 decembris eiusdem anni 1937 nominatus est R. P. Archimandrita Isidorus Croce. Limites vero plane iidem sunt quibus decretum *Quanta Romanorum* S. C. pro Ecclesia Orientali die 19 maii 1929 editum circumscripserat paroeciam ritus byzantini cum nomine Sanctae Mariae de Gratiis in ecclesia Abbatiali iam pridem erectam. *AAS* XXII (1930), p. 134-137; *Periodica* XIX (1930), p. 222.

Cum porro territorium Abbatiae Cryptoferratensis in plures paroecias divisum non sit, sed unam tantum paroe-

ciam constituat, canon autem C. I. C. 319 § 2, praescribat ut Abbatia vel Praelatura *nullius* tribus saltem paroeciis non constans, singulari iure regatur, neve ei applicentur quae canones statuunt de Abbatiis vel Praelaturis *nullius*, secundum ius commune tribuenda non erant novae Abbatiae iura, privilegia, honores et potestates quibus Abbatiae *nullius* earumque praesules per orbem frui solent; haec nihilominus, una cum suetis officiis et oneribus, ex gratia peculiari illi conceduntur.

Quod vero ad iura et onera paroeciae Sanctae Mariae a Gratiis ritus byzantini pertinet, nihil est innovandum sed firma manent ea quae decreto *Quanta Romanorum* statuta sunt. Hoc decretum, memoratis prius decretis antiquioribus quibus a cura paroeciali Abbatiae Cryptoferratensis seiuncti erant fideles ritus latini, ipsam nihilo secius paroeciam ritus byzantini exsistere usque declarat ad omnes iuris effectus; eandem vero clericis et fidelibus dumtaxat, qui sive ex Italia, sive ex continenti Albania oriundi, ritui graeco seu byzantino legitime adscripti vel eum ratione vitae communis sequentes, in praedicta Abbatia domicilium vel quasi domicilium, vel, ratione famulatus aut alia legitima causa, a sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali cognoscenda, commorationem tantum habeant aut in posterum sint habituri, constare decernit.

Ortum, progressum vicissitudinesque Congregationis Monachorum Basilianorum S. Nili seu Cryptoferratensis usque ad annum 1932 narratas reperies in *Statistica con Cenni storici della Gerarchia e dei Fedeli di Rito Orientale*, Roma, 1932, p. 319-323.

H.

29 - SS. D. N. Pius Pp. XI
Motu proprio 25 mart. 1938

DE IURISDICTIONE SACRAE CONGREGATIONIS
PRO ECCLESIA ORIENTALI
(*AAS* xxx [10 maii 1938] p. 154 ss)

PIUS PP. XI

Sancta Dei Ecclesia, quamvis inde a primo christiani nominis saeculo ex Orientis et Occidentis fidelibus coaluerit, una tamen omnino est; atque adeo Romani Pontifices, quippe Beati Petri Apostolorum Principis successores, cui Christus Dominus pascendi universi gregis auctoritatem concredidit, summam de orientalibus etiam christifidelibus curam nullo non tempore egerunt, ut iidem et integram fidem, et firmam disciplinam, et florentem etiam pietatem divinumque cultum retinerent; ideoque maiorem cotidie prosperitatem amplitudinemque adipiscerentur.

Quodsi per temporis decursum haereses, schismata ac frequentissimae diuturnaeque infidelium incursiones dominationesque ita Orientalis Ecclesiae populos divexarunt ac fere penitus prostravere, ut mirari liceat quod christianae vitae mores, etsi interdum ad extremum adducti, adhuc tamen superstites evadant; itemque si nonnulli, nimio unitatis concordiaeque amore compulsi, cum non satis Orientalium res atque indolem cognoscerent, vel sacros eorum ritus corrumpere vel eos ad latinos ritus redigere enisi sunt, at Romani Pontifices, decessores Nostri, hisce nisibus pro facultate, nullisque parcendo laboribus, obstiterunt. Iis siquidem curae fuit haereticorum et schismaticorum retundere audaciam, strenuos fidei unitatisque athletas omni ope iuvare, incertos confirmare nutantesque animos, ac seiunctos fratres et filios cum Sua Ipsorum voce tum per legatos

ac missionales suos ad unum Iesu Christi ovile assidue revocare. Parique modo nihil reliqui fecerunt, ut quae Principum incuriâ atque discordiâ quam latissime inundarent vastatrices colluviones, eas viribus omnibus compescerent atque repellerent.

Cum vero Summi Pontifices certiores facti sunt quosdam eo contendere, vel ut Orientales a suis ritibus averterent, vel ut peculiare quiddam in iisdem immutarent, non opportuno haec tentamina improbarunt, atque eorumdem rituum integritatem sartam tectamque servare voluerunt. Romanis enim Pontificibus mens est liturgicam rerum varietatem, quae ex peculiari populorum ingenio atque indole invecta est, non modo sanctae fidei divinique cultus unitati non repugnare, sed eam potius commendatione ac laudibus exornare; quandoquidem ex hoc capite facile eruitur unam eamdemque catholicam religionem et omnium vel diversarum gentium naturae ac moribus respondere optime, et uberrimos variaque pulchritudine distinctos edere fructus. Huc accedit quod singuli unius cuiusque liturgiae libri, pro sua ex antiquissimis temporibus integritate, avitam fidem invicte luculenterque testantur, qua veteres Christianitates mysteria et sacramenta, peculiari modo a Novatoribus hodie hostiliter impugnata, amplectebantur, ac religiose venerabantur.

Eiusmodi Summis Pontificibus cura fuit, hoc in rerum ordine, ante Sanctam Tridentinam Synodum. Postea vero, ad res aptius faciliusque expediendas, appositas instituerunt Congregationes; itaque decessor Noster f. r. Gregorius XIII, altero Pontificatus sui anno, eo quidem consilio, ut orientales ritus vel servaret incolumes, vel pro rerum adiunctis in pristinum decus restitueret, itemque ut christifidelium numerum, qui hos eosdem ritus profiterentur, data opera augeret, peculiarem condidit *Congregationem de rebus Graecorum*, quam Clemens VIII in *Congregationem super negotiis Fidei et Religionis Catholicae* immutando transtulit, eidem concredens non modo Ecclesiae Orientalis cu-

ram, sed munus etiam propagandae fidei cum in Occidentis populos, qui ad Novatorum errores declinaverant, tum in eas etiam regiones, quae novissime exploratae fuerant. Itaque, quamvis de speciali Congregatione ageretur, quae postea iure meritoque *Congregatio de Propaganda Fide* nuncupata fuit, idem tamen munus iam sibi demandatum habebat, quod Gregorius XV Generali Congregationi commisit ab se hoc eodem titulo constitutae, id est « praesidendi missionibus omnibus ad praedicandum et docendum Evangelium et catholicam doctrinam »; atque adeo in novam Congregationem confluxit, ab eodem Gregorio XV conditam.

Quae Sacra Congregatio ex eo tempore unum fuit atque unicum Officium Pontificium Missionibus usque quaque provehendis. Attamen, peculiari condicione iuridica perspecta Orientalium Catholicorum, qui sub Turcarum dominatione versabantur; itemque haud mediocri diversitate perpensa suae ipsorum liturgiae ac disciplinae, facile paulo post necessitas in comperto fuit, demandandi scilicet peculiaribus Congregationibus, quae in Generalis Congregationis gremio *de Propaganda fide* coaluerant, graviorum negotiorum expeditionem, quae ad easdem gentes pertinerent. Quapropter Urbanus VIII Congregationem instituit *super dubiis Orientalium,* atque alteram *super correctione Euchologii Graecorum;* iisdem vero agendi rationibus Pontifices usi sunt usque ad decessorem Nostrorum f. m. Pium IX, praeter tamen Clementem XI, qui, cum Euchologii emendationem perficere vellet, ac ceteros omnes Orientalium liturgicos libros recognoscere, Congregationem excitavit « *super correctione librorum Ecclesiae Orientalis* », utpote stabilem Congregationem, a Sacro Consilio *de Propaganda fide* seiunctam.

Iamvero, decessor Noster, quem supra memoravimus, Pius IX eo consilio permotus, ut id genus causa, pro diuturno rerum usu atque experimento, firmiore aptioreque ratione ordinaretur, novam condidit Congregationem a S. C. *de Propaganda fide* distinctam. Novo huic Sacro Consilio

cui titulus inditus fuit *S. C. de Propaganda fide pro Negotiis Ritus Orientalis,* pertractare curae erat « omnia Orientalium negotia, etiamsi mixta, quae scilicet sive rei, sive personarum ratione Latinos attingerent ». Quae quidem Congregatio, quamvis proprio frueretur Secretario proprioque Secretariae officio, eidem tamen, ac S. Congregatio *de Propaganda fide,* Praefecto subiiciebatur, cuius idcirco erat utriusque Congregationis operam disponere atque digerere, cum res ad eamdem regionem pertinerent. Quoniam vero S. Congregationi *de Propaganda fide* obnoxia erat, eiusque titulum retinebat, nonnullis, etsi non recte, videbatur veluti quoddam eiusdem Congregationis supplementum; atque adeo Catholici Orientales Latinis subiecti videbantur et quasi infidelibus haereticisque Occidentis exaequati.

Quamobrem decessor Noster p. r. Benedictus XV, cum optaret ut vel species evanesceret contumeliosae huius suspicionis, Apostolicis Litteris *Dei Providentis* (1) Motu Proprio datis die 1 mensis Maii, anno MDCCCCXVII, *Sacram Congregationem* instituit *Pro Ecclesia Orientali,* a S. C. *de Propaganda fide* omnino seiunctam. Cui quidem novae Congregationi, ut peculiarem suam Orientalibus Christianitatibus benevolentiam ac curam testaretur, ipsum Romanum Pontificem praesidere voluit eidemque facultates omnes attribuit, « quas aliae Congregationes pro Ecclesiis ritus latini obtinent, salvo tamen iure Congregationis S. Officii ». Verumtamen attributas facultates conclusit atque contraxit « ad negotia, quae sive ad personas, sive ad disciplinam, sive ad ritus Ecclesiarum Orientalium referuntur, etiamsi mixta, quae scilicet sive rei, sive personarum ratione, Latinos quoque attingant »; ita ut Latini, qui in Christiani Orientis regionibus commorantur, Sacrae Congregationi *de Propaganda fide* subiecti adhuc essent.

Qua posita iurisdictionis duplicitate, perdifficile prorsus erat validam eam assequi regiminis unitatem expedi-

(1) *Acta Ap. Sedis,* vol. IX, p. 529 sq.

tamque negotiorum administrationem, quae omnino requiruntur, ut et quantocius diversitates dissensionesque dilabantur, quae inter fideles dissimilium rituum absimilisque disciplinae facile oriuntur, et apostolatus caritatisque opera, quae praesertim ad Actionem Catholicam attinent, efficientius usque ordinentur ac promoveantur, et catholicorum denique vires omnes in unum coëant ac coalescant, quemadmodum praesentium rerum adiuncta procul dubio postulant, nedum consulant.

Nos igitur, cum vehementer exoptemus, ut insignia illa beneficia, quae perfecta unitas ac peculiaris regiminis ratio suapte naturâ inducunt, dilectissimis Orientis Ecclesiis tuta pro facultate servemus, postquam rem diu multumque Nobiscum consideravimus, ac supplices Deo Nostras adhibuimus preces, Motu Proprio, certa scientia, ac de apostolicae plenitudine potestatis, haec omnia, quae sequuntur, decernimus atque statuimus:

I - Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali, cui praeest ipse Romanus Pontifex, plenam et exclusivam iurisdictionem habet in regionibus quae sequuntur: in Aegypto et in peninsula Sinaitica, in Erythraea et in parte septentrionali Aethiopiae, in Albania australi, Bulgaria, Cypro, Graecia, Dodecaneso, Iran, Iraq, Libano, Palaestina, Syria, Transjordania, asiatica Turcarum republica et in Thracia Turcarum dicioni subiecta.

II - Quare in praefatis regionibus non solum pro fidelibus ritus orientalis, sed etiam pro fidelibus latini ritus eorumque hierarchia, operibus, institutis, piis societatibus, eadem Sacra Congregatio omnibus facultatibus potitur, quas aliae Congregationes pro fidelibus ritus latini extra illa territoria obtinent, incolumi tamen iure Congregationis S. Officii, ac integris manentibus quae huc usque reservata sunt S. Congregationi de disciplina Sacramentorum, S. Congregationi Sacrorum Rituum, S. Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus ac Sacrae Paenitentiariae.

III - Quoad fideles ritus orientalis, extra praefatas regiones commorantes, firma manet in omnibus Sacrae Con-

gregationis pro Ecclesia Orientali competentia. Quare ei reservantur omnia cuiusque generis negotia, quae sive ad personas, sive ad disciplinam, sive ad ritum orientalem referuntur, etiamsi sint mixta, quae scilicet sive rei sive personarum ratione Latinos quoque attingant; eique pro his fidelibus omnes facultates attributae sunt, quae ad alias Congregationes pro fidelibus ritus latini pertinent, salvo semper iure Congregationis S. Officii et integris manentibus quae huc usque reservata sunt S. Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus et Sacrae Paenitentiariae.

IV - Haec Sacra Congregatio controversias dirimit via disciplinari; quas vero ordine iudiciario dirimendas iudicaverit, ad tribunal remittet quod ipsa Congregatio designaverit.

V - Christiani Orientis regiones, quas supra memoravimus, in exclusivam *S. Congregationis pro Ecclesia Orientali* iurisdictionem gradatim devenient, temporibus nempe, quae infra singillatim designamus:

a) die prima mensis Iunii, anno MDCCCCXXXVIII, in exclusivam Sacrae huius Congregationis iurisdictionem transibunt Palaestina, Transjordania, Aegyptus, Peninsula Sinaitica et Cyprus;

b) die prima mensis Ianuarii, anno MDCCCCXXXIX, Graecia, Dodecanesus, australis Albania, Bulgaria, asiatica Turcarum respublica et Thracia Turcarum dicioni subiecta;

c) die prima mensis Iunii, anno MDCCCCXXXIX, Syria, Libanus, Iraq et Iran.

VI - A die, quo praesentes Apostolicae Litterae Motu Proprio datae promulgabuntur, ad diem usque, quo singulae regiones in exclusivam *S. Congregationis pro Ecclesia Orientali* iurisdictionem devenient, nullum opus nullumque institutum condi poterit, neque ulla rerum condicionibus immutatio fieri, quin antea consensio intercesserit S. Congregationis pro Ecclesia Orientali.

VII - Cum Christiani Orientis regiones in exclusivam

S. Congregationis pro Ecclesia Orientali iurisdictionem devenerint, documenta, quae ad easdem regiones spectant, quaeque in Tabulario *S. Congregationis de Propaganda fide* asservantur, Tabulario S. Congregationis Orientali Ecclesiae praepositae demandanda ac tradenda sunt, prout res fieri poterit, atque ex mutuo utriusque Officii moderatorum consensu.

VIII - *Sacra Congregatio de Propaganda fide* omnia pecuniae capita, quae operibus atque institutis earum regionum destinantur, quae exclusivae *S. Congregationis pro Ecclesia Orientali* iurisdictioni attributae sunt, eidem Sacrae Congregationi transmittet. Quodsi distincta eiusmodi pecuniae capita non exsistant, *Sacra Congregatio de Propaganda fide* tantum reditus constituat ex aere proprio, quantum universam subsidiorum summam exaequet, cum ordinariorum, tum extraordinariorum, quam eadem Sacra Congregatio quotannis ad has regiones pro suis cuiusque operibus atque institutis mittere solebat. Extraordinaria autem subsidia ex media quantitate pecuniae designanda sunt quae superiore triennio, hoc est annis MDCCCCXXXV-MDCCCCXXXVI-MDCCCCXXXVII, ad has easdem regiones quotannis missa fuit.

IX - *Pontificium Opus a Propagatione Fidei* eam summam quotannis reddet *Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali,* quae comparationem proportionemque immutatam servet inter universam subsidiorum summam, cum ordinariorum, tum extraordinariorum, quae postremo triennio, ut supra diximus, in Orientalium ac Latinorum causam pro iisdem regionibus erogata sunt, ac proventuum redituumque summam, quam memoratum Pontificium Opus eodem triennio coacervavit.

X - *Pontificium Opus a S. Petro Apostolo pro Clero Indigena* quotannis *Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali* eam summam transmittet, quae duas centesimas partes exaequet omnium redituum ac proventuum eiusdem Pontificii Operis.

XI - Substitutus *Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali* ex iure Consilium Generale Superius participat Pontificiorum Operum a Propagatione Fidei et a S. Petro Apostolo pro Clero Indigena.

Quae autem heic a Nobis statuta sunt, ea firma ac valida in perpetuum esse volumus ac iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus, etiam peculiarissima mentione dignis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXV mensis Martii in festo Annuntiationis B. M. Virginis, anno MDCCCCXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo septimo.

PIUS PP. XI

Annotationes

Litterae Apostolicae « Sancta Dei Ecclesia » Motu Proprio die 25 martii datae, prae primis palam ostendunt quantam sollicitudinem habeat Ecclesia erga fideles ritus orientalis et qua benevolentia Sancta Sedes et nominatim Romanus Pontifex Pius XI eos prosequatur.

Duabus veluti partibus constat documentum, quarum prior et summam rerum gestarum a RR. Pontificibus erga orientales proponit et historiam refert S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, quae, ut nunc iacet, a Benedicto XV, die 1 mensis mai 1917, constituta fuit. Secunda vero innovationes continet, quae Motu Proprio inducuntur.

Hactenus nullum erat territorium S. Congregationi pro Ecclesia Orientali plane subiectum, et fideles qui sub eius dicione erant, potius ratione loci quam ratione ritus eidem subiciebantur. Quapropter, quamvis pro orientalibus amplissimis potiretur facultatibus, nullam habebat per se iurisdictionem in latinos in regionibus orientalibus commorantes.

Novo tamen Motu Proprio penitus subiciuntur S. Con-

gregationi pro Ecclesia Orientali regionis sequentes: Aegyptus, peninsula Sinaitica, Erythraea, pars septentrionalis Aethiopiae, Albania australis, Bulgaria, Cyprus, Graecia, Dodecanesus, Iran, Iraq, Libanus, Palaestina, Syria, Transiordania, Asiatica Turcarum respublica et Thracia eorundem Turcarum dicioni subiecta, in quibus plenam et exclusivam iurisdictionem habebit. Quare a tempore quo Litterae Apostolicae « Sancta Dei Ecclesia » vim suam exserent (diversi enim dies pro diversis regionibus assignantur, ut in nº v videre est), fideles omnes ritus latini, in praefatis regionibus commorantes, qui antea sub potestate erant S. Congregationis de Propaganda Fide, eorumdemque hierarchia, opera, instituta et piae societates in dictionem venient S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, pro quibus, non secus ac pro orientalibus, iisdem omnino facultatibus gaudet, quas aliae Congregationes pro Ecclesiis ritus latini obtinent, illis exceptis casibus de quibus mox loquemur.

Unde ex quo nova lex suos habebit effectus, fideles ritus latini qui in his versantur regionibus, pariter ac orientales omnes, pro omnibus negotiis cuiuslibet generis, unam S. Congregationem pro Ecclesia Orientali adire debebunt, *nisi de his agatur quae aliis Congregationibus reservantur.*

Hanc addidimus exceptionem, quia expresse dicitur in Motu Proprio « incolumi tamen iure Congregationis S. Officii, ac integris manentibus quae huc usque reservata sunt S. Congregationi de disciplina Sacramentorum, S. Congregationi Sacrorum Rituum, S. Congregationi de Seminariis et Universitatibus ac Sacrae Poenitentiariae ».

Iam vero, causae seu negotia quae his dicasteriis Curiae Romanae reservantur, utpote exclusivam competentiam habentibus, sunt quae sequuntur:

1º - S. Congregationi Sancti Officii reservantur: *a*) causae omnes circa fidem et mores; *b*) negotium totum de inquisitione et damnatione librorum et de licentia ad libros prohibitos legendos concedenda; *c*) ea quae, sive directe sive indirecte, in iure aut in facto, circa privilegium

Paulinum et matrimonii impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur; necnon facultas dispensandi in hisce impedimentis; *d*) tandem illa omnia quae ieiunium eucharisticum pro sacerdotibus Missam celebrantibus respiciunt [1].

2° - S. Rituum Congregatio per seipsam agit quae ad beatificationem et canonizationem Servorum Dei vel ad sacras reliquias quovis modo referuntur [2].

3° - Canonica erectio et suprema moderatio cuiusvis Universitatis et facultatis studiorum spectat ad S. Congregationem de Seminariis et Universitatibus [3].

4° - Sacra Poenitentiaria quaestiones conscientiae excutit et dirimit. Ad eam praeterea orientales recurrere debent in his quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt, ad norman can. 258 § 1 [4].

Cum eiusdem denique sit de omnibus iudicare quae spectant ad usum et concessionem indulgentiarum, fideles orientales cuiusque ritus ex declaratione S. Congregationis pro Eccelsia Orientali in his quae indulgentias attinent ad hoc Sacrum Tribunal confugere debent [5].

Momentum Litterarum Apostolicarum « Sancta Dei Ecclesia » nemo est qui non videat; per eas enim instauratur unitas iurisdictionis in praefatis regionibus, atque inde maior efficacia maiorque uniformitas procul dubio sequetur.

C. Mazón, S. I.

---

(1) Can. 247.
(2) Can. 253.
(3) Const. *Deus scientiarum Dominus*, Tit. I, art. 4.
(4) S. Congregatio pro Ecclesia Orientali, 26 iulii 1930, *AAS*, vol XXII (1930), p. 394.
(5) S. Congregatio pro Ecclesia Orientali, 21 iulii 1935, *AAS*, vol. XXVII (1935), p. 379.

30 - SS. D. N. Pius Pp. XI
Sacrum Consistorium habitum die 31 martii 1938

CONSISTORIUM SEMIPUBLICUM DE CANONIZATIONE BEATI ANDREAE BOBOLA, MARTYRIS ET BEATORUM IOANNIS LEONARDI ET SALVATORIS AB HORTA, CONFESSORUM.

(*AAS* xxx [10 aprilis 1938] p. 117 s)

Feria V, die 31 Martii anno MCMXXXVIII, in consueta aula Palatii Apostolici Vaticani, *Consistorium semipublicum* habitum est, in quo Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XI tam Reverendissimorum Patrum Cardinalium, quam Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum, itemque Praelatorum seu Abbatum *nullius,* quibus ius est, suffragia excepit pro futura canonizatione Beati Andreae Bobola, martyris, sacerdotis professi Societatis Iesu, Beati Ioannis Leonardi, confessoris sacerdotis, fundatoris Congregationis Clericorum regularium a Matre Dei et Beati Salvatoris ab Horta, confessoris, laici professi Ordinis Fratrum Minorum.

Suffragia excepturus Beatissimus Pater haec praefatus est:

VENERABILES FRATRES

Causam, de qua hodierno die hac in aulae maiestate vobiscum consultandum est, putamus vobis esse omnino perspectam. Postquam enim res tota a Supremo Consilio sacris ritibus tuendis iusta trutina, ut assolet, examinata ac probata fuit, recens Consistoria duo, alterum secretum, publicum alterum, hac super eadem re habita sunt. Vobis praeterea reddendos iussimus legitimos commentarios, in quibus horum Beatorum Caelitum Andreae Bobolae, sacerdotis Soc. Iesu, Ioannis Leonardi, Congregationis Clericorum Regularium a Matre Dei conditoris et Salvatoris ab Horta, laici professi Ordinis Fratrum Minorum curriculum vitae egregie gesta ac patrata a Deo eorum deprecatione miracula, etsi presse, diligenter tamen describuntur.

Nunc agitur, ut nostis, de pronuntianda consecrandaque sollemni Apostolicae Sedis ritu eorum sanctitate, ita ut

christiani omnes eos venerari teneantur utpote consummatae virtutis exempla, sibi ad imitandum proposita. Iamvero, quamquam, ut pro certo habemus, hoc in iudicio ferendo, quod cum inerranti Summi Pontificis magisterio tam arcte coniungitur, defutura Nobis non est divinae opis promissio, cupimus tamen vestram quoque Nobis suffragari prudentiam: faveatis igitur quid singuli sentiatis, alius ex alio, consultissime Nobis aperire.

Exceptis praesentium suffragiis, Sanctissimus Dominus Noster haec addidit verba:

Vestram cum Nostra convenire sententiam grato animo cernimus. Deliberatum igitur Nobis est proxime, die scilicet sollemni Paschatis, in Petriana Basilica triplicem una simul consecrationem rite peragere. Interea vero Deum Nobiscum rogare ne cessetis, ut id laboranti Ecclesiae, iis potissimum populis, qui novo afficientur decore, faustum, felix fortunatumque sit.

Tum, obtenta venia Summi Pontificis, Praefectus Caeremoniarum Apostolicarum Protonotarios Apostolicos adstantes consueta forma rogavit, ut publicum actorum instrumentum conficerent. Cui Ill.mus et Rev.mus D. Alfridus Vitali, ex adstantibus senior, nomine ceterorum respondit: « Conficiemus » et conversus ad Cubicularios de numero qui stabant circa Solium, eosdem in testes appellans, addidit: « Vobis testibus ».

31 - SS. D. N. Pius Pp. XI
Canonizationes 17 april. 1938

BB. ANDREAE BOBOLA MARTYRIS SACERDOTIS SOC. IESU, IOANNIS LEONARDI CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM A MATRE DEI CONDITORIS ET SALVATORIS AB HORTA LAICI PROFESSI ORDINIS FRATRUM MINORUM.

(*AAS* XXX [10 maii 1938] p. 149 ss.)

Ad postulationem instanter *factam per Advocatum Sacri Consistorii Augustum Milani a viro Eminentissimo Ca-*

millo Laurenti, Cardinali Praefecto Sacrorum Rituum Congregationi, R. P. D. Antonius Bacci, Secretarius Litterarum ad Principes, nomine Sanctitatis Suae, ita respondit:

I. Dum innumeris lychnis Petriana moles resplendet, ac fulgens eius tholus stellantis caeli imaginem refert, dumque omnes, quotquot adsumus, desiderio aestuamus faustissimi, qui iam instat, eventus, idem votum procul dubio pulsat Augusti Pontificis animum. Percupit Ipse scilicet, petitioni vestrae concedens, tribus caelitibus, quorum causam agitis, auctoritate nutuque Dei, summos decernere sanctitatis honores. Si enim nullo non tempore sanctimoniae nitor inconsutilem Catholicae Ecclesiae vestem decorat, ex eodemque, quasi insignitâ notâ, vera dignoscitur religio, at nostra hac aetate praeclara haec, quae in suam proferentur lucem, virtutum omnium exempla peculiarem quamdam habere videntur ad adhortandos alliciendosque homines opportunitatem. Siquidem, cum tam multi hodie discupiant — caeli immemores sempiternaeque beatitatis — ingurgitare sese in praesentis huius vitae suavitates voluptatisque illecebras, eos edocet Franciscalis assecla, Salvator ab Horta, paupertatis studium, angelicum animi candorem, ac voluntarios insontis sui corporis cruciatus; cum late usque quaque serpat iners caelestium veritatum neglegentia christianorumque officiorum fastidium quoddam, Ioannes Leonardius ad catholicae doctrinae praecepta religiose observanda, ad sanctam morum integritatem alacrius usque assequendam, ad dilatandum denique Iesu Christi Regnum compellat omnes; cum vero, caritate posthabita, vulgo homines « quae sua sunt quaerant », (1) suaque commoda utilitatesque unice spectantes, de proximorum salute nihil pensi habeant, Andreas Bobola, indefatigabilis ille militantis Ecclesiae athleta ac martyr invictus, ad arduum ingrediendum virtutis iter, et ad apostolicos — suo etiam profuso sanguine — exantlandos labores, torpentes animos in-

(1) Cf. Philip. II, 21.

vitat. Verumtamen Sanctitas Sua, cum tanti ponderis causa agatur, vult secum omnes Deo esse supplices, patrocinio interposito Deiparae Virginis totiusque Curiae caelestis, ut supernae lucis copia Suae menti affulgeat.

Post cantatas Sanctorum Litanias, ad iteratam instantius *postulationem idem Rev.mus Dominus respondit*:

II. Approperat utique quod catholici orbis vota praestolantur. Attamen, ut omnia tralaticio more, a maioribus accepto, rite perficiantur, vult Sanctitas Sua paululum adhuc temporis interponere, dum per usitatum hymnum Paraclytus Spiritus supplici prece invocetur.

Ad haec, praecinente Beatissimo Patre, hymnus Veni Creator Spiritus, *cum congrua oratione successit*: *quo expleto, tertiam* instantissimam *postulationem haec excepit eiusdem Rev.mi Domini responsio*:

III. Iam nunc, intento animo demissaque fronte, Petri per Pium loquentis oraculum auditote. Arcanae lucis fulgor, e supernis sedibus illapsus, Summi Pontificis mentem percellit atque collustrat. Gaudent caelestium chori; Hispania, Polonia, Italia laetantur novo sanctitatis lumine decoratae; ac militans Ecclesia exsultat, cui, in tanto rerum discrimine, validissimis apud Deum deprecatoribus frui licet.

Tum Beatissimus Pater, omnibus aperto capite surgentibus, Ipse in Cathedra sedens mitramque gestans, de plenitudine Apostolici ministerii, sollemniter sic pronunciavit:

Ad honorem Sanctae, et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio; Beatos ANDREAM BOBOLA

Martyrem, Ioannem Leonardi et Salvatorem ab Horta, Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illorum memoriam quolibet anno die eorum natali, nempe Andreae Bobola die decimasexta Maii, inter Sanctos Martyres, Ioannis Leonardi die nona Octobris, et Salvatoris ab Horta die decimaoctava Martii, inter Sanctos Confessores non pontifices pia devotione recoli debere. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

In sollemni vero Missa haec fuit

HOMILIA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII,

« Haec est dies, quam fecit Dominus: exsultemus et laetemur in ea ». (1) Hodie Christus Dominus, devicta morte, aeternitatis nobis aditum reseravit; hodie militans Ecclesia triumphantis Ecclesiae gaudia effusiore laetitia participat, quod tres e suis civibus, divini Redemptoris vestigia secuti, sanctitudinis sempiternaeque beatitatis compotes inerranti iudicio consecrantur.

Quibus in caelicolis id revera effectum datur, quod decessor Noster sanctae recordationis Leo Magnus adhortando animadvertit: « Quo processit gloria Capitis, eo spes vocatur et corporis ». (2) Eo scilicet omnes invitamur atque compellimur, quo nos Magister noster Christus voce exemploque suo vocavit, ad supernam nempe patriam, quasi per aspera ad astra gradientes, feliciter assequendam. Quodsi per terrestrem hanc peregrinationem difficultates omne genus eluctari atque evincere oportet, quandoquidem « Regnum caelorum vim patitur », (3) neque « coronatur, nisi

(1) Ps. CXVII.
(2) S. Leo M., *Sermo I de Ascens. Domini.*
(3) Matth., XI, 12.

qui legitime certaverit », (1) at praeclara eorum exempla, quos hodie licuit sanctimoniae decore honestare, ut spem nostram erigunt, ita nobis invitamento auxilioque sunt: « Venite, ascendamus ad montem Domini ». (2)

Quapropter opportunum est eorum virtutum laudes, etsi breviter edisserendo, recolere, ut ad eorum egregie gesta pro viribus imitanda incendamur. Ad christianae humilitatis studium, ad terrenarum rerum contemptum, ad voluntariam denique corporis castigationem nos adhortatur omnes Salvator ab Horta, cui, cum quoslibet sensuum motus superioribus animi facultatibus subiecisset, ipsumque animum divinae legi, ita Iesu Christi imaginem suis moribus expressit, ut innumeras multitudines sanctitudinis splendore rerumque miraculis alliciens, ad meliorem ducendae vitae rationem, Ecclesiae nimirum praeceptis consentaneam, omni ope reduceret. Quot enim ex omni ordine cives, ad eum undeunde confluentes, cum supernae lucis fulgorem ex eius vultu radiantem conspicerent, cum incensum audirent eius alloquium, ac flagrantem Dei proximorumque caritatem eius intuerentur, ad sanctissima eius vestigia sequenda veluti rapiebantur.

Qui vero « venator animarum » iure meritoque appellatus est, Andreas Bobola sacerdos Soc. Iesu, actuosum divini Regni dilatandi studium nos edocet; ac martyr invictus enervatos nostrorum temporum homines ad fortitudinem compellat et ad quoslibet Dei Ecclesiaeque causa tolerandos labores, secundum illud « magna facere ac perpeti, christianum est ». Is enim a Cosacis Janoviae captus, quod schismaticorum errores refelleret ac catholicam, summo cum fructu, praedicaret fidem, flagris caesus est, aspera ad Iesu Christi modum redimitus corona, alapis graviter percussus, ac falcato ense vulneratus iacuit. Mox ei oculus evulsus dexter, pellis variis partibus detracta, atque atrociter subusta vulnera, hispidoque stramento defricata. Nec

(1) Cf. II Tim., II, 5.
(2) Mich., IV, 2.

satis; nam aures ei, nares ac labia resecta sunt, lingua retrorsum ex occipitio abstracta, subula denique in cor defixa: ac tandem aliquando strenuus athleta, hora tertia post meridiem, mirandum sane praebens fortitudinis spectaculum, gladio confossus, martyrii gloriam consecutus est.

Nec leviora nobis virtutis documenta praestat Ioannes Leonardius, Congregationis conditor Clericorum Regularium a Matre Dei. Quin immo, etsi non omnibus facultas officiumque est, pro suis cuiusque rerum adiunctis, Andreae Bobola strenuitatem animi ad vitae usque iacturam imitari, omnes tamen possumus Ioannis Leonardi integritatis candorem, eius precationis sanctae paenitentiaeque amorem, itemque impensum apostolatus studium aemulari. Quibus virtutibus enitens, non modo ipsemet summum attigit christianae perfectionis fastigium, sed ceteros etiam, vel devios ad rectum iter revocavit, vel in incertum aestuantes ad securitatis portum reduxit, vel denique — e cleri praesertim ordine bene multos — ita pietate divinoque ardore incitavit, ut, rebus omnibus posthabitis, nihil magis optarent, quam ut, Evangelii praecones effecti, gentes omnes, in umbra mortis iacentes, Iesu Christi luce ac gratia recrearent.

Tribus in his caelitibus peculiaris videtur Nobis Providentissimus Deus benevolentiae dedisse pignus; quandoquidem iidem populis in praesens tanto rerum discrimine perturbatis — novam Ecclesiae portendunt meliorum temporum spem. Quorum caelitum alterum, Poloniae decus, christiani Orientis et Occidentis unitatem suis precibus imploraturum confidimus, in cuius finibus ipse martyrii palmam promeruit; alterum catholicae Hispaniae — pace tandem concordiaque redintegrata — vigentiora christianae vitae opera conciliaturum; alterum denique sacris Missionalium expeditionibus uberiora usque incrementa deprecaturum, quas ipsemet indefatigabili studio suasit atque provexit.

Benignissime iidem patriam quisque suam respiciant;

suaque tutela efficiant ut — errorum colluvione prohibita, quae ima Civitatis fundamenta subruens atque corrumpens, populos in barbariam veterem detrudere conatur — nostra quoque aetate eaedem Nationes validissima exstent catholicae religionis civilisque cultus propugnacula. Itemque Ecclesiam universam benevolenti vultu respiciant, atque una simul comprecando a Deo impetrent, ut eius ductu e praesentibus tempestatibus victrix emergens, novos agat triumphos, omnesque gentes ad unum Iesu Christi ovile feliciter reducat. Amen.

18 - Sacra Congregatio de Prop. Fide
Elenchus recognitus favorum spiritualium membris Piae Unionis Cleri pro Missionibus concessorum *

Commentarium in Favores Spirituales piae Unionis Cleri pro Missionibus

(*Continuatur*)

DE FACULTATIBUS RESERVATIS SEU ALTERIUS SECTIONIS

35. Inprimis recolere iuvat nos facultates alterius sectionis appellasse reservatas, quia omnibus quidem missionariis competunt, qui nunc sunt vel prius fuerunt in territorio missionum (supra n. 4), sed non omnibus sodalibus unionis missionalis cleri. Soli enim sodales iis fruuntur, qui iam ante diem 1 aprilis 1933 sacerdotes fuerunt, eidem unioni adhaeserunt, approbationem ad sacramentales confessiones audiendas potiti sunt, excepto favore altaris privilegiati, pro quo talis approbatio non requiritur (supra n. 2). Aliis verbis, ii tantum sodales pergunt frui usu harum facultatum, qui eum iam ante diem 1 aprilis *actu* habebant;

* Ipsum elenchum vide p. 138-140.

oportet igitur, ut iam tunc eaedem tres condiciones impletae fuerint, quae etiam nunc necessariae sunt ad actualem usum istarum facultatum, nempe sacerdotium, receptio in unionem missionalem cleri, approbatio ad confessiones audiendas; unicus favor altaris privilegiati neque tunc neque nunc requirit approbationem ad confessiones audiendas. Modo accedamus ad explicandas facultates hoc modo reservatas.

§ 5. *De facultate applicandi indulgentias apostolicas*

36. Praefati igitur sacerdotes (n. 35), ad sacramentales confessiones audiendas approbati, facultate fruuntur « benedicendi, extra Urbem, unico crucis signo, coronas, rosaria, cruces, crucifixos, numismata et parvas statuas cum applicatione indulgentiarum apostolicarum ». Comprehenduntur autem hic coronae et rosaria quaelibet seu cuiusvis generis (*S. C. Indulg.*, n. 161 ad 1).

37. Ritus est hic. Sacerdotes « unico crucis signo utantur, nulla adhibita formula, nullis vestibus sacris, absque aliis caeremoniis ». Istud signum crucis non est toties iterandum, quot sunt diversa genera rerum benedicendarum (v. g., rosaria, numismata) aut indulgentiarum applicandarum (v. g., apostolicarum, Crucigerorum), exceptis utique numismatibus scapularium, ut supra num. 31 (*S. Off.*, 18 maii 1914, *AAS* VI (1914) p. 346; *Periodica* VIII (1919) p. 202). Hinc sacerdos, munitus pluribus facultatibus, quarum tamen nulla peculiarem formulam requirit, diversa pietatis obiecta unico crucis signo, vigore diversarum facultatum, indulgentiis potest ditare; v. g., si benedicenda sunt rosaria indulgentiis apostolicis et Crucigerorum, crucifixi cum indulgentiis apostolicis, tum indulgentiis Viae Crucis et indulgentia in articulo mortis acquirenda, *sufficit*, debita cum intentione, *unicum* signum crucis super haec omnia manu efformare, nihil dicendo. Monet MOCCHEGIANI (*Collectio Indulgentiarum* n. 632): « Advertendum est, praefatum signum

crucis debere esse revera tale, non motum quemcumque manus, ut interdum videre accidit, ne ita faciendo periculo nullitatis exponatur ipsa benedictio cum amissione indulgentiarum ».

38. Indulgentiae apostolicae seu papales sunt eae, quas Summus Pontifex applicat rebus in n. 36 enumeratis, a se vel suo nomine a sacerdote delegato benedictis, et quarum elenchum mox post suam quisque electionem publicat; vigens elenchus indulgentiarum apostolicarum editus est die 17 februarii 1922 (*AAS* XIV (1922) p. 143; *Periodica* XI (1922) p. 39); hic igitur consulendus est, cum hoc loco repeti nequeat. Opus est enim « expressa licentia Sedis Apostolicae, ut typis edere liceat, quovis idiomate... elenchum indulgentiarum apostolicarum » (can. 919 § 2; 1388 § 2). Unde satis erit pauca ad hunc elenchum annotare.

39. « Ut quis valeat indulgentias apostolicas lucrari, necesse est, ut aliquam ex rebus benedictis ab ipso Summo Pontifice, vel a sacerdote facultate praedito, super se deferat aut in domo sua decenter retineat » (monitum 3 praefati elenchi). Lucratur autem *indulgentiam quingentorum dierum,* quoties aliquod ex sequentibus pietatis vel caritatis operibus expleverit, scilicet quoties recitaverit « aliquam ex coronis beatae Mariae Virginis, vel rosarium aut saltem eius tertiam partem, vel divinum officium, vel officium parvum eiusdem beatae Mariae Virginis, vel integrum officium Defunctorum aut saltem vesperas aut nocturnum cum laudibus », vel « *consueverit*... Missae interesse eamve, si fuerit sacerdos, celebrare ». Pro Missae igitur auditione vel celebratione singulis quidem vicibus indulgentia 500 dierum, ut supra, acquiritur, sed requiritur, ut quis saepe Missam frequentet vel celebret, Praeterea *indulgentiam centum dierum* acquirit, quisquis « sive mane sive meridie sive vespere orationem vulgo *Angelus Domini,* tempore autem paschali *Regina caeli* », itemque vespere pro Defunctorum suffragio psalmum *De profundis,* vel, si eum nesciat, *Pater noster* cum *Ave Maria* recitaverit (*Elenchus* cit. n. 3

et 4). Hae autem indulgentiae simul acquiruntur unica operis impletione cum indulgentiis, quae his operibus aliunde adnexae sunt (*S. Paenit.*, 14 iunii 1922, *AAS* XIV (1922) p. 394; *Periodica* XI (1922) p. 125). Indulgentiae igitur pro oratione Angelus Domini vel pro officio Defunctorum vel officio canonico coram Sanctissimo Sacramento persoluto etc. concessae simul acquiruntur cum his indulgentiis apostolicis.

40. Sacerdotes hac facultate praediti, possunt praeterea unico crucis signo (n. 37) coronae S. Michaelis Archangeli seu coronae angelicae applicare indulgentias peculiares (PIUS IX, 4 febr. 1877; BERINGER, *Die Ablässe* I, ed. 15, n. 913). Pariter unico crucis signo (n. 37) applicare valent numismatibus, quae imaginem infantis D. N. Iesu Christi prae se ferunt, indulgentiam 50 dierum, quoties fideles, tale numisma deosculantes, recitaverint invocationem: « Sancte puer Iesu, benedic nos! »; atque plenariam in mortis articulo pro iis, qui tunc istud numisma deosculati sanctissimum nomen Iesu invocaverint et sacramenta, si possint, receperint. *S. Off.* 18 martii 1909. *AAS* I (1909) p. 276; *Periodica* V (1913) p. 1.

§ 6. *De facultate applicandi indulgentias Crucigerorum*

41. Sacerdotes, de quibus in n. 35, ad sacramentales confessiones approbati, gaudent facultate « benedicendi, unico crucis signo (n. 37) coronas iuxta typum rosariorum beatae Mariae Virginis confectas, cum applicatione indulgentiarum, quae a PP. Crucigeris nomen habent ».

42. « Est autem *rosarium* certa precandi formula, qua quindecim angelicarum salutationum decades oratione dominica interiecta distinguimus, et ad earum singulas totidem nostrae reparationis mysteria pia meditatione recolimus » (Lectio IV in festo ss. Rosarii). De eius forma et nomine LEO XIII haec edixit: « Sua rosario genuina forma servetur, ita ut coronae non aliter quam ex quinque aut decem aut quindecim granorum decadibus coalescant: item

ne aliae cuiusvis formae rosarii nomine appellentur » (*Collectanea Prop. Fid.*, n. 2022, § 13). Insuper ne quid forma mutetur, improbatur usus inserendi numismata loco granorum maiorum, quae *Pater noster* designant (*S. Off.*, 13 martii 1909, *AAS* I [1909] p. 465). His igitur rosariis indulgentiae a PP. Crucigeris nuncupatae adnecti possunt. Rosaria enim a PP. Crucigeris non ratione originis appellantur, sed ratione singularis indulgentiae, quam olim ii soli rosariis applicare poterant, donec Pius X aliis sacerdotibus eandem facultatem tribuit.

43. Indulgentia autem PP. Crucigerorum est *quingentorum dierum* pro quolibet *Pater* vel *Ave*, etiam singillatim recitato. Oportet vero rosarium hac indulgentia ditatum manu tenere; at nulla requiritur rosarii recitatio neque ullius mysterii meditatio (*Coll. Prop. Fid.* n. 1616). « Quoties vel causa operis manualis vel propter aliam rationabilem causam oriatur impedimentum, quominus, iuxta praescriptiones, in manibus gestari queant vel corona vel crucifixus, quibus accessit benedictio ad lucrandas indulgentias vel ss.mi rosarii vel Viae Crucis, possunt fideles easdem lucrari, dummodo recitatione, de qua agitur, durante, secum quomodocumque coronam vel crucifixum deferant » (*S. Paenit.* 9 nov. 1933, *AAS* XXV (1933) p. 502; *Collectio Indulgentiarum* p. XVI).

44. Qui utitur rosario indulgentiis tam PP. Dominicanorum quam PP. Crucigerorum ditato, *utrasque* indulgentias simul acquirere valet in mariani dumtaxat rosarii recitatione. Alias autem non cumulantur « indulgentiae, quando christifideles, manu gestantes coronam, ditatam indulgentiis PP. Crucigerorum, recitent orationem dominicam vel angelicam salutationem adnexam alicui orationi vel pio exercitio peculiaribus indulgentiis iam ditato » (PIUS X 12 iunii 1907, *Periodica* III (1911) p. 166); quo in casu igitur fideles *aut* solas indulgentias Crucigerorum *aut* indulgentias peculiares istius exercitii lucrari poterunt, prout malunt (cfr. can. 933).

§ 7. *De facultate benedicendi coronas Septem Dolorum B. M. V.*

45. Sacerdotes ad sacramentales confessiones audiendas approbati, de quibus in n. 35, fruuntur facultate « benedicendi coronas Septem Dolorum beatae Mariae Virginis cum applicatione omnium et singularum indulgentiarum, quas Summi Pontifices eiusmodi coronis impertiti sunt ».

46. In hac benedictione necessario adhibenda est peculiaris formula in *Appendice Ritualis Romani*, Bened. propriae ordinum, num. 9 vel 10 (*S. C. Indulg.*, Decr. auth. n. 401).

47. Consulto in facultate hac includuntur omnes et singulae indugentiae huic coronae adnexae; nam in opere *Raccolta* (pag. 316-317) duae recensentur indulgentiae, quas fideles non lucrantur, nisi adhibita corona a sacerdote Ordinis Servorum beatae Mariae Virginis benedicta; vi autem huius facultatis etiam sodales unionis missionalis cleri easdem indulgentias, seu omnes et singulas hucusque huic coronae concessas applicare valent.

48. Debent autem fideles in recitatione coronae Septem Dolorum de more uti corona benedicta et globulos successive percurrere; at quoties vel causa operis manualis vel propter aliam rationabilem causam oriatur impedimentum, quominus, iuxta praescriptiones, in manibus gestari queat corona benedicta, sufficit ut fideles, recitatione durante, secum quomodocumque coronam deferant (S. Paenit. 9 nov. 1933, ut supra n. 43). In communi autem recitatione semper sufficit, ut unus, quicumque sit ex communitate, coronam benedictam manu teneat, ceterique cum eo se componant pro oratione facienda, iis occupationibus exterioribus semotis, quae internam attentionem impediunt ad devotam coronae recitationem pro lucrandis indulgentiis praescriptam (S. C. Indulg. 8 iunii 1898 in *Raccolta* p. 317; Pius x 12 augusti 1908, uti refert Beringer I, ed. 15, n. 890; cfr. can. 934 § 3 et *Collect. Prop. Fid.* n. 1850).

§ 8. *De facultate benedicendi crucifixos Viae Crucis*

49. Sacerdotes sub numero 35 comprehensi atque ad sacramentales confessiones audiendas approbati, gaudent facultate « benedicendi, unico crucis signo (n. 37), crucifixos cum applicatione indulgentiarum pii exercitii a Via Crucis nuncupati in favorem fidelium, qui, quominus sacras visitent « stationes », legitime impediuntur ».

50. Hic crucifixus solis prodest personis legitime impeditis, quominus Viae Crucis stationes visitent. Requiritur autem « *motivum vere rationabile* seu incommodum mediocriter grave, quo quis hic et nunc a visitandis stationibus canonice erectis impediatur » (Sleutjes-Kurtscheid, *Instructio de stationibus S. Viae Crucis* ed. 5 n. 71), ut si quis iter instituit, procul ab ecclesia habitat, laboribus occupatus est et sic porro (Beringer, *Die Ablässe* I ed. 15 n. 873; Gougnard, *De Indulgentiis* ed. 5 p. 117).

Triplici autem modo, pro variis adiunctis, reducitur Viae Crucis visitatio. Ordinarie enim fideles impediti, adhibito crucifixo, recitare debent viginti *Pater, Ave* et *Gloria;* aegrotis vero, qui has preces absque gravi incommodo vel difficultate peragere non valent, sufficit aspectus vel osculum crucifixi et brevis aliqua oratio vel prex iaculatoria in memoriam passionis D. N. Iesu Christi; denique infirmis, quibus vel hoc nimis difficile est, sufficit solus aspectus vel osculum crucifixi Viae Crucis, prout sequitur.

51. Indulgentiam plenariam, *quoties* id egerint, alteramque indulgentiam plenariam semel, si communicaverint eodem die vel etiam infra mensem ab hoc exercitio decies peracto, « lucrari valent navigantes, carceribus detenti, infirmi et illi, qui morantur in partibus infidelium aut *legitime impediuntur,* quominus pium exercitium Viae Crucis in forma ordinaria peragant, dummodo manu tenentes crucifixum a sacerdote, legitima facultate munito, ad hoc benedictum, saltem corde contrito ac devote re-

citent *viginti Pater, Ave et Gloria,* unum nempe pro qualibet statione, quinque in sanctorum D. N. Iesu Christi vulnerum memoriam et unum iuxta mentem Summi Pontificis » (*Collectio Indulgentiarum* n. 164).

52. « Quod si omnes praescriptos *Pater, Ave* et *Gloria* ex rationabili causa recitare nequiverint pro indulgentia plenaria, partialem decem annorum pro singulis *Pater* cum *Ave* et *Gloria* recitatis consequi valent » (*ibidem*).

53. Quoties tamen vel causa operis manualis vel propter aliam rationabilem causam oriatur impedimentum, quominus in manibus gestari queat crucifixus benedictus, sufficit ut fideles, recitatione durante, secum quomodocumque crucifixum deferant (*ib.* p. XVI; S. Paenit. 9 nov. 1933, ut supra n. 43). Pluribus autem legitime impeditis et in communi recitantibus preces, ut supra, semper sufficit, ut *unus* crucifixum manu teneat ceterique omnes se componant pro oratione facienda cum persona tenenti crucifixum, sepositis scilicet iis exterioribus occupationibus, quae internam attentionem ad preces praescriptam impediunt (*Collect. Prop. Fid.* n. 1610; cfr. supra n. 48).

54. Pariter indulgentias plenarias (n. 51) lucrari valent « infirmi » qui vi morbi absque gravi incommodo vel difficultate pium exercitium Viae Crucis nec in forma ordinaria nec in forma supra (n. 51) statuta, scilicet per recitationem viginti *Pater, Ave* et *Gloria* peragere possunt, dummodo cum affectu et animo contrito osculentur vel etiam tantum intueantur in crucifixum ad hoc benedictum, eis a sacerdote vel ab aliqua alia persona exhibitum; et recitent, *si possint,* brevem aliquam orationem vel precem iaculatoriam in memoriam passionis et mortis Iesu Christi Domini nostri » (*Collectio Indulgentiarum* n. 164).

Homines vere aegroti ut plurimum hoc favore uti possunt. « Qui enim doloribus opprimitur, maxime si lecto decumbit, non absque gravi difficultate viginti *Pater, Ave* et *Gloria* sine interruptione recitare poterit. In dubio de gravitate incommodi *supponere licet* hanc condicionem

esse adimpletam, idque ex mente Eclesiae, quae infirmis hoc exercitium facillimum reddere voluit » (*Commentarium pro Religiosis* XII p. 232).

55. Denique easdem indulgentias plenarias (n. 51) acquirere valet ille infirmus, cui eiusmodi brevis oratio iam nimis difficilis est; ita ut « si quis, vi morbi, vel tantum osculari vel intueri tantum queat in crucifixum ad hoc benedictum, non vero addere precem iaculatoriam, indulgentiam plenariam consequi non impediatur » (S. Paenit. 20 oct. 1931, *AAS* XXIII (1931) p. 522; *Periodica* XXI (1932) p. 146).

56. Omnes igitur infirmi, adeo graviter decumbentes, toties lucrantur *indulgentiam plenariam,* quoties crucifixum indulgentiis Viae Crucis ditatum osculantur intuenturve et precem iaculatoriam, *si possint,* recitant. Unde hic usus vix satis infirmis commendari potest et hic crucifixus pluris aestimandus est quam crucifixus solita indulgentia plenaria in mortis articulo lucranda ditatus, de quo sub n. 57-58.

§ 9. *De facultate applicandi crucifixo indulgentiam plenariam pro moribundis*

57. Sacerdotes, de quibus in n. 35, ad sacramentales confessiones audiendas approbati, facultate pollent « benedicendi, unico crucis signo (n. 37), crucifixos iisdemque applicandi plenariam indulgentiam in articulo mortis ab iis acquirendam, qui praescriptis expletis condicionibus, illos osculati fuerint aut saltem aliquo modo tetigerint ».

58. Omnis fidelis vero mortis momento semel plenariam indulgentiam acquirere valet, si quem ex huiusmodi crucifixis, etiamsi illi non pertineat, in periculo mortis osculatus fuerit vel quomodocumque tetigerit. Requiritur insuper: 1) confessio et s. communio vel, si id fieri nequit, saltem contritio, 2) invocatio nominis Iesu ore, si fieri potuerit, sin minus corde, 3) intentio mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienter

suscipiendi (S. Off. 11 iunii 1914 et S. Paenit. 23 iunii 1929, *AAS* VI [1914] p. 348 et XXI [1929] p. 510; *Periodica* VIII [1919] p. 204 et XVIII [1929], p. 247).

59. Praeter usum huius crucifixi multi alii sunt modi indulgentiam plenariam in mortis articulo lucrandi, velut benedictio apostolica cum indulgentia plenaria in articulo mortis (can. 468 § 2). Sed excepta concessione, de qua sub n. 60, semper eaedem vigent condiciones sub numero praecedenti enuntiatae. Sedulo tamen notandum est « plenariam indulgentiam pro mortis articulo concessam *una* vice tantum lucrari, id est in vero mortis articulo, etsi moribundus ad eam ius habeat ex variis titulis » (*Collect. Prop. Fid.* n. 2100 ad 2).

60. Haec autem indulgentia plenaria praeter statum gratiae nullam specialem condicionem in mortis articulo requirit. Omnes enim fideles indulgentiam plenariam in ipso mortis articulo consequentur, si quolibet vitae tempore, cum vero caritatis in Deum affectu, suetis condicionibus (quae sunt: confessio, s. communio, visitatio ecclesiae vel publici oratorii atque oratio ad mentem Summi Pontificis) expletis, propositum emittunt « suscipiendi de manu Dei aequo ac libenti animo mortem cuiuscumque generis, prout Deo placuerit, cum omnibus suis angoribus, poenis ac doloribus » (S. C. Indulg. 9 martii 1904 *Collectio Indulg.* n. 591). Fideles insuper, quoties idem propositum renovaverint, lucrantur indulgentiam septem annorum (S. Off. 16 nov. 1916 et S. Paenit. 18 martii 1932; *Collect. Indulg.* n. 591). Nulla requiritur peculiaris formula; qui vero eam desiderat, adhibeat haec vel similia verba ac supra his signis « ... » inclusa.

§ 10. *De indulto altaris privilegiati personalis*

61. Sacerdotes comprehensi n. 35 habent « indultum personale altaris privilegiati, quater in qualibet hebdomada, dummodo simile indultum pro alia die obtentum non fuerit ».

62. Altaris privilegium, sine addito, intellegitur indul-

gentia plenaria adnexa missae pro defuncto celebratae (*S. C. Indulg. decr. auth.* n. 283). Quae indulgentia *unica* est ideoque, si missa pro pluribus offertur defunctis, *uni* tantum prodest; verum necessarium non est, etsi laudabile, ut celebrans eligat in casu animam, cui indulgentiam applicare maluerit (*S. C. Indulg. Decr. auth.* n. 402 et 451 ad 2-3; 19 dec. 1885 ap. Mocchegiani, *Collectio Indulgentiarum* n. 1063; S. Off. 17 iunii 1915 ac S. Paenit. 6 iul. 1917 ad 1, *AAS* vii [1915] p. 410 ac ix [1917] p. 400; *Periodica* viii [1919], p. 213 et ix [1920] p. 68).

63. Haec indulgentia *certioris* efficaciae est; nam ex parte celebrantis sola requiritur applicatio missae (Cappello, *De Sacramentis* I ed. 2 n. 764; Fanfani, *De Indulgentiis* ed. 2 n. 97; Mocchegiani, *l. c.*, n. 1100; Gougnard, *De Indulgentiis* ed. 5 p. 127). Si spectetur *mens* concedentis et usus clavium potestatis, intellegenda est indulgentia plenaria, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis *effectus*, intellegenda est indulgentia, cuius mensura beneplacito et acceptationi divinae misericordiae respondet (*S. C. Indulg. Decr. auth.* n. 283; *Collect. Prop. Fid.* n. 976 ad 2).

64. Privilegium ipsi sacerdoti inhaeret, qui proinde ad quodlibet altare, etiam portatile, celebrans pro defunctis, indulgentiam plenariam lucratur in eorundem favorem. Hinc oneri suscepto celebrandi in altari privilegiato satisfacit utendo privilegio personali ad quodlibet altare celebrans (*S. C. Indulg.* n. 351).

65. Cum agatur de *privilegio non cotidiano*, sed pro quatuor diebus indeterminatis omnis hebdomadae concesso, celebrans saltem dies determinare debet, quibus applicare vult indulgentiam altaris privilegiati; qua in re consulenda est *intentio habitualis* utendi privilegio primis quatuor cuiusque hebdomadae diebus, quibus pro defunctis celebrandum est (Mocchegiani, *l. c.* n. 1061). Tunc autem missa est per se privilegiata, seu ipsa Ecclesia, celebrata missa, Deo indulgentiam offert, etsi neque dans stipendium neque sacerdos celebrans intendat applicare indulgen-

tiam (*S. C. Indulg.* n. 366 ad 1; S. Off. 17 iunii 1915, *AAS* VII [1915] p. 410). Quod valet, etiamsi sacerdos pro pluribus defunctis missam celebret (n. 62), nisi aliunde obligationem susceperit, uni ex his applicandi indulgentiam; si igitur sacerdos, celebrans pro pluribus defunctis, neminem ex iis designaverit, Ecclesia, exhibens indulgentiam, divinae Providentiae designationem animae utiliter committit.

66. Sunt et alia privilegia huiusmodi, velut pro adscriptis sodalitati sacerdotali eucharisticae; attamen clausula « dummodo simile indultum pro alia die obtentum non fuerit » obstat, quominus cumulentur, quod secus liceret et efficeret privilegium quotidianum (*S. C. Indulg. Decr. auth.* n. 272).

67. Indulgentia altaris privilegiati, ex Ecclesiae praescripto, a fructu missae numquam separari potest; hinc nequit uni defuncto missa, alteri autem indulgentia applicari, sed Ecclesia indulgentiam Deo exhibet pro eo defuncto vel pro uno e pluribus illis defunctis, cui vel quibus missa applicatur (supra n. 62; *Collect. Prop. Fid.* n. 1647 ad 5 et 1976 ad 1). Praeterea missa debet pro solis defunctis celebrari: omnis alia missa, quae pro vivis vel pro vivis atque defunctis simul offertur, indulgentia altaris privilegiati caret (*Collect. Prop. Fid.* n. 1008 ad 14; 1976 ad 2; 2100 ad 1).

68. Quamvis autem ad indulgentiam altaris privilegiati obtinendam missa unice pro defunctis sit offerenda, non tamen requiritur missa de requie, quoties ex rubricis licet; verum ea laudabiliter adhibetur, cum licet ac decet, pietatis gratia erga defunctum (S. Off. 20 dec. 1913 *AAS* V [1913] p. 122).

69. Vix annotare oportet pro missis celebrandis in altari privilegiato (vel cum privilegio personali) non posse, sub obtentu privilegii, maiorem exigi missae eleemosynam (can. 918 § 2).

Franciscus Xaverius Hecht, P. S. M.

19 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

Decretum 31 decembris 1937

DE PRECIBUS ET PIIS OPERIBUS INDULGENTIIS DITATIS, NOVA COLLECTIONE EDITIS

(*Periodica* XXVII [15 april. 1938] p. 154 s)

Annotationes

Desideratissimum opus apparuit, quod complectitur plurimas mutationes indulgeltiarum anno 1929 et deinceps peractas, atque tam praeclara dispositione quam typorum nitore vere eminet. Quatuor indices facillimum reddunt usum huius collectionis; accedunt aliquot citationes et indicationes in decursu operis. Singulae indulgentiarum concessiones numerantur et citantur sicut canones Codicis I. C. cum numeris continuo progredientibus ab 1 ad 715.

Porro haec notabilia esse videntur. *Mensura indulgentiarum* generatim haud parum aucta et praemeditata ratione adhibita est. Sic preces e Sacra Scriptura vel Liturgia desumptae maioribus indulgentiis ornantur pariterque preces ad Deum vel Deiparam amplioribus indulgentiis ditantur quam aliae preces. Unde videtur ferme oblivioni tribuendum esse, quod sola iaculatoria sub n. 61 *Iesu, tibi vivo*, etc. retinuerit indulgentiam 100 dierum, cum omnes aliae ad Deum directae saltem 300 dierum indulgentiam praeseferant.

Praeterea *suetae condiciones* pro plerisque indulgentiis plenariis praescribuntur; de his fusius pag. 217-220 dictum est.

Deinde *quadragenae* ubique suppressae sunt. Uti norunt omnes, quadragenae solebant aequali numero addi annis, v. g., indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum; quadragenae igitur nunc deletae sunt, ubicumque habebantur in indulgentiis generalibus.

Quando, ut in nonnullis novendialibus (n. 100, 141, 263, 295, 429), *exercitia publica* et privata distinguuntur, exercitia publica maioribus fruuntur indulgentiis et, ubi publica habentur, privata exercitia non gaudent ullis indulgentiis, nisi pro iis, « qui legitimo detineantur impedimento, quominus exercitio publico intersint ». « Pia exercitia tunc tantum *publice* peracta dicuntur, cum communiter in ecclesis vel in publicis aut (pro legitime utentibus) semipublicis oratoriis habentur; ceteris in casibus *privatim* peracta intelleguntur » (*Collectio Indulg.*, Praenotanda, pag. VIII n. 7).

Denique meminisse oportet solas indulgentias universim concessas referri, « pro quibus lucrandis non requiritur neque benedictio ab aliquo sacerdote regulari vel saeculari facultate pollente pietatis obiectis impertita, neque visitatio alicuius pii loci *determinati*, neque inscriptio alicui piae sodalitati » (*ib.*, pag. VII n. 1). Quod nunc strictius servatur quam antea; sic in nova Collectione exsulant nonnullarum coronarum indulgentiae, quae in vetere continentur, v. g. indulgentiae coronae Domini vel Septem Dolorum; unde difficilius nunc est eiusmodi indulgentias reperire. Quoad indulgentias autem, quae eius argumentum constituunt, haec collectio est *exclusiva;* unde ea, « quae in hac collectione non recensentur, indulgentias amittunt » (*ib.*, pag. VII n. 2).

Ex dictis sequitur: in materia indulgentiarum generalium *necessario vitiosus* est omnis liber anterior huic collectioni pariterque quilibet liber posterior eidem non innixus, cum indulgentiarum generalium plurimae mutatae, nonnullae vero suppressae sint in novissima collectione.

Totum opus accuratissime elaboratum est, ut vix occurrat error typographicus. Legatur autem pag. XVII in nota: vel Crucifixus; pag. 7 n. 24: Ps. LXXVIII; pag. 64 n. 115: 10 april. 1580; pag. 563 lin. 14: facilitatem sufficientem. Tandem pag. 516 n. 648 videtur abundare ultimum incisum post decretum S. Paenit. diei 22 aprilis 1933 (*AAS* XXV [1933] p. 254; *Periodica* XXII [1933] p. 114); hoc enim decreto *revocata est concessio*, prius in non paucis indulgentiarum summariis contenta, vi cuius «ad recitationem sex *Pater*, *Ave* et *Gloria* adnexae dicuntur *toties quoties* indulgentiae universae septem Urbis basilicarum, stationum Romanarum, Portiunculae» etc. (initio citati decreti).

FRANCISCUS XAVERIUS HECHT, P. S. M.

32 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

Responsum 14 decembris 1937

DE INDULGENTIIS DIVINI OFFICII RECITATIONI ADNEXIS DEQUE INDULGENTIIS FESTO TRANSLATO ADNEXIS

(*Ephemerides Liturgicae*, Ius et Praxis Lit., LII [ian. 1938] p. 1)

9354/'37

Beatissime Pater,

A. P., sacerdos Congr. Missionis, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, dubia quae sequuntur pro opportuna solutione humiliter proponit:

I. An per Decretum S. Poenitentiariae Ap. d. d. 31 martii 1937 Indulgentias, pro divini Officii coram SS.mo Sa-

cramento recitatione concessas, etiam novitiae et studentes Communitatum muliebrium acquirere valeant.

II. Utrum ad lucrandas Indulgentias alicui festo translato adnexas necessaria sit sollemnitas ac celebratio ecclesiastica, etsi extraliturgica, an sufficiat civilis tantum sollemnitas et externa celebratio.

Et Deus etc.

Die 14 decembris 1937.

Sacra Paenitentiaria Apostolica propositis dubiis respondendum censet: Ad Ium *Negative;* ad IIum *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam.

De mandato E.mi
F. Dalpiaz, *Can.*
J. Rossi, *Secr.ius.*

Annotationes

I. Indulgentiae, quae clericis maioribus pro recitatione Officii divini coram Ssmo Sacramento concessae sunt, die 31 martii 1937 ad omnes clericos necnon ad novicios et studentes quorumlibet institutorum religiosorum extensae sunt (*AAS* XXIX [1937] p. 284; *Periodica* XXVI [1937] p. 512; *Collectio Indulg.* n. 674). Iam prius eaedem indulgentiae extensae sunt ad Moniales aliasque pias mulieres in communitate viventes, quae ex proprii instituti constitutionibus ad cotidianam divini Officii recitationem tenentur. (*Collectio Indulg.* n. 697). Verba autem decreti diei 31 martii 1937 non comprehendunt mulieres. Unde aptius, ut nobis videtur, petita esset extensio quam interpretatio huius novae concessionis.

II. Secundum canonem 922 indulgentia alicui festo adnexa acquiritur eo die, quo eiusdem festi agitur solemnitas et externa celebratio, licet seiuncta a festi officio et missa. Praemittendum est non omnia festa habere solemni-

tatem coniunctam, quae ideo separari queat. Novae rubricae Missalis (*Add. in rubr. Miss.* IV 3) solemnitatem indicant summorum festorum localium Dedicationis et Titularis ecclesiae ac Patroni loci, quae, si transfertur, vocatur solemnitas externa, seu separata a die festo, quo officium et missa celebratur. His festis localibus addi possunt festa generalia olim in Dominica celebrata (Decr. n. 4308 I 2) aliaque quae feriationem habent vel octavam.

Quaeri nunc potest, quid constituat solemnitam externam seu separatam a festo, quam canon 922 solemnitatem et externam celebrationem vocat. De solemnitate festorum transferenda post festorum reductionem plura decreta agunt, maxime autem decretum S. C. R. n. 3754 de reductione in Gallia. Ibi « pro solemnitate, quae transfertur, nonnisi unica missa intellegitur, more votivo canenda ut in festo » (n. 3754 II). Ad quam normam ante novas rubricas in aliis quoque regionibus solemnitatem externam esse agendam plura iusserunt responsa S. C. R., velut diei 29 aprilis 1910 pro insula Cuba, diei 25 aug. 1911 (n. 4277) pro Clunia in Hispania. Iuxta novam disciplinam introductam decreto n. 4308 I 2 solemnitas externa alicuius festi non requirit necessario missam de eodem festo; nam missa *permittitur* (Decr. 4308 I 2), vel cani *potest* (*Add. in rubr. Miss.* IV 3). Quod expresse insuper S. Congregatio Rituum die 12 februarii 1916 ad 2 declaravit respondendo ad quaesitum:

« 2. An in ecclesiis, ubi praefata solemnitas externa agitur, missae a memorato decreto (scil. n. 4308 I 2) concessae de ipsa solemnitate celebrari tantum possint, vel etiam debeant? Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, seu standum terminis indulti » (*AAS* VIII [1916] p. 74).

Constat itaque hodie solemnitatem externam non necessario requirere missam de respectivo festo. Attamen dubitari non potest religiosam functionem adhibendam esse, seu solemnitatem sacram requiri, nec civilem sufficere, cum de re agatur religiosa. Quod prorsus constat e prae-

senti responso S. Paenitentiariae. Unde recurrit quaestio, in quo consistat externa alicuius festi solemnitas. Iuxta praemissa, cum missa non sit necessaria, quaevis functio sacra, sive liturgica sive extra-liturgica, sufficit, si intuitu huius solemnitatis fit eiusque memoriam populo tradat, velut missa maiore cum apparatu cantata, singularis ornatus altaris vel imaginis Sancti, communio frequentior solemnitatis causa, contio festiva. Ex quo iam apparet, aliquem populi concursum, non tamen extraordinarium, esse de conceptu solemnitatis externae alicuius festi.

Quibus annis igitur ita solemnitas externa alicuius festi agitur extra diem festum, etiam indulgentiae huic festo adnexae sequuntur diem solemnitatis.

FRANCISCUS XAVERIUS HECHT, P. S. M.

33 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

Decretum 12 martii 1938

CONDITIONES AD VALIDAM SACRARUM « VIAE CRUCIS » STATIONUM ERECTIONEM EX NOVO STATUUNTUR

(*AAS* XXIX [10 aprilis 1938] p. 111 s)

Iamdiu ac saepe huic S. Tribunali significatum fuit, multiplicitatem conditionum ad validitatem erectionis stationum « Viae Crucis » hucusque requisitarum haud raro occasionem dedisse omissioni, ut plurimum involuntariae, unius vel alterius ex iis, et consequenti exinde invaliditati erectionis eiusdem. Huic lamentabili defectui infra scriptus Cardinalis Maior Paenitentiarius occurrere efficaci remedio cupiens, totam rem deferandam esse Summo Pontifici censuit. Itaque Sanctitas Sua, in audentia eidem benigne concessa die 11 mensis Ianuarii vertentis anni, spi-

rituali animarum piarum bono semper prospiciens, ac summopere exoptans ne christifideles priventur sacris indulgentiis, huic salutari exercitio adnexis, — quas Ipsemet ex novo statuerat per Decretum « Pium Viae Crucis exercitium » sub die 20 Octobris 1931 (1) — abrogatis singulis conditionibus hactenus vigentibus, benigne decernere dignatus est ad validam stationum « Viae Crucis » erectionem sufficere ut sacerdos, idcirco rogatus, debita facultate sit praeditus, iuxta Decretum « Consilium suum persequens » datum die 12 Martii 1933 (2); prorsus tamen decere, ratione praesertim ecclesiasticae disciplinae, ut singulis vicibus, nisi agatur de locis exemptis, accedat venia Ordinarii loci, ubi facultas exercetur, saltem rationabiliter praesumpta, quando Ordinarius facile adiri nequeat. Praeterea eadem Sanctitas Sua statuit ut omnes « Viae Crucis » erectiones, quacumque ex causa hucusque invalide peractae, huius Decreti vigore sanatae maneant.

Contrariis quibuslibet etiam mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae, die 12 Martii 1938.

L. Card. Lauri, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. S. Luzio, *Regens.*

Annotationes

Ad validam erectionem stationum « Viae Crucis » plerumque requirebatur ut is qui talem erectionem ex Indulto vel Privilegio facturus est *in scripto* a competente auctoritate facultatem obtinuerit; item, nisi agatur de erectione in loco exempto facienda, ut *in antecessum* accedat licentia *scripto* data ab Ordinario loci, et quidem pro singulis erectionibus, ita ut licentia generalis ad validitatem non suf-

(1) *Acta Apost. Sedis*, vol. XXIII, pag. 522.
(2) *Acta Apost. Sedis*, vol. XXV, pag. 170.

ficeret; tandem, nisi pariter agatur de loco parocho non subiecto, licentia *scripto* data parochi. Nec sufficiunt licentiae oretenus datae, etsi postea, etiam statim post erectionem, scripto confirmatae. Nec mirum igitur facile unam alteramve ex his conditionibus fuisse interdum praetermissam involotarie, unde tamen invalida erectio, ac proin indulgentiae nullae. Volens igitur huic incommodo occurrere, Sanctissimus Dominus, per hoc decretum Sacrae Paenitentiariae Apostolicae, abrogat omnes et singulas conditiones hactenus vigentes, et decernit ad validam stationum « Viae Crucis » erectionem sufficere ut sacerdos idcirco rogatus debita facultate sit praeditus iuxta decretum *Consilium suum persequens* datum die 12 martii 1933. Iuxta hoc decretum, quod in *AAS* XXV (1933), p. 170, inscribitur sub die *20* martii 1933, haec facultas iam obtineri non potest nisi directe et immediate a Sacra Paenitentiaria, oblatis toties quoties peculiaribus proprii Ordinarii ad rem litteris commendatitiis. Ordines tamen vel Congregationes religiosae qui privilegium iam obtinuerant stationes « Viae Crucis » erigendi, hoc privilegium quidem servant, ita tamen ut in posterum nonnisi membra eorumdem Ordinum vel Congregationum iisdem uti valeant tantum personaliter, non autem ita ut ea concedere quoque possint aliis sacerdotibus ad eosdem Ordines vel Congregationes non pertinentibus (1). Neque Superiores Ordinis Fratrum Minorum proin talem facultatem aliis quam suis subditis concedere valent (2). Pro erectione, nisi fiat a Cardinali (can. 239, § 1, 6°) adhibenda est formula quae exstat in *Appendice Ritualis Romani*. Etsi ad validitatem iam non requiritur, prorsus tamen decet ut singulis vicibus, nisi agatur de loco exempto, accedat venia Ordinarii loci saltem rationabiliter praesumpta, sed, ut patet, non requiritur ut hoc fiat scripto.

Tandem, omnes erectiones hucusque factae, quacumque ex causa fuerint invalidae, sanantur.

Ios. Pauwels, S. I.

(1) *Periodica* XXII (1933), n. 29, p. 105.
(2) *Nouvelle Revue Théologique* LX (1933), p. 542.

ACTA SUMMATIM RELATA

34 - SS. D. N. Pius Pp. XI

A — Bulla *In ora Malabarica,* 1 iul. 1937, a dioecesi Quilonensi territorii pars seiungitur, ex qua nova erigitur dioecesis *Trivandrensis Latinorum,* Carmelitarum Discalceatorum Ordini concredenda; dioecesis vero Quilonensis clero saeculari committitur (*AAS* xxx [30 mart. 1938] p. 90 ss.).

B — Bulla *Intra Luxemburgensis,* 4 aug. 1937, e Luxemburgensis dioecesis territorio pars illa seiungitur, quae septis tantummodo circumscribitur Abbatiae Ss. Mauritii et Mauri in *Clerveaux,* eaque in Abbatiam *nullius dioeceseos,* eodem *Ss. Mauritii et Mauri* nomine nuncupandam, erigitur et constituitur (*AAS* xxx [30 mart. 1938] p. 93 s.).

C — Epistula *Clarissima in urbe,* 21 nov. 1937, ad Exc.um P. D. Edmundum Gleeson, episcopum Maitlandensem, SS. D. paterna vota atque omina elicit, ut Conventus Eucharisticus ac Missionalis, in urbe Novocastrensi ineundus, iucundissimo ac felicissimo eventu compleatur (*AAS* xxx [30 mart. 1938] p. 97).

D — Epistula *Singulari animo,* 22 nov. 1937, Exc.mum P. D. Leonem Petrum Kierkels, archiep.um Tit. Salaminensem et Delegatum Ap.cum in Indiis Orientalibus, SS. D. Legatum Suum eligit ac renuntiat, ut Conventui Eucharistico Indiano, in Madraspolitana civitate sub finem anni 1937 ineundo, Suo nomine Suaque auctoritate praesideat (*AAS* xxx [30 mart. 1938] p. 94 s.).

E — Epistula *Ineunte anno,* 30 nov. 1937, Exc.mum P. D. Hectorem Felici, archiep.um Tit. Corinthiensem et Nuntium Ap.cum in Republica Chilena, SS. D. Legatum Suum eligit atque constituit, ut Congressui Eucharistico in civitate de *Iquique* ex universa natione chilena proxime cogendo, nomine Suo Suaque auctoritate praesideat, pro certo habens eum praeclarum Suae

voluntatis interpretem exstiturum (*AAS* xxx [30 mart. 1938] p. 96).

F — Epistula *Paterna quidem,* 18 ian. 1938, ad Em.um P. D. PETRUM, Diaconum S. Angeli in Foro Piscario, S. R. E. Card. BOETTO, annum ab emissa in Societate Iesu Professione quinquagesimum expleturum, SS. D. egregia erga Ecclesiam promerita eius dilaudat, ac proximam faustitatis eius nactus opportunitatem, paternam erga eum existimationem Suam ac benevolentiam plane confirmat, Eique de actuosis annis religioso officio assidue dicatis vehementer gratulatur, felicissima quaeque ac saluberrima a Deo in posterum ominans (*AAS* xxx [10 apr. 1938] p. 119).

35 - S. C. Consistorialis

1 - Decreto 18 dec. 1937, fines dioecesium Nelsonensis et Vancuveriensis clarius determinantur (*AAS* xxx [30 mart. 1938] p. 98).

2 - Decreto 29 ian. 1938, Vicaria *Vent* ab Archidioecesi Tridentina seiungitur, iuxta praesentes fines civiles inter Regnum Italicum et Rempublicam Austriacam, atque Administrationi Apostolicae Oenipontanae perpetuo attribuitur (*AAS* xxx [10 apr. 1938] p. 120).

3 - Decreto 18 mart. 1938, SS. D. N. Consistorium semipublicum die trigesima prima eiusdem mensis martii habendum decrevit, in quo exquiret Episcoporum sententiam pro canonizatione Beati ANDREAE BOBOLA, martyris, sacerdotis professi Societatis Iesu, Beati IOANNIS LEONARDI, confessoris, Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium a Matre Dei et Beati SALVATORIS ab HORTA, confessoris, laici professi Ordinis Fratrum Minorum (*AAS* xxx [30 mart. 1938] p. 99).

36 - S. C. de Prop. Fide

1 - Decreto 9 febr. 1938, ex Vicariatu Apostolico de *Mukden* distrahuntur et Vicariatui Apostolico de *Jehol* adnectuntur Provinciae civilis de *Chinchow* civiles Praefecturae de *Chin-Hsien, Kin-Si, Hing-Ch'eng, Sui-Chung, I-Hsien* (*AAS* xxx [10 maii 1938] p. 162).

2 - Decreto 9 febr. 1938, ex Vicariatu Apostolico de *Suifu* distrahitur et Vicariatui Apostolico de *Yachow* adnectitur civi-

lis subpraefectura de *Loshan* (Kiating), in quam eiusdem subpraefecturae principem urbem *Kiating* sedes Ordinarii transferenda erit et Vicariatus ipse ab eadem urbe deinceps de *Kiating* denominandus (*AAS* xxx [10 maii 1938] p. 163).

37 - S. C. Rituum

Causae beatificationis et canonizationis:

1 - *Ianuen.* Decretum 19 dec. 1937, Super dubio: *an constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in casu et ad effectum de quo agitur* beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Caroli Hyacinthi a S. Maria, Sacerdotis professi ex ordine Eremitarum S. Augustini excalceatorum (*AAS* xxx [30 mart. 1938] p. 104 ss.).

2 - *Ariminen.* Decretum 5 ian. 1938, Super dubio: *an signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur* beatificationis et canonizationis Servi Dei Pii a S. Aloisio, Clerici professi Congregationis Clericorum excalceatorum Ss.mae Crucis et Passionis D.N.I.C. (*AAS* xxx [10 maii 1938] p. 165 ss.).

3 - *Matriten.* Decretum 23 ian. 1938, Super dubio: *an constet de virtutibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico et ad effectum de quo agitur* beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Desolatae Torres Acosta, Fundatricis Instituti Sororum Servarum Mariae Infirmis Ministrantium (*AAS* xxx [10 maii 1938] p. 167 ss.).

4 - *Romana seu Lucana.* Decretum 20 febr. 1938, Super dubio: *an et de quibus miraculis post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem constet in casu et ad effectum de quo agitur* canonizationis B. Ioannis Leonardi confessoris, Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium a Matre Dei (*AAS* xxx [30 mart. 1938] p. 107 ss.).

5 - *Romana seu Lucana.* Decretum 13 mart. 1938, Super dubio: *an stante approbatione duorum miraculorum post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem* Tuto *procedi possit ad solemnem ipsius Canonizationem* canonizationis B. Ioannis Leonardi confessoris, Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium a Matre Dei (*AAS* xxx [10 apr. 1938] p. 121 ss.).

38 - S. Romana Rota
Tabulae synopticae Causarum S. R. Rotae

Anno 1937

I

Causae iudicatae

A - De matrimonio

	IMPEDIMENTUM	Allegatum	Admissum	Negatum
NULLITATIS	Condicio apposita	5	1	4
	» » , error qualitatis personae, dedectus consensus ob amentiam mulieris	1	0	1
	Condicio apposita et exclusio boni prolis	1	0	1
	» contra bonum prolis	2	1	1
	» et defectus consensus	1	0	1
	Consanguinitas	1	0	1
	Defectus consensus	5	2	3
	» » et clandestinitas	1	1	0
	» » et dispensatio super rato	1	0	1
	» » et exclusio unitatis atque indissolubilitatis	1	0	1
	Defectus consensus et vis et metus	1	0	1
	» » ob amentiam viri	1	1	0
	» » ob exclusum bonum prolis et dispensatio super rato	1	0	1
	Exclusio boni prolis	2	0	2
	» » » et indissolubilitatis	1	0	1
	» indissolubilitatis	3	0	3
	» unitatis, indissolubilitatis et boni prolis	1	0	1

	IMPEDIMENTUM	Allegatum	Admissum	Negatum
NULLITATIS	Ignorantia circa essentiam matrimonii	1	0	1
	Impotentia mulieris	1	1	0
	» viri	6	3	3
	» » et dispensatio super rato . .	2	0	2
	Intentio contra bonum prolis	1	1	0
	» » indissolubilitatem	1	0	1
	Simulatio	1	1	0
	Vis et metus	26	9	17
	» » » atque simulatio	1	0	1
	» » » et amentia mulieris	1	1	0
	» » » et dispensatio super rato . . .	2	2	0
	» » » et exclusio indissolubilitatis . .	1	1	0
	» » » et exclusum bonum prolis . . .	1	0	1
		74	25	49

B - De variis argumentis

Ceterae causae fuere: bis de credito et refectione damnorum, de incidente, de separatione; semel de iure patronatus, de solutione.

II

Causae quae eodem anno 1937 transactae fuerunt vel peremptae, vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt:

A - De matrimonio

	IMPEDIMENTUM	Allegatum
NULLITATIS	Clandestinitas	1
	» et exclusio indissolubilitatis	1
	Condicio apposita	3
	» » et exclusio boni prolis	1
	» » et intentio contra unitatem et indissolubilitatem	1
	Condicio contra substantiam matrimonii	1
	Defectus consensus	3
	Exclusio boni fidei	1
	» » prolis	1
	» » sacramenti et prolis	1
	» indissolubilitatis	2
	» prolis	4
	» unitatis, indissolubilitatis et prolis	1
	Impedimentum criminis	1
	Vis et metus	13
	» » » et exclusio boni sacramenti et prolis	1
Nullitatis matrimonii seu hereditatis (1)		1
		37

B - Aliae causae, scil.:

Crediti, damnorum, iurium, reiectionis libelli, testamenti, habuere finem sine definitiva sententia.

N. B. *Ex 74 causis, sub I allegatis, 39 causae peractae sunt cum gratuito patrocinio.*

(1) Sine allegatione impedimenti perempta.

39 - Provisio Ecclesiarum

A - *Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt*:

26 febr. 1938, R. D. Iosephus Anreas Coimbra, cathedrali ecclesiae Barrensi de Pirahy.

7 mart. 1938, Exc. P. D. Ioannes Rodié, cathedrali ecclesiae Agennensi.

7 mart. 1938, R. D. Aloysius Liagre, cathedrali ecclesiae Rupellensi.

12 mart. 1938, R. D. Victorius Sanabria, cathedrali ecclesiae Alajuelensi.

19 mart. 1938, R. P. Bernardinus Berrios Gainza, O. F. M., cathedrali ecclesiae S. Philippi.

2 apr. 1938, Exc. P. D. Antonius Colturato, cathedrali ecclesiae Botucatuensi.

B - *Decretis S. C. de Prop. Fide nominati sunt*:

7 mart. 1938, R. D. Iacobus Mendonça, cathedrali ecclesiae Trichinopolitanae.

29 mart. 1938, R. P. Floridus Ambrosius Acciari, O. F. M., metropolitanae ecclesiae Rhodiensi.

29 mart. 1938, R. P. Franciscus Xaverius Gsell, e Miss. S. C. I., cathedrali ecclesiae Darwinensi.

40 - Nominationes

Decretis S. C. de Prop. Fide renunciati sunt:

10 febr. 1938, R. P. Prosperus Durand, O. F. M., Praefectus Ap.cus de *Weihaiwei*.

11 mart. 1938, R. P. Michael Augustinus O'Connor, O. P., Praefectus Ap.cus de *Kienow*.

13 mart. 1938, R. P. Patricius Iosephus Whitney, e Societate Sancti Patricii pro Missionibus ad exteros, Praefectus Apostolicus de *Ogoja*.

8 apr. 1938, R. P. Pacificus Calzolari, O. F. M., Praefectus Ap.cus de *Siangtan*.

8 apr. 1938, R. P. Ludovicus Haag, e Societate Missionariorum Africae, Praefectus Ap.cus de *Tukuyu*.

41 - Necrologium

22 febr. 1938, D. Fortunatus de Santa, episcopus Sessuanus.

4 mart. 1938, D. Alafridus Flocard, episcopus Lemovicensis.

5 mart. 1938, D. Henricus O'Leary, archiepiscopus Edmontonensis.

12 mart. 1938, D. Guillelmus Codd, episcopus Fernensis.

13 mart. 1938, E.mus D. Card. Carolus Dalmatius Minoretti, Tit. S. Eusebii, archiepiscopus Januensis.

22 mart. 1938, D. Ioannes Barry, episcopus Gulburnensis.

24 mart. 1938, D. Gilbertus Fuenzalida Guzman, episcopus Ss. Conceptionis.

25 mart. 1938, D. Thomas O'Reilly, episcopus Scrantonensis.

1 apr. 1938, D. Iosephus Ioan. Rice, episcopus Burlingtonensis.

5 apr. 1938, D. Ludovicus Termier, episcopus Tarantasiensis.

5 maii 1938, D. Georgius Delrio, archiepiscopus Arborensis.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

Sac. Culvier Bernardo Alford, J. C. D., *Jus Matrimoniale comparatum.* Jus civile matrimoniale in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis cum Jure canonico comparatum, Roma - New York (A. L. C. I. - P. J. Kenedy and Sons) 1938, 17,5×24,5 cm., VIII-550 p.

Introductio - De capacitate partium contrahentium - De forma matrimonii - De declaratione nullitatis et de coniugum separatione - Res criticae et conclusiones - Appendix - Index schematum.

P. Arrighini A., *Il Dio ignoto: Lo Spirito Santo,* Torino-Roma (Marietti) 1937, 13×20 cm., 461 p., pretium: L. it. 18.

Introduzione - Lo Spirito Santo nella Trinità - Divinità dello Spirito Santo - Lo Spirito Santo: denominazioni - Lo Spirito Santo predetto, manifestato, impugnato - Lo Spirito Santo e la Bibbia - Lo Spirito Santo e Gesù Cristo - Lo Spirito Santo e la Chiesa - Lo Spirito Santo nell'anima per la grazia, per i Sacramenti - Le virtù infuse - I doni - Il dono del timore, della pietà, della scienza, della fortezza, del consiglio, dell'intelletto, della sapienza - Le beatitudini - I frutti - Il culto dello Spirito Santo.

P. Dr. Christophorus Berutti, O. P., *Institutiones Iuris Canonici.* Vol. I: *Normae generales,* Taurini-Romae (Marietti) 1936, 15×22 cm., VIII-183 p., pretium: L. it. 12.

Praenotiones generales - Normae generales: De vi et efficacia C. I. C. (cann. 1-7) - De normis generalibus Iuris Canonici (cann. 8-24).

Idem, *eiusdem operis* vol. III: *De religiosis,* VIII-384 p., pretium: L. it. 25.

Notiones generales - De erectione et suppressione religionis, provinciae, domus - De Religionum legitima conservatione (De

Religionum regimine - De admissione in Religionem - De ratione studiorum in Religionibus clericalibus).

IDEM, *eiusdem operis* vol. VI: *De delictis et poenis,* 1938, IX-258 p., pretium: L. it. 18.

De natura delicti eiusque divisione - De imputabilitate delicti - De iuridicis effectibus delicti - De poenis ecclesiasticis in genere - De Superiore potestatem coactivam habente - De subiecto coactivae potestati obnoxio - De poenarum remissione - De poenis medicinalibus seu de censuris - De poenis vindicativis - De remediis poenalibus et poenitentiis - Index canonum - Index rerum alphabeticus.

RODOLFO BETTAZZI, *Il Sacerdozio secondo un povero laico.* Con lettera di S. Em. il Card. M. FOSSATI e con Prefazione del M. R. can. G. GARNERI, Torino-Roma (Marietti) 1937, 9,5×16 cm., 154 p., pretium: L. it. 3,50.

Lettera di S. Em. il Cardinale Arciv. di Torino - La persona e la missione del Sacerdote - Le virtù del Sacerdote - I doveri del laico verso il Sacerdote.

D. Dr. JOSEPH BROSCH, *Der Heiligsprechungsprozess per viam cultus,* Romae (Typ. Pont. Univ. Gregorianae) 1938, 15,5×24 cm., XI-131 p.

Einleitung - Die geschichtliche Entwicklung des Verfahrens per viam cultus von Urban VIII (1623-1634) bis zu Benedikt XIV (1740-1758) (Die Reform Urbans VIII - Der casus exceptus a Decretis Urbanianis) - Spezielle Aenderungen im Verfahren per viam cultus vom Pontifikat Urban VIII bis zur geltenden Praxis (Der ordo judicialis beim Verfahren super casu excepto im allgemeinen - Die Entwicklung zum geltenden Recht hin).

LOUIS CHAUSSEGROS DE LERY, S. J., *Le Privilège de la Foi.* (Studia Collegii Maximi Immaculatae Conceptionis, fasc. III), Montréal (Coll. Immacul. Concept.) 1938, 16×24,5 cm., XIII-171 p., pretium: $ 1,50.

Notions générales - Un mariage légitime entre personnes non baptisées - Le baptême valide d'une seule partie - Eloignement de la partie infidèle - Les interpellations - La dispense des interpellations - Le nouveau mariage - La faveur du droit - Analyse et synthèse.

MICHEL CHRISTIAN, *Notre-Dame de France.* (Le Voeu de Louis XIII à la Sainte-Vierge). Une page religieuse de notre his-

toire nationale. Souvenir du Tricentenaire 1638-1938. Lettre-préface de S. E. Mgr HARSCOUËT, Paris (Téqui) 1938, 12×18,5 cm., VIII-144 p., pretium: Fr. 10.

PAUL DABIN, S. J., *Principes d'Action catholique,* Paris (Bloud et Gay) 1937, 12×19 cm., 58 p., pretium: Fr. 3.

La doctrine de l'Action catholique - L'organisation de l'Action catholique - Les devoirs de l'Action catholique.

Beato CLAUDIO DE LA COLOMBIÈRE, S. J., *Discorsi Sacri.* Su N. S. G. C., su M. V. Ss., sui Santi, sui Novissimi. Meditazioni, Riflessioni, Diario degli Esercizi, Torino Roma (Marietti) 1937, 11,5×18 cm., 4 volumina quae coniuncte 2538 p. complectuntur, pretio autem L. it. 30 veneunt.

EUG. DUPLESSY, *Dominicales.* Tome IV: *A-propos Evangéliques,* Paris (Téqui) 1937, 12×19 cm., XII-505 p., pretium: Fr. 15.

Chan. P. MAGAUD, *Les Evangiles du Dimanche expliqués et commentés,* Paris (Téqui) 1938, 12×18,5 cm., VI-402 p., pretium: Fr. 15.

Can. H. MAHIEU, S. T. D., *Vitae sanctitate excellatis oportet.* Monita Pii Pp. X et Pii Pp. XI ad Sacerdotes, Brugis (C. Beyaert) 1937, 12×18,5 cm., 152 p., pretium: Fr. sol. 14, relig. 19.

Introductio - Adhortatio ad sanctitatem (Necessitas sanctitatis - In quo consistat sanctitas sacerdotis) - Media acquirendi sanctitatem (Oratio - Pia lectio - Examen conscientiae) - Quaedam subsidia ad servandam sanctitatem (Recessus annuus - Recollectio menstrua - Sacerdotum associationes) - Conclusio - Appendix: SS. D. Pii Pp. X Exhortatio ad clerum catholicum.

MARCEL DE CORTE, *La Philosophie de Gabriel Marcel.* (Cours et documents de philosophie), Paris (Téqui) s. d., 14×23 cm., XI-105 p.

Préface - Exposé de la Philosophie existentielle de M. Gabriel Marcel - Essai critique - Essai d'intégration de l'existentialisme dans l'ontologie réaliste.

P. MATTHAEUS CONTE A CORONATA, O. M. C., *Compendium Iuris Canonici.* Ad usum scholarum. Vol. I, Taurini (Marietti) 1937, 14,5×22 cm., XXIV-675 p., pretium: L. it. 35.

Introductio - Ius Publicum - Normae Generales - De Clericis - De Religiosis - De Laicis.

IDEM, *eiusdem operis* vol. II, 1938, XV-629 p., pretium: L. it. 35.

De Rebus - De Processibus - De Delictis et Poenis.

Mgr. Millot, *Le meilleur moment pour être Prêtre,* Paris (Téqui) 1938, 12×19 cm., ix-194 p., pretium: Fr. 12.

Alfonso M. Montabone, S. J., *Gënn un gesuita medaglia d'oro.* Documenti raccolti da Alfonso M. Montabone, S. J., Torino (Società Editr. Internaz.) 1937, 12,5×19,5 cm., 245 p., pretium: L. it. 8.

P. Gerardus Mulcahy, O. F. M., *De Matrimonio iuxta concordata vigentia,* seu de iuridica matrimonii catholicorum positione in iure internationali hodierno. Dissertatio ad doctoratus gradum obtinendum exhibita, Roma (Desclée) 1938, 17×25 cm., xi-90 p., pretium: L. it. 10.

Introductio - De concordatis vigentibus - De matrimonio iuxta concordata vigentia - Conclusio.

Chan. Henri Pradel, *L'éducation de la politesse.* Préface du T. R. P. Brillet, Paris (Téqui) 1937, 12×19 cm., 141 p., pretium: Fr. 6.

Avant-Propos - L'état de la question - L'amélioration de cet état de choses.

Yves Simon, *Trois leçons sur le travail* (Cours et documents de philosophie), Paris (Téqui) s. d., 14,5×22,5 cm., 71 p.

L. Todesco, *Manuale di Storia della Chiesa,* vol. i: *Dall'istituzione della Chiesa a Bonifacio VIII,* Torino-Roma (Marietti) 1937, 14,5×22 cm., 471 p., pretium: L. it. 25.

Introduzione (Notizie sulla Storia della Chiesa e sulla Storia in generale - Divisione della materia) - Dalla istituzione della Chiesa a Costantino - Da Costantino alla fine dell'Impero Romano d'Occidente - Dalla fine dell'Impero Romano d'Occidente a Carlo Magno - Da Carlo Magno a Gregorio vii - Da Gregorio vii a Bonifacio viii - Tavole cronologiche.

Idem, *eiusdem operis* vol. ii: *Da Bonifacio VIII al secolo XX,* 598 p., pretium: L. it. 30.

Da Bonifacio viii alla Riforma - Il secolo xvi - Dal Protestantesimo alla Rivoluzione - La Rivoluzione e la Ristorante - Pontificati di Pio ix e Leone xiii - Il secolo xx - Tavole cronologiche.

Dr. Joseph Wenner, *Reichskonkordat und Länderkonkordate,* Paderborn (Schöningh) 1937, 12,5×18,5 cm., 108 p., pretium: R. M. 1,20.

Einleitung - Reichskonkordat - Bayerisches Konkordat - Preussisches Konkordat - Badisches Konkordat - Anhaltische

Vereinbarungen - Ausführungsbestimmungen zum Reichskonkordat und sonstige Erlasse.

* * * *Méthode Ascétique de S. Benoit* par un Moine Bénédictin, Bruges-Paris (Beyaert-Castermann) 1937, 15×20,5 cm., 298 p.

* * * *Odoric de Pordenone.* De Venise à Pékin au Moyen Age. (Les beaux voyages d'autrefois). Préface de René Grousset, Paris (Téqui) s. d., 12×18,5 cm., XXVIII-126 p.

* * * *Repertorium Iuridicum Ecclesiasticum* seu Curiae Romanae iurisprudentia universa, post editum Codicem iuris canonici (1918-1931) publici iuris facta, cum canonum ac rerum omnium Indicibus locupletissimis. (Editio altera diligenter recognita et supplemento, usque ad annum 1937 inclusive, aucta), Romae (Apud Ephemerides « Jus Pontificium ») 1937, 19×26,5 cm., 70-24 p., pretium: L. it. 16.

* * * *La Sorcellerie dans les pays de Mission.* Hekserij in de Missielanden. Compte rendu de la XIVe semaine de Missiologie de Louvain. Verslagboek van de XIVe Missiologische week van Leuven (1936), Bruxelles-Paris (L'Edition Universelle - Desclée de Brouwer) 1937, 15,5×23,5 cm., 466 p.

[Articulorum collectio quorum hae sunt inscriptiones:] Rapport d'introduction: la sorcellerie, délimitation du sujet, définition, portée missionnaire - Sorciers et devins-guérisseurs à Madagascar - Aniota et Mambela, ou les hommes-léopards et la répression de la sorcellerie au Congo - Les sorciers comme chefs de rébellion - La sorcellerie appelée Kindoki - La sorcellerie en Afrique Equatoriale française - M. Lévy Bruhl et le prélogisme des Primitifs - Sorcellerie et civilisation européenne aux îles Salomon - La sorcellerie dans l'Inde - Le mauvais oeil dans l'ancien Orient - La sorcellerie dans l'histoire ecclésiastique - La sorcellerie dans la pensée et la pratique des missionnaires d'Orient au XVIe siècle - Appendices - Openingsrede - Het begrip Tooverij in de Vergelijkende Godsdienstwetenschap - Magia en Maleficium in de Moraaltheologie - Magie, Tooverij en Hekserij in de Volkenkunde - Verfijnde vormen van tooverij in de hindoe-javaansche maatschappij - P. Joris van Geel, martelaar in den strijd tegen de Tooverij in de oude Kongo-Missie - De kristelijke leer over ongeluk en dood in den strijd tegen het « buloji » bij de Baloeba - Zwarte Tooverij bij de Noord-Transvaalsche Bavenda - Europeesche Magie in Afrika (Samenvatting) - Tooverij

in Urundi - Tooverij op de Kei-eilanden en op Zuid Nieuw-Guinea.

* * * *Sursum corda*, ou élévations sur l'Ecriture Sainte et les prières de l'Eglise. Sixième edition. Paris (Téqui) 1937, 9,5 × 16 cm., XVI-422 p., pretium: Fr. 10.

II - Ex Periodicis

APOLLINARIS XI (1938), fasc. 1 — BERTRANDUS KURTSCHEID, O. F. M., *De effectibus iuridicis sponsalium secundum ius vigens ecclesiasticum et civile*, p. 36-70 — ANTONIUS HANSSEN, *De sanctione nullitatis in processu canonico*, p. 71-109.

BOLETIN OFICIAL DE LA ACCION CATOLICA ARGENTINA VIII (1938), fasc. 168 (15 april.) — Mons. LUIS CIVARDI, *El Apostolado en el medio es obligatorio*, p. 221-4.

CHRISTUS III (1938), fasc. 30 (maii) — J. GARCÍA GUTIÉRREZ, *Etudios Historicos: El Matrimonio entre Nosotros*, p. 458-63.

LA CITE CHRETIENNE XII (1938), fasc. 272 (30 april.) — AUGUSTIN DRUFOSSE, *L'action catholique et le sens de l'Eglise*, p. 353-4.

COLLECTANEA MECHLINIENSIA XXVII (1938), fasc. 3 (maii) — V. HEYLEN, *De sterilisatione*, p. 263-71.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO XLIX (1938), fasc. 3-4 — GIUSEPPE SPINELLI, *Gli oratori dal secolo XVI al Codex Iuris Canonici* I. Gli oratori privati, p. 105-19.

ESTUDIOS LIX (1938), fasc. 320 (febr.) — HILDEGARD PASCH, *Sobre educaciòn y educadores*, p. 101-12.

IUS PONTIFICIUM XVIII (1938), fasc. 1 — A. TOSO, *De munere Promotoris iustitiae matrimonium accusantis*, p. 3-9. — M. VAN DE KERCKHOVE, O. M. C., *De notione iurisdictionis apud Decretistas et priores Decretalistas*, p. 10-14. — STEPHANUS SIPOS, *De ignorantia legis*, p. 24-56. — F. BERNIER, *De patrimonio paroeciali*, p. 57-64.

IL MONITORE ECCLESIASTICO LXIII (1938), fasc. 4 (april.) — M. PISTOCCHI, *De Censuris in genere*, p. 104-11.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

De occupatione bonorum in locis belli causa desertis

1 - His diebus, belli causa, maior pars hominum, qui extra civitatem Shanghai habitabant, in dissitas et ignotas regiones fugerunt, domus et agros desertissima solitudine relinquentes. Nemo itaque manet qui domus custodiat, agros colat, et fructus vel olera colligat.

Hinc fit, ut refugi pauperes quadam necessitate compulsi, aliique plurimi pecuniae inhiantes, in domus et agros irrumpant, et quae alicuius valoris inveniunt, supellectilem et utensilia domus, fructus et olera agrorum, capiant. Omnia domi consumuntur aut servantur, vel, quod frequentius est, in mercatu palam venduntur.

Auctoritates, quae custodiam domorum agrorumque curare possent, nedum obstent, huiusmodi spoliationi favent, cum exinde vectigalia non minima percipiant.

Porro, christiani nostri numero pauciores inter innumeros paganos, qui non tanti, vel nihili, conscientiam faciunt, versantur. Quorum exemplo facile christiani, spe alicuius lucri allecti, concitantur ad praedam aliquam capiendam vel parvo pretio emendam.

Quid igitur, his in adiunctis, christianis nostris prohiberi, concedi aut tolerari possit? En casus, qui nunc frequenter et missionariis et confessariis solvendi occurrunt.

Pro eorum solutione triplex quaestio nobis est discutienda: De conditione bonorum, quae in locis desertis in-

veniuntur; de spoliatione aut occupatione eorum; tandem de spoliorum emptione.

Condicio bonorum in locis desertis

2 - Bona, quae nunc in locis, belli causa, desertis inveniuntur, quaeque obiectum constituunt generalis et publicae spoliationis, quasi *in triplici stadio* considerari et ad triplicem classem apte reduci possunt.

Bona propria et in loco tuto collocata. Haec sunt omnia, quae in domibus et agris inveniuntur, *in priore stadio*, antequam generalis spoliatio inceperit. Tunc bona sine iniustitia occupari ab aliis, vel in alium locum distrahi, non poterant. Bonorum domini fugerunt quidem, sed cum animo et spe quamprimum redeundi. Interea ergo bona in loco proprio exspectant, et semper ad dominum clamant.

Bona in periculo posita et domino iamiam peritura. Talia fiunt bona omnia, *in altero stadio*, cum iam homines plures in domus et agros irruperunt. *Hoc stadium* incipit a momento, quo facultas data est huiusmodi loca adeundi. Etenim, inspecta natura humana lapsa — maxime si nondum est per baptismum regenerata — non imprudenter et temerarie iudicabit qui sibi persuadeat non defuturos, qui bona in domibus apertis et agris perviis occupare velint. Proh dolor! hoc iudicium temerarium non esse facta et experientia comprobarunt.

De his ergo bonis valent quae ab auctoribus de bonis in naufragio vel incendio perituris tradi solent. Quilibet potest, et ex caritate saepe debet, illa occupare; eaque, ut bonus gestor negotiorum, salva facere et custodire, ut domino comparenti restituantur. Quodsi, facta débita diligentia, dominus inveniri nequeat, tunc qui bona illa occupavit sibi applicare poterit.

Bona derelicta. Derelicta dici possunt bona *in tertio stadio constituta*. Eum in tali statu inveniuntur, ut quasi

physica impotentia domini ad ea recuperanda detur. Hoc eveniet postquam bona in alium locum, puta in mercatum, distracta et dispersa sunt, maxime si cum aliis admiscentur. Quo quidem in casu bona certe non sunt derelicta ex voluntate expressa domini, qui potius illa recuperare in animo habet; sed ex prudenti et rationabili coniectura ipsius voluntatis, posito quod iam in impossibilitate inveniatur bona sua recuperandi. Sic Lugo (*De Iustitia*, d. 6 n. 99) de bonis quae in naufragio proiciuntur, aut in tempestate iactantur, observat: « Qui ea acciperent iuste, animo quaerendi dominum, eique reddendi, possent postea, quaesito domino, et non invento, de illis disponere, sicut de rebus perditis aut derelictis, nam ea quae in tempestate ita iactantur, ut verisimile sit dominos, esto mortem evadant, reversuros non esse, neque alios eorum nomine ad illa quaerenda et recuperanda, verisimile est haberi a dominis pro derelictis ». Porro, qui in hac bellica tempestate fugam ceperunt et bona sua reliquerunt, bene possunt aequiparari navigantibus, qui, ut vitam servent, merces suas in mare proiciunt.

3 - Iuvat huiusmodi doctrinam amplius evolvere. *Duo ad dominium* adquirendum *requiruntur*, nempe *potestas moralis*, seu ius utendi re absque iniuria alterius; atque etiam *potestas aliqua physica ad utendum re illa*. Consequenter deperdi censebitur dominium, quoties amittitur unum ex his duobus elementis, potestas moralis vel potestas ipsa physica. Sicut ferarum dominium deperditur eo ipso quod, per fugam, suam primam libertatem plane recuperant, sic etiam aliarum rerum dominium amittitur, quoties deest in domino potentia physica eis utendi. En quae scribit Lugo: « si res inanimata ita exiit a potestate domini per aliquem casum, ut non possit eam recuperare, eo ipso censebitur res haec recuperasse, ut ita dicam, suam primam libertatem, atque ideo non minus evanuit dominium prius illius rei, quam dominium ferae elapsae per fugam, quam dominus recuperare non potest ». Quare

« quando res ita amissa fuit, ut sive ob distantiam temporis vel loci, impossibile sit quod veniat in meam potestatem vel quod a me recognoscantur ut mea, nemo enim id scit, nec ego potero, licet illam videam, scire vel recordari quod fuerit mea; tunc iam censetur evanuisse omnino meam possessionem, et non esse amplius in meo dominio » (*De Iust.* d. 6 n. 102, 104).

Ex hac ergo doctrina constat rem habendam esse tamquam derelictam eo ipso quod dominus amiserit omnem potestatem rem illam recuperandi.

4 - Sed notat Lugo: « non obesset domino impotentia physica orta ex violentia alicuius iniuste impedientis usum talis rei: quia cum iustitia vel iniustitia actionum humanarum debeat regulari ex illa potestate physica, qua mihi subduntur; debet considerari potestas illa, prout antecedit actiones iustas, vel iniustas aliorum hominum, et solum prout ex rebus ipsis oritur antecedenter ad operationes hominum; alioquin non poterit esse earum operationum regula; regula enim debet antecedere id, quod per ipsam regulandum est » (d. 6 n. 103). Posito ergo quod impotentia physica domini ad usum rei oriatur ex aliqua iniustitia, nequit dici rem esse derelictam. Etenim ab iniustitia cessandum est, et consequenter nondum adest in domino impotentia physica ad usum rei, cum actualis impotentia cessare possit, et debeat, per cessationem iniustae violentiae.

Quae tamen restrictio licet, rite intellecta, vera sit, aliqua indiget explicatione, ne ultra debitos limites et ultra intentionem ipsius Lugonis extendatur.

Non quaelibet iniusta violentia, *ex qua ortum habuit impotentia domini ad usum rei,* impedit quominus res aliqua, licet de facto a domino recuperari iam non possit, dici aut haberi debeat ut derelicta. Sed illa tantum, a qua et ortum habuit et *adhuc pendet* impotentia ad usum, ita ut si cessaret violentia eo ipso cessaret etiam impotentia.

Etenim illa alia violentia iam omnino praeterita, a qua impotentia ortum habuit, sed hic et nunc iam non pendet, certum est quod non impedit quominus res, quae de facto ita est extra potentiam domini ut nulla detur spes prudens eam recuperandi, ab aliis tamquam derelicta haberi et occupari possit. Alioquin, cum de rebus amissis, vacantibus, derelictis vel naufragio aut incendio perditis agitur, distinguendum esset utrum casu amissio rei inventae, mors hominis sine herede et testamento, ferarum fuga, naufragium et incendium evenerint, an culpa aliorum. Haec tamen distinctio fieri non solet. Et merito quidem: Etenim, quod res extra potentiam physicam domini devenerit sive casu sive culpa hominum, factum obiectivum non mutat; dominus aequo modo invenitur impotens ad possidendam rem.

Illa iniustitia, unde impotentia domini ad usum procedit, ius domini violavit, et ius domino semper manet instituendi actionem contra iniustum damnificatorem; qui obligatione tenetur congruam satisfactionem et reparationem praestandi. Sed res distracta vel amissa aut fera liberata, cum extra dominium domini sit, bene poterit ab illis, qui in iniustitia nullam partem habuerunt, occupari.

5 - *Sed* notari oportet, *rem non posse dici aut haberi extra potestatem physicam domini,* nisi postquam nulla prudens spes manet, ut a domino sive per se sive per alios recuperari possit. Quare si, qui rem invenit aut occupat, facta proportionata diligentia, dominum invenire eique eam tradere potest, bona nequeunt dici derelicta.

Sic notant auctores, quod, licet res aliena esset statim incendio peritura, ereptam tamen retinere non possum, sed domino reddere teneor. Etenim, cum rem salvam feci, eo ipso salva facta est domino suo. Actio mea, qua rem salvam feci, ad media pertinet, quibus dominus rem suam posset recuperare. Res ergo nondum erat extra potentiam physicam domini. Ipse ius habeo exigendi a domino pretium laboris impensi, sed rem ei reddere teneor.

Hinc concluditur practice, quod si bona sint « exigui pretii, et dominus (licet cognoscatur) multum distet, tamquam derelicta occupanti adquiruntur » (Lugo d. 6 n. 99). Iure praesumitur dominus malle ut res exigui pretii occupanti cedat, quam ut servetur et ad eum mittatur cum onere solvendi expensas transvectionis vel conservationis, quae valorem rei aequent vel superent.

De bonorum occupatione

6 - *Occupatio*, aut melius spoliatio, bonorum, quam apud nos fieri videmus, *complexive sumpta* iniusta quidem est et verum constituit latrocinium. Eam ergo excusare quolibet titulo non possumus.

Id quoad res, quae servando servari possunt, ut supellex et utensilia domus, ligna, libri, metalla aliaque plura, est manifestum. Bona haec dominum habent, qui fugit quidem sed cum intentione et spe, quamprimum sibi facultas detur, redeundi fac bona sua, in loco ex se tuto relicta, recuperandi. Haec igitur bona nondum sunt derelicta, et nequeunt sine iniustitia ab aliis occupari.

Idem etiam, servata proportione, valet de bonis usu consumptibilibus, quae servari nequeunt. Etenim, licet bona haec, ut caules, lactucae, cucurbitae, melongenae, napi et pepones aut alia cuiusvis generis olera vel legumina, si relinquerentur in agris sine cultura, exsiccarentur et putrefierent, adhuc (n. 5) si quis ea colligit et salva facit, tenebitur ea domino in se vel in aequivalenti reddere.

Qui tamen cum hac intentione et in talibus adiunctis bona haec iamiam peritura collegit, iniuste non egit, et bene potest pretium laboris impensi a domino exigere; sed res domino reddi debet, in se vel in aequivalenti, etenim, ut exstat, ad dominum semper clamat.

7 - Ne haec bona in agris perirent, caritas erga dominum et bonum commune exigebant, ut corpus aliquod vel

organismus constitueretur, qui de colligendis oleribus aliisque fructibus curam haberet. Quod corpus aptius ab auctoritatibus ordinis publici, sed etiam a privatis in illarum defectu, potuit communi consensu constitui et ordinari. Istius corporis esset bona omnia custodire, et quae servari non possent, colligere et iusto pretio vendere. Postea, deductis impensis laboris et custodiae, res, aut pretium, domino servanda esset; et ubi nulla daretur spes ut ille bona sua posset recuperare, ea in communem utilitatem adhibenda. Sed tale corpus de facto non fuit constitutum, nec facile potuisset constitui. Quid ergo de privatis singulis iudicabimus, qui in his adiunctis bona illa occuparunt?

8 - *Qui primi in domus et agros irruperunt,* bona occuparunt, atque ea vel pretium sibi applicuerunt, non indigent iudicio: opinione melioris partis — licet non communi opinione — iam sunt iudicati.

Aliunde ipsi non venient iudicium vel consilium missionarii aut confessarii quaesituri.

Qui vero in hoc primo stadio ad normas iustitiae agere intendunt:

Bona non consumptibilia in domibus relicta occupare per se nequeunt. Haec in domibus tamquam in loco tuto servabantur, ut praesenti calamitate finita, a dominis suis recuperari possent. Nulla ratio iusta, nullus titulus suadere poterat ut ex loco suo in alium distraherentur et extra dominorum suorum potestatem ponerentur.

Bona usu consumptibilia, ut olera et fructus camporum, quae domini adventum, ut ita loquar, exspectare non possint — antea enim, nisi colantur et colligantur, perierint — bene poterant etiam in hoc priore stadio rerum a privatis colligi, *dummodo* seriam et sinceram voluntatem haberent ea in se vel in aequivalenti dominis servandi et reddendi; cum iure utique exigendi congruam remunerationem laboris impensi. Quo in casu non modo iustitia non laeditur, sed caritas exercetur, dum occupans bona,

tamquam prudens gestor negotiorum alterius agit, et bona colligit, custodit vel vendit. Domini rationabiliter non possunt non malle ut olera colligantur et iusto pretio vendantur, vel utilius consumantur, quam ut in agris sine cultura arefacta vel putrefacta pereant sibi et ceteris.

9 - Sed privati, qui de facto agros aliorum invaserunt, hunc modum atque voluntatem certo non fovebant. Nec id exspectari poterat... Quare *iam ab initio alterum exstitit stadium rerum,* quo bona omnia in periculo pereundi dominis suis posita fuere. Consequenter iam ab initio omnia bona, etiam quae servando servari possunt, *per se et sine iniustitia occupare licuisset* illis, qui intentionem, de qua diximus, serio et sincere haberent.

A fortiori *potuissent sine iniustitia occupari in tertio stadio,* in quo plura millia hominum sine ullo scrupulo domus et agros irruperunt, et absolutae rerum omnium spolitationi, sub oculis auctoritatum, certatim vacare coeperunt. Hoc in stadio bona dominis suis nullius valoris sunt, nullius utilitatis, cum certo sint statim peritura. Quare bonum opus facit, qui ex hoc quasi incendio aut communi periculo ea eripere tentat, ut, si fieri possit, dominis salva fiant.

Sic non damnamus christianum illum, qui, in domum suam rediens, videnque domus vicinas desertas, antequam alii spoliare veniant, ipse quae alicuius valoris et utilitatis sunt, uti mensas, lectula atque utensilia alia, occupat, in domo sua servat atque custodit; ea intentione ut, dominis redeuntibus aut comparentibus, ea omnia restituat, sin autem, ea sibi servet. Hoc unum ei imponi debet ut uxorem et filios de hac obligatione sincere *implenda moneat, ne ipsi scandalum patiantur.*

Immo si de oleribus aliisque rebus, quae servari nequeunt, aut exigui sunt valoris, agitur, vix fieri potest *ut in praxi* maneat aliqua obligatio erga dominum. Etenim, cum auctoritates militares non minima exigant vectigalia, lucrum quod ea colligentes poterunt obtinere vix suffi-

cit ad laborem in eorum collectione impensum compensandum. Quare *practice* bona haec aut bona extra potestatem physicam domini posita seu derelicta dicuntur, aut saltem bene praesumitur rationabilis voluntas domini esse ut in utilitatem cedant bonorum civium potius quam in commodum aliorum qui, praetermisso omni iure, ea dilapidarent vel consumerent.

10 - *Sed satis non est iustitiam non laedere.* Aliae etiam virtutes praetermitti non possunt. Porro, si horum bonorum spoliatio complexive sumpta, prout de facto accidit iniusta, seu verum latrocinium est, fieri non potest quin scandalum adsit, si etiam christiani paganis admixti bona huiusmodi occupent. Homines enim facta vident, non intima cordium legunt. Etsi praescripta iustitiae, de quibus diximus, serventur, difficile deerit aliqua species cooperationis aut approbationis illius iniustae spoliationis generalis.

Quapropter christiani avertendi, saltem generatim, sunt a qualibet spoliatione facienda. Praeter rationem allatam, alia accedit non spernenda: Licet hi boni christiani nunc sinceram videantur fovere intentionem rem domino comparenti restituendi, absque temeritate dubitari aut timeri potest de huiusmodi voluntate futura. Qui manus initio continere non potuerunt, quin bona huiusmodi arriperent, facilius eas stringent ne praedam relinquant.

11 - Attamen in casibus quibusdam particularibus, ex iusta causa, et exclusis omni iniustitia et scandalo, inquietandi non sunt christiani qui in hac generali conflagratione aliqua capiant et consumant aut etiam cum moderato lucro vendant. Id tamen fere tantum pauperibus permittendum est: illis nempe qui vix alio medio familiam sustentare possunt, ut qui nunc a labore ex toto vel ex parte cessare coguntur. Quis his pauperibus denegabit facultatem olera quaedam capiendi, quae fere certo a dominis suis non poterunt colligi? Aut quis dicat rationabiliter invitum esse dominum, qui non consentiret ut pauperes

in communi necessitate constituti ea capiant, quae brevi sunt ab aliis hominibus sine ulla forte necessitate arripienda?

His ergo pauperibus non maius onus imponatur quam quod stricta iustitia eis imponat. Maxime post factum ne eis imponamus obligationem restituendi de qua non certo constat.

De emptione spoliorum

12 - Quae de spoliatione dicta sunt, valent, proportione servata, de ipsa spoliorum emptione. Servata proportione dico, nam facilius emptor quam spoliator excusabitur ab iniustitia et scandalo.

Etenim bona quae venduntur, facilius ut derelicta haberi possunt, cum magis extra potestatem physicam domini posita sint. Maxime si in mercatu publico, ut fieri solet, venduntur, et cum bonis ex diversis locis allatis admiscentur. Licet dominus in mercatum veniat, quomodo poterit bona sua recognoscere? Quis poterit scire cuius domini sint, aut ex quo agro procedant hae vel illae lactucae, caules et pepones? Accedit praeterea quod in mercatu bona ablata una cum aliis, quae iusto titulo venduntur, emptori proponuntur.

13 - Etiam emptio spoliorum, complexive sumpta, per se ut iniusta est habenda. Etenim si spoliatio complexive sumpta iusta non est, iniusta erit spoliorum venditio, et consequenter et eorum emptio.

Hinc christiani avertendi sunt ab emendis bonis, quae ablata esse cognuscuntur, sive quia ut talia offeruntur, sive quia adiuncta loci, rei vel personae id manifeste evincunt. Emptor enim aut videbitur cooperari iniustitiae venditoris, aut specie saltem videbitur approbare spoliationem.

Sic nullo modo probari potest, quod christianus quilibet hac nactus occasione, lucrativam mercaturam exerceat, res parvo pretio emendo quas carius postea vendat.

14 - Sed certe admittimus casus non pauciores, quibus licebit bona huiusmodi emere.

Etiamsi constet rem esse furtivam, en quae scribit Lugo: « Si aliquis modico pretio emit rem furtivam eo animo ut eam reddat vero domino, quia videt aliter eam dominum non recuperaturum, aut saltem magnum subesse periculum: tunc emptor censetur utiliter agere negotium domini; atque adeo dominus cogetur solvere illud modicum pretium » (*De Iustitia*, d. 17 n. 2).

Unde per se sine iniustitia, et salvo scandalo, etiam licite agit christianus qui, occasione data, rem aliquam emit parvo pretio, dummodo velit eam, deducto utique illo pretio, domino reddere. Nec casus mutatur eo quod christianus alliciatur spe eam sibi propriam faciendi, si dominus non compareat.

Sic ergo qui cognoscit vendi parvo pretio rem pretiosam, optimum librum, imagine aut rem artis, pulchram supellectilem, excluso omni scandalo, sine ullo scrupulo poterit illam emere. Immo si suspicaretur aut sciret undenam res procederet, cum spe dominum inveniendi, non modo posset, sed ex caritate deberet illam emere, ut hac via dominus rem posset recuperare.

15 - Facilius adhuc concedimus emi posse tuta conscientia bona usu consumptibilia et ad victum ordinarium necessaria, quae palam venduntur in mercatu, licet moralis detur certitudo ea esse furtiva. Etenim in tali casu ea bona ita constituuntur extra omnem physicam potentiam domini sui, ut vix fieri possit ut ea recuperare valeat. Licet dominus ipse in mercatum veniat, et bona videat, certum est quod non poterit scire quae lactucae, caulae aut napi ex eius agro procedant. Unus spoliator rem scire poterit, qui, sine temeritate affirmare audeo, non facile veniet culpam coram domino dicturus.

Hoc tamen non extendam ad emptionem rerum non consumptibilium, ut sunt monilia, supellex aliaque, quae bene servari et a domino comparente dignosci poterunt.

Haec, nisi parvi sint pretii, nonnisi cum intentione et onere restituendi emi possunt.

16 - Si vero dubium est utrum bona sint furtiva necne, licet magna seu vehemens sit praesumptio vel certitudo moralis quod plura furtiva sunt, quae tamen ab aliis non furtivis distingui nequeunt, cum una simul venditioni exponantur: tunc dicimus *generatim* et *practice* licere ea emere. Quo in casu, si de rebus quae servari possunt agitur, et dominus postea compareat qui rem suam recognoscat et exigat, per se iuxta communem sententiam, maneret obligatio rem domino reddendi, et quidem sine iure deducendi pretium solutum. *Practice* tamen ius exigendi pretium solutum concedendum omnino est: In talibus adiunctis, valere debent quae leges civiles, et expresse nova lex sinica (art. 950), statuunt, quod dominus nequeat, nisi soluto pretio, rem suam exigere ab eo qui eam bona fide emit in loco publico vel apud mercatores rerum eiusdem generis. Porro in casu nostro bona haec in publico mercatu venduntur, et quidem coram auctoritatibus, tum militaribus in regionibus occupatis, tum civilibus in utraque Concessione, quae certe non ignorant originem plus minusve spuriam unde bona haec procedunt (cfr. Lugo, *De Iustitia* d. 17 nn. 3-5).

17 - Consequenter christiani nostri bene possunt mercatum adire, et in eo indifferenter emere caules, lactucas, napos, cucurbitas, pastinacas et pepones aliaque cuiusvis generis olera, quae ad victum ordinarium necessaria habent, quin teneantur ullo modo investigare utrum necne venditor ius habeat illa vendendi. Nemo malus nisi probetur. Immo addimus: Practice, cum huiusmodi res generatim exigui pretii sint, et praeterea sint omnino extra potentiam physicam domini, nulla iam manet obligatio inquirendi dominum, aut ei comparenti post consumptionem rerum aliquam restitutionem faciendi. Haec ex dictis abunde iam constant.

Eodem modo permittimus christiano, qui ordinarie harum rerum consumptibilium mercaturam exercet, ut possit emere et vendere bona haec, exceptis illis de quibus ei constet vel constare possit iniuste ea esse ablata. Scandalum in mercatore ordinario facilius abesse potest, aut vitari.

Conclusiones practicae

18 - Iuvat iam, concludendo, aliquas normas practicas proponere pro solutione casuum, qui nunc frequenter occurrere solent.

Generatim et publice docendo: *a*) Christiani avertendi sunt a qualibet occupatione bonorum facienda; 1) ob iniustitiam quae communiter latet in hac generali spoliatione, 2) ob scandalum, quod raro aberit, si christiani exemplum paganorum sequantur, 3) ob periculum, non temerarie formidandum, quominus christiani non pauci minus fideliter, postquam bona occuparunt, propositum teneant dominum comparentem indemnem reddendi, 4) ob honorem Ecclesiae Christi, qui non patitur ut in his exstraordinariis calamitatibus *nomen christianum* peculiari iustitia et sanctitate non splendeat inter paganismi caligines (cfr. *Mtth.* 5, 47).

b) Christianis permitti potest, et generatim debet, ut in foro publico emere possint bona, quae non certo constat iniuste vendi; maxime, si eis ad usus ordinarios opus habeant (n. 17).

c) Extra casum praecedentem, christiani communiter ab emptione spoliorum, ob rationes allatas (*sub a*), averti debent.

d) Aperte damnanda est illa negotiatio, quae *hac occasione* a christianis fieret (n. 13).

e) Communis et publica *insinuatio casuum particularium*, in quibus occupatio vel emptio spoliorum licita est, videtur posse et debere fieri, caute tamen et pruden-

ter. Nisi haec insinuatio fiat, pauperes, qui, necessitate compulsi aut data occasione, aliqua capiant vel emant, persuasionem erroneam et periculosam de peccato et iniustitia gravi sibi efformabunt. Ne abusus oriantur cautelae necessariae sunt: 1) insistere in iniustitia et scandalo vitando, 2) notare causas, quae licitam occupationem bonorum faciunt, ut necessitatem et aliquam occasionem sine ullo periculo scandali oblatam, 3) urgere restitutionis voluntatem, si dominus forte compareat, 4) excludere casus, in quibus solius lucri causa occupatio et emptio fit, 5) enixe commendare ut semper, antea si fieri possit, sin autem postea, missionarium aut confessarium consulant.

19 - *In casibus particularibus*, privatim docendo: *a*) Diligenter singulos casus, quoad omnes circumstantias, considerare convenit. Ne formulis generalioribus contenti simus. Hae enim severitate vel benignitate nimia peccare solent: et, tamquam pharmaca ad omnes curandas infirmitates praeparata, aut nullius aut periculosae efficacitatis sunt.

b) Praestabit ante factum, maxime in permittenda occupatione bonorum, maiore severitate uti. Post factum tamen, in restitutione imponenda, maxime quae domino ipsi fieri nequeat, benignitas commendatur.

Benignitas commendatur etiam erga pauperes, qui necessitate aliqua impelluntur. Suadetur severitas erga eos, qui solius lucri causa ad bona occupanda vel emenda incitantur.

c) *Consulendo*, christiani semper ad altiora excitandi sunt. Nihil in his calamitosissimis temporibus pulchrius, nihil in Corpore Mystico Christi speciosius, quam « communitatis christianae », inter paganos constitutae, caritas cum sacrificio coniuncta.

Sed *praecipiendo*, omni ope vitandum est onera gravia et importabilia in humeros fidelium imponere. Melius semper erit per aliquantulam benignitatem aliquos to-

lerare abusus; quam per nimiam severitatem graviora imponere onera, quibus infirmiores succumbant.

Zikawei - Shanghai, 19 martii 1938.

E. Escanciano S. I.

De Constitutione S. Pii Papae V *Romani Pontificis* (3 Augusti 1571)

(Canonis 1125)

En casus qui occasionem dedit huic dissertationi: Caius paganus ritu patrio duxit in uxorem Caiam. Post aliquot annos vero eam deseruit et cum Sempronia vitam instituit coniugalem. Caia vicissim vivebat cum Titio marito legitimo Titiae. Et ambo coniuges genuerunt filios et filias. Nunc vero illi quatuor sunt catechumeni et petunt baptismum. Sed nec Caius vult Semproniam derelinquere nec Caia Titium.

INDEX NOTARUM

ASS	*Acta Sanctae Sedis.*
APF	*Acta Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.*
CC	*Sacra Congregatio Concilii.*
CIC	*Codex Iuris Canonici.*
CP	*Collectanea Constitutionum, Decretorum, Indultorum ac Instructionum Sanctae Sedis ad Usum Operariorum Apostolicorum Societatis Missionum ad Exteros selecta et ordine digesta...* Parisiis, 1880.
CPF	*Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide seu Decreta, Instructiones, Rescripta pro Apostolicis Missionibus ex Tabulario eiusdem S. Congregationis deprompta...* 1893.
DB	*Decreta, Resolutiones et Instructiones SS. Congregationum super Missionibus et Missionariis Apostolicis collecta iussu Benedicti XIV.*
FTM	*Formula Tertia Maior.*
I	*Ius Canonicum.*
IPF	*Iuris Pontificii de Propaganda Fide, Pars Secunda.*
PF	*Sacra Congregatio de Propaganda Fide.*
SO	*Sacra Congregatio Sancti Officii.*

Doctus quidam vir cum quo de ea re disputabatur, hunc casum intricatissimum modo sequenti solvere voluit. Incipiamus, inquit, ab uno coniuge, e. g. a Caio. De more instructus et baptizatus Caius faciat monitiones canonicas legitimae uxori suae Caiae, quae certe nolet derelinquere Titium. Proinde Caius iungatur in legitimo matrimonio cum Sempronia. Dein modo aliquo simili resolvatur casus Caiae et Titii (1).

Ad corroborandam suam casus solutionem has adduxit auctoritates: « Si coniux infidelis vult quidem converti, sed nullo modo consentit cum parte fideli cohabitare, haec, eo in infidelitate manente, potest uti privilegio Paulino ». Quae vero regula vel principium deducitur ex duobus responsis SO, 8 Iul. 1891; 26 Apr. 1899 (2).

Cum haec solutio casuistica non paucis obiectionibus fiat obnoxia, mihi non libuit docto viro assentire. Nam illa responsa SO spectabant casus particulares; inde illa ad alios casus etiam similes non licet nobis extendere. Dein his responsis opponi potest aliud responsum eiusdem SO non minus clarum, in quo ait: « In hypothesi... vir... retinere priorem uxorem... obstinate recuset, omnino arcendus est a baptismo..... Praeterea nec in catechumenorum numerum... pertinax huiusmodi polygamus recipiendus est » (3). Et de facto Vermeersch ex hoc responso SO oppositam deducit regulam et concludit Caium in casu non posse dispensari (4). Insuper paucis diebus antea eadem SO declaraverat non esse locum privilegio Paulino « quando ambo coniuges baptismum susceperunt, vel suscipere intendunt » 5).

Demum adiuncta casus nostri et dubiorum ad SO propositorum non sunt eadem ita ut similem solutionem patiantur. Nam in primo dubio vir fidelis paratus est reci-

(1) Cf. similem solutionem casus in *Periodica*, X (1922), p. (33).
(2) Cappello. *De Matrimonio*, n. 770/6.
(3) CPF, n. 1354 (20 Iun. 1866); cf. n. 1359 (21 Nov. 1883).
(4) Vermeersch, *De Casu Apostoli*, nn. 88, 90.
(5) CPF, n. 1353 ad VIII (11 iul. 1866).

pere uxorem, si ad eum redeat, dum in nostro casu nec Caia vult redire ad Caium nec Caius vult eam recipere. Notetur etiam verba responsi « dummodo uxor in infidelitate permaneat », quod non obtinet in nostro casu.

Nec minus diversa erant adiuncta alterius dubii. Neophytus enim declaraverat se nunquam voluisse illam mulierem quam dereliquerat sibi sumere in voluntate uxorem. SO respondit tandem aliquando affirmative et ad mentem. « Mens est ut in dubio iudicium sit in favorem fidei ».

Quare nos vicissim casum resolvere proposuimus per constitutionem S. Pii v *Romani Pontificis*, 2 Aug. 1571, de qua in c. 1125. Casum enim hic propositum praecise contemplasse videbatur S. Pius v in illo Brevi, cum permississet ut Indi remanere valerent cum uxoribus cum quibus baptismum susceperant, quia durissimum esset eos separare. Ille vero collocutor noster denegavit hunc esse sensum illius constitutionis et asserere non dubitavit S. Pontificem supposuisse in illis casibus primam uxorem notam non esse, et proinde illam facultatem ad casum hic propositum non facere.

Ut illius asserti veritatem exploremus, nonnulla usitata in scholis commentaria in Codicem IC consulimus. Et quoniam ipsa incerta loquantur, mens fuit ut nosmetipsi inquirere in verum sensum constitutionis *Romani Pontificis* satageremus. Sed hic labor, hoc opus!

BIBLIOGRAPHIA

Fontes

Acta et Decreta Concilii Calcuttensis Primi, 1894; Calcutta, 1905.

Acta et Decreta Concilii Provinciae Bombayensis Primi, 1893; Bombay, 1898.

Acta et Decreta Concilii Provinciae Madraspatanensis Primi, 1894; Trichinopoly, 1905.

Acta Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, Anno 1630-1631, vol. 7; Anno 1670, vol. 39.

Acta Sanctae Sedis.

Appendix ad Bullarium Pontificium Sacrae Congregationis de Propoganda Fide, Romae, Typis Collegii Urbani.

Bullarium Ordinis FF. Minorum S. P. Francisci Capuchinorum a P. F. Michaele a Tugio, t. VII, Romae, 1752.

Collectanea Constitutionum, Decretorum, Indultorum ac Instructionum Sanctae Sedis ad Usum Operariorum Apostolicorum Societatis Missionum ad Exteros..., Parisiis, 1880.

Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide, Romae, 1893.

Compendium Indicum, Romae, 1580.

Compendium Privilegiorum et Gratiarum quae Religiosis Societatis Iesu et aliis Christi Fidelibus, in utriusque Indiae regionibus commorantibus a Summis Pontificibus conceduntur (Compendii Indici editio revisa), Romae, 1737.

Concilium Provinciae Govanae Sextum 1894-1895, Romae, 1895.

Concilium Provinciale Limanum I, 1582-1583.

Collectio Maxima Conciliorum Omnium Hispaniae et Novi Orbis, t. IV, a Iosepho Saenz de Aguirre, Romae, 1593; Editio altera, t. VI, a Iosepho Catalano.

Synodi Occidentales Ann. 1569-1609, Mansi, t. 36 bis, Paris, 1913.

Constitutiones Apostolicae, Brevia, Decreta, etc., pro Missionibus Sinarum, Tunquini, etc., Parisiis, 1676.

Decreta, Resolutiones, et Instructiones SS. Congregationum super Missionibus et Missionariis Apostolicis collecta iussu Benedicti XIV, Mss., 6 vol.

Iuris Pontificii de Propaganda Fide, Pars Secunda, Romae, 1909.

Litterae Apostolicae, quibus Variae Facultates, et Indulgentiae Religiosis Societatis Iesu et Aliis Christi Fidelibus in Indiarum Orientalium et Occidentalium Provinciis conceduntur, Romae, 1585.

Postulata Episcoporum in Ordine Digesta a R. P. Bernardino Klumper, Romae. 1905.

Primum Concilium Sinense, 1924; Zi-Ka-Wei, 1929.

Monita Nankinensia, 2 vol., Zi-Ka-Wei, 1933.

Riassunto delle Osservazioni dei Vescovi e Superiori Regolari al libro III del Codice.

Schema Codicis Iuris Canonici, cum Notis Petri Card. Gasparri, Romae, 1913; *Liber Tertius De Rebus* (desideratur annus ed.).

Thesaurus Resolutionum Sacrae Congregationis Concilii, t. III et IV, Urbini, 1739, 1740.

The Canon Law Digest, Milwaukee, 1934; *The Cumulative Supplement,* 1935-1936, a T. Lincoln Bouscaren.

Auctores

Acosta, Iosephus: *De Procuranda Indorum Salute,* Coloniae Agrippinae, 1596.

Alloza, Ioannes: *Flores Summarum sive Alphabetum Morale,* Leodii, 1665.

Avendano, Didacus de: *Thesaurus Indicus,* t. II, Antverpiae, 1668.

Azpilcueta, Martinus ab, Dr. Navarrus: *Consilia et Responsa, Libri Quinque,* editio prima, Romae, 1590; ed. 2ª, 1595.

Ballerini-Palmieri: *Opus theologicum Morale,* vol. vi. Prati, 1900.

Benedictus xiv: *De Synodo Diocesana,* Prati, 1844; *Quaestiones Canonicae et Morales,* Prati, 1845.

Bouscaren, T. Lincoln: *An inquiry into the practical application of canon 1125 outside of mission territories, Miscellanea Vermeersch,* t. i, p. 279 sq.

Cappello, Felix M.: *Tractatus Canonico-Moralis de Sacramentis,* vol. iii, *De Matrimonio,* Romae, 1933.

Cerqueira, Ludovicus: *Manuale ad Sacramenta Ecclesiae Ministranda,* Nangasaquii, 1605.

Cicognani, Hamletus I.: *Commentarium ad Librum I Codicis,* Romae, 1925.

Colin-Pastells: *Labor Evangelica de los Obreros de la Compañía de Jesús en las Islas Filipinas,* t. i, Barcelona, 1900.

Clericatus, Ioannes: *Decisiones de Matrimonio,* Venetiis, 1706.

De Lugo, Ioannes: *Responsorium Moralium Libri Sex,* Lugduni, 1651.

Feije, Henricus: *De Impedimentis et Dispensationibus Matrimonialibus,* Lovanii, 1885.

Gallo, Thomas A.: *Suppetitiae Evangelii Praeconibus,* vol. iv, Romae, 1872.

Gasparri, Petrus: *Tractatus Canonicus de Matrimonio,* vol. ii, Romae, 1932.

Gonçalez Holguin, Didacus: *Libro Secundo del Vocabulario de la Lengua Quichua del Perú,* Limae, 1608.

Fragoso, Baptista: *Regimen Christianae Reipublicae,* vol. III, Lugduni, 1652.

Harold, Franciscus: *Lima Limitata,* Romae, 1673.

Enriquez, Henricus: *Summa Theologiae Moralis,* t. I, Venetiis, 1600.

Hernaez, Franciscus Javier: *Coleccion de Bulas, Breves y Otros Documentos Relativos a la Iglesia de America y Filipinas,* t. I, Bruselas, 1879.

Joyce, George Hayward: *Christian Marriage,* London, 1933.

Lehmkuhl, Augustinus: *Theologia Moralis,* vol. II, Friburgi, 1914.

Mendieta, Geronimo de: *Historia Ecclesiastica Indiana,* Mexico, 1870.

Michel, P.:*Questions Pratiques sur le Mariage,* Maison-Carrée, 1905.

Morelli, Cyriacus: *Fasti Novi Orbis,* Venetiis, 1776.

Payen, G.: *De Matrimonio in Missionibus ac Potissimum in Sinis,* vol. II, et III, Zi-Ka-Wei, 1929.

Pontius, Basilius: *Tractatus de Sacramento Matrimonii,* Venetiis, 1756.

Ricard, Robert: *La « Conquete Spirituelle » du Mexique,* Paris, 1933.

Rosset, Michael: *De Sacramento Matrimonii Tractatus,* vol. I, 1895.

Sanchez, Thomas: *De Sancto Matrimonii Sacramento,* 2 vol., Viterbii, 1737.

Tejada y Ramiro, Juan: *Colección de Canones de Todos los Concilios de la Iglesia de España y de America,* t. V, Madrid, 1863.

Ursaya, Dominicus: *Disceptationes Ecclesiasticae,* t. VI, Venetiis, 1728.

Vasquez, Gabriel: *Tractatus de Sancto Matrimonii Sacramento,* Lugduni, 1631; *Commentariorum ac Disputationum in I. II. S. Th.* t. I, Lugduni, 1631.

Vera, F. H.: *Apuntamentos Historicos de los Concilios Provinciales Mexicanos,* Mexico, 1893.

Veracruce, Alphonsus a: *Speculum Coniugiorum,* Mediolani, 1599.

Vermeersch, Arthurus: *De Casu Apostoli seu Fidei Privilegio,* Brugis, 1911.

Commentaria de Formulis Facultatum quas S. Congr. de Propaganda Fide concedere solet, Periodica, t. XI (1922), p. (33) sq.

De Canone 1125 eiusque vi extensiva, Periodica, t. XX (1931), p. 1* sq.

VERMEERSCH-CREUSEN: *Epitome Iuris Canonici,* t. II, Mechlinae, 1934.

VERRICELLI, ANGELUS: *Tractatus de Apostolicis Missionibus,* Venetiis, 1656.

VROMANT, G.: *Ius Missionariorum,* t. V, *De Matrimonio,* Louvain, 1931.

De Dispensatione ab interpellationibus in ordine ad Privilegium fidei, Applicationes Practicae Canonis 1125, Periodica, t. XX (1931), p. 108* sq.

WERNZ-VIDAL: *Ius Matrimoniale,* Romae, 1928.

WOODS, FRANCIS F.: *The Constitutions of Canon 1125,* U. S. A., 1935.

ZITELLI, ZEPHYRINUS: *De Dispensationibus Matrimonialibus Commentarii,* Romae, 1887.

I

Fata Constitutionis « Romani Pontificis » historica.

Quamquam Patres Concilii Vaticani et permulti Praesules Ecclesiae, tum ante tum post illud Sacrum Concilium, Sedem Apostolicam rogassent ut ipsa ius canonicum nova quadam ratione ordinaret, atque ad nostram aetatem accommodatius temperaret, tamen s. m. PIUS X statuit, « ut universus episcopatus in gravissimum hoc opus, quod totius catholicae Ecclesiae bonum utilitatemque summopere spectat », concurrerent atque conspirarent (6). In quo praestat CIC ceteris omnibus iuris ecclesiasticis collectionibus, quae unius vel ad summum paucorum opera sunt factae.

Itaque litteris per Secretarium Status die 25 Martii 1904 datis mandavit S. Pontifex, ut singuli Archiepiscopi, auditis Suffraganeis suis aliisque, si qui essent, Ordinariis qui Synodo Provinciali interesse deberent, quamprimum,

(6) Praefatio CIC, p. XXXII sqq.

idest non ultra quatuor menses a receptis litteris, S. Sedi paucis referrent an et quaenam in vigenti iure canonico, sua eorumque sententia, immutatione vel emendatione aliqua prae ceteris indigerent. Insuper singularum nationum Episcopis facultatem tribuit ut unum vel alium virum sacrorum canonum ac theologiae scientia praestantem, ab eisdem Episcopis electum, atque ipsorum sumptibus alendum, Romam mitterent qui consultorum coetui adscribi posset. Quodsi mallent, poterant unum ex illis designare, qui iam a Patribus Cardinalibus Pontifice approbante Consultores electi essent quique in eadem epistola nominatim recensentur, eique sua desideria transmittere cum Consultorum coetui communicanda; vel etiam aliquem e sua natione nominare, qui, licet extra Urbem commorans, per epistolas Consultoribus adiutricem operam aliqua ratione praestaturus esset. Et praecepit, ut quam citius S. Sedem certiorem redderent quid hac de re, collatis consiliis cum ceteris Archiepiscopis eiusdem nationis, communi consensu statutum fuisset (7).

Vota porro Praesulum Ecclesiae ad S. Sedem transmissa in unum collegit unus ex Consultoribus Bernardinus Klumper O. F. M. vocaturque collectio *Postulata Episcoporum in Ordine Digesta,* secundum titulos primi schematis.

Item valde exoptavit Summus Pontifex ut Universitates quoque Studiorum in codificationis opus concurrerent. Hinc litteris per Secretarium Pontificiae Commissionis pro Codificatione, postea Card. Gasparri, die 6 Apr. 1904 datis, mandavit ut unusquisque Rector a suae Universitatis antecessoribus qui iuri canonico tradendo incumbebant pateret quasnam iuris canonici partes in articulos seu canones redigere parati essent (8).

Cum ergo ex collaboratione Professorum Universitatum et Consultorum novi Codicis partes gradatim ad fi-

(7) ASS. vol. xxxvi, p. 604.
(8) ASS. vol. xxxvii, p. 130.

nem adducerentur, idem Pontifex praecepit, « ut de confecto opere Episcoporum totius catholici orbis iudicium exquireretur, itemque Praelati omnes regularium Ordinum, qui legitime ad Oecumenicum Concilium vocari solent, sententiam rogarentur ». Itaque schemata librorum Codicis unum post aliud ad eos Antistites transmissa sunt, ut additis iis scripto animadversionibus quas opportunas iudicassent, condicto tempore ad Apostolicam Sedem remitterentur. « Quae quidem, postquam E.mus Card. Gasparri rite eas expenderat, inque unum collegerat, ad Emos Patres e peculiari Consilio delatae sunt, qui viderent, nunquid, respectis quatenus liceret Episcoporum optatis, esset in canonibus immuntandum » (9).

In animadversionibus ad c. 402 qui est nunc c. 1125 Libri III « Episcopus Panamen. Codici inserendas potius quam simpliciter citandas putat constitutiones pontificias de quibus in canone ' cum de spiritu codificationis est tales referentias vitare '. Consentit provincia Goritien. quia laudatae constitutiones plerisque ignotae sunt: idem postulat Archiepiscopus Hobarten., necnon provincia Salisburgen., provincia Mediolanen., Cardinalis Vico, quia in Codice vitandae omnino sunt remissiones ad antiquas Constitutiones Apostolicas » (10).

Hoc tot Praesulum votum respectum est atque optata documenta pontificia ad calcem Codicis sunt adiecta, nihilo de hoc in textu canonis vel praefatione indicato. Textus vero constitutionis *Romani Pontificis* fuit desumptus ut videtur ex CPF, n. 1306 (CP, n. 919), ac Codici insertus inter Documenta n. VII.

In *Collectaneis Fontium Codicis*, quae, quam primum fieri poterit, edere, unice in studiosorum commodum, promiserat Card. Gasparri finem versus suae Praefationis ad

---

(9) Praefatio CIC, p. XII.
(10) *Riassunto delle Osservazioni dei Vescovi... al lib.* III *del Cod.*, p. 174.

CIC, completus Brevis S. Pii V textus transcribitur ex Appendice ad *Bullarium PF*, vol. I, p. 45.

Antea iam saepius constitutio S. Pii V *Romani Pontificis* fuit in lucem edita. Ipso anno quo data est, eam ad verbum retulit Veracrux in suo opere *Speculum Coniugiorum* (11). Anno 1583 Christophorus Govea vel Gouvea, S. I., Visitator Brasiliae transumptum huius Brevis pontificii misit ad Claudium Aquaviva, Praepositum Generalem Societatis Iesu, qui impetraret a S. Sede extensionem illius privilegii ad Angolam (12). Ludovicus Cerquera, S. I., Iaponensis Episcopus, hoc idem Breve impressum tradidit in suo *Manuali ad Sacramenta Ecclesia administranda*, p. 155.

Tria ista transumpta pendent ab uno textu originali. In omnibus enim inter se conveniunt, salvis perpaucis mendis quae in transcriptione irrepere solent.

Ab altero textu typico pendent transumpta *Bullarii Romani* ex quo ad verbum refert Michael a Tugio in suo *Bullario Ordinis FF. Minorum Capuccinorum* t. vii, p. 103, et illius parvi collectanei *Constitutionum Ap., Brevium... etc. pro Missionibus Sinarum, Tunquini, etc. missorum*, P. v, p. 1.

Tertio loco venit textus Appendicis *Bullarii PF*. Undenam illum desumpserit non refert compilator, sed in genere monet lectorem Constitutiones Romanorum Pontificum in Appendice contentas fuisse repertas in tabulario PF. Iam ante Codicem hic textus fere communis apud auctores evasit. Ipsa CP textum Brevis S. Pii V desumit non ex antiqua collectione *Constitutionum Ap., Brevium, etc.* missionum suarum, sed ex Appendice *Bullarii PF*.

Variationes in tribus textus typicis intactum relinquunt privilegium a Pio V concessum. Praeter additionem vel omissionem particulae « et », « de » hinc inde, quaedam verba e. g. « salutis, haesitationis, praemittitur, ha-

(11) O. c. P. iii, art. 18 concl. 5, p. 357.
(12) In Archivio S. I. Opp. NN. 158, De Lugo *Collect. Tract. Moral.*, f. 238.

beant » sine sensus detrimento mutantur in « salubri, dubitationis, praefertur, valeant ». Solum unus casus omissionis verbi occurrit. In praeambulo textus Appendicis *Bullarii PF* post verba « ad fidem conversorum » desunt « et convertendorum », quod ceterum in nihilo immutat sensum.

Quibus praemissis, en textus constitutionis S. Pii V, *Romani Pontificis*, 2 Aug. 1571:

Ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontificis aequa et circumspecta providentia, ne ea quae pro salubri (*salutis*) Indorum noviter ad fidem conversorum (*et convertendorum*) directione sanciri debent et terminari, alicuius haesitationis scrupulo subiaceant, declarationibus et aliis opportunis consuevit providere remediis. Cum itaque, sicut accepimus, Indis in sua infidelitate manentibus plures permittantur uxores, quas ipsi etiam levissimis de causis repudiant, hinc factum est quod recipientibus baptismum permissum sit permanere cum ea uxore, quae simul cum marito baptizata existit; et quia saepenumero contingit illam non esse primam coniugem, unde tam ministri quam Episcopi gravissimis scrupulis torquentur, existimantes illud non esse verum matrimonium; sed quia durissimum esset separare eos ab uxoribus, cum quibus Indi baptismum susceperunt, maxime quia difficillimum foret primam coniugem reperire: ideo Nos, statui dictorum paterno affectu benigne consulere, atque ipsos Episcopos et ministros ab huiusmodi scrupulis eximere volentes, motu proprio et ex certa scientia Nostra, ac apostolicae potestatis plenitudine, ut Indi, sic ut praemittitur baptizati, et in futurum baptizandi, cum uxore, quae cum ipsis fuerit baptizata et baptizabitur, remanere valeant, tamquam cum uxore legitima, aliis dimissis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, declaramus, matrimoniumque huiusmodi inter eos legitime consistere, sicque per quoscumque Iudices et Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari ac deffiniri debere etsi secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus, non obstantibus quibusvis Apostolicis ac in Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 2 Aug. 1571.

Lecta constitutione, haec naturaliter occurrit menti quaestio: Quinam sunt illi ministri et Episcopi qui expetierunt hanc facultatem? Quamvis obvia sit quaestio, responsio est difficillima. Nam scriptores silent de hac re, nec relativa documenta in archiviis Curiae Romanae inveniri poterant.

Saltem, quinam est ille peculiaris locus pro quo ista constitutio dicitur scripta in c. 1125?

Nec huic quaestioni verbo responderi potest. VASQUEZ primus omnium asserit illam esse datam pro Nova Hispania seu Mexico (13); et plerique auctores illum sine haesitatione sequuntur. Sed VERACRUX, qui per multos annos in Mexico missionarius exstiterat, quique primus, ut dictum est, hanc constitutionem pontificiam evulgaverat, altum tenet silentium de loco pro quo illa fuerat scripta.

Et IOSEPHUS ACOSTA, S. I., qui duos annos in vinea Domini Mexicana laboraverat, quique hoc privilegium de quo in dicto Brevi, summarie refert, pariter silet de eius destinatione (14).

E contra, Concilium Prov. Limanum I recenset constitutionem hanc inter privilegia per Romanos Pontifices Indis concessa atque addidit illas Litterae Ap. in archivio Ecclesiae Civitatis Regum asservari (15). Utrum haec Ecclesia primitus illas litteras acceperit, an per communicationem privilegiorum acquisierit, adhuc nos latet, cum auctores etiam Americani qui post illud concilium de hoc privilegio sermonem faciunt, illas quaestiones silentio praetereant.

Ex altera parte, HENRICUS HENRIQUEZ, S. I., Salmanticensis tradit quosdam regulares habere privilegium a Pio V

(13) Vide p. 315.
(14) ACOSTA: *De Procuranda Salute*, lib. VI, cap. 21.
(15) Vide n. 98.

dispensandi ut polygamus possit manere cum secunda simul conversa uxore (16). Quinam sunt isti regulares? Cui quaestioni auctor ipse nullum dat responsum, sed in nota ad illa verba adiecta refert sempliciter ad Veracrucem!

Quae minima notitia de destinatione Brevis S. Pii V *Romani Pontificis* in dies oblivioni mandata fuit. Generatim auctores de illa quaestione nullam instituunt inquisitionem, sed ut plurimum loquuntur « de constitutione Romani Pontificis vel S. Pii V ». Et ipsa Concilia Provincialia Goan., Calcutten., Bombay., et Madras., saeculi XIX sine haesitationis scrupulo affirmant S. Pium V dedisse hanc constitutionem « pro India » (17)! Forse Patres dictorum Conciliorum ad hanc conclusionem pervenerunt facili ratiocinio, quod « Indi » de quibus in dicta constitutione, debeant inveniri vel habitare tantum in « India ». Nec aliter loquitur Lehmkuhl (18).

Codex ipse hanc obscuritatem quam decursus saeculorum congessit atque involvit circa constitutionem S. Pii V *Romani Pontificis* dispellere noluit, cum verbis tantum generalibus concinnaverit canonem 1125: Constitutio S. Pii V *Romani Pontificis*, 2 Aug. 1571 pro peculiari loco scripta, ad alias quoque regiones in eisdem adiunctis extenditur.

Quae discordantia ad concordiam revocare, et obscuris aliquantulum lucis afferre posse videntur sequentia facta historica.

ALEXANDER VI motu proprio donavit et assignavit in perpetuum Ferdinando Regi, et Elisabethae Reginae Castellae, Legionis, etc., et eorum haeredibus et successoribus « omnes insulas et terras firmas inventas et inveniendas, detectas et detegendas, versus Occidentem et Meri-

---

(16) HENRIQUEZ: *Summa Theol. Moral.*, t. I, lib. XI, cap. 8, n. 5, p. 659.

(17) *Conc. Prov. Goan.* VI., cap. 41, p. 89 *Acta et Decreta Concilii Calcuttens.* I, p. 150; *Acta et Decreta Concilii Prov. Bombay.*, p. 210, n. 3; *Acta et Decreta Concilii Prov. Madras.*, 131, art. 3.

(18) LEHMKUHL, *Theol. Moral.*, vol. II, n. 930, p. 535.

diem, fabricando et construendo unam lineam a Polo Arctico... ad Polum Antarcticum... sive terrae firmae et insulae et inveniendae sunt versus Indiam, aut versus aliam quamcumque partem, quae linea distet a qualibet Insularum, quae vulgariter nuncupantur de los Azores y Cabo Verde centum leucis versus Occidentem et Meridiem.... quae per alium Regem aut Principem Christianum non fuerint actualiter possessae usque ad diem Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi proxime praeteritum » sc. anni 1492 (19).

Ditiones seu coloniae Hispanorum ultra hanc partitionis lineam vocabantur nomine commodo « Indiae Occidentales », dum coloniae Lusitanorum citra eamdem lineam veniebant nomine « Indiae Orientales ». Inde in prima constitutione pontificia canonis 1125, quae spectabat colonias Hispanorum, sic exorditur Paulus III: « Venerabilibus Fratribus Universis Episcopis Occidentis et Meridionalis Indiae Salutem... ».

Sed sequenti anno die 7 Iun., Reges Castellae et Lusitaniae convenerunt in oppido de Tordesillas ut linea Alexandrina amoveretur ad Occidentem per 250 leucas; et cum anno 1500 Brasilia cessisset Lusitanis, illa commoda designatio Indiae Orientalis et Occidentalis ambiguitates parere incepit. Ideo necesse erat ut omnes gratiae et facultates Orientalis Indiae ad Brasiliam extenderentur per speciale decretum pontificium.

Paulatim vero ex illa terminologia augebatur confusio. Quam confusionem ut tolleret Gregorius XIII, die 11 Oct.

---

(19) *Inter caetera*, 4 Maii, 1493; quae confirmantur in Brevi *Dudum siquidem*, 25 Sept. 1493. Haec est illa linea famosa qua Alexander VI creditur dividisse mundum in dua hemispheria, atque orientale concedisse Lusitanis, occidentale vero Hispanis. Mens Pontificis fuit longe alia, scil. ad evitandas discordias inter principes catholicos determinare punctum a quo adversis proris hi per Occidentem, illi per Orientem transfretarent. Cum ex adversa parte Orbis nulla statuta fuisset linea separationis, sic navigantes pari iure poterant Lusitani et Hispani detectas terras occupare. Et de facto Castellani per Occidentem et Meridiem detegerunt atque occupaverunt Insulas Philippinas et Moluccas in Oriente.

Cf. Morelli: *Fasti Novi Orbis*, ordinatio X, p. 63; Hernaez: *Coleccion de Bulas*... t. I, p. 15.

1579 decrevit nomine Indiae Orientalis quoad gratiarum communicationem intelligendas esse omnes regiones et insulas, quae ultra Mauritianam Austrum versus Orientemque, ad Regem Portugalliae spectarent, sive iure dominii, sive conquistae (ut vocant), sive commercii et navigationis; nomine autem Indiae Occidentalis, quidquid eodem iure, Occidentem versus ultra Fortunatas Insulas, et eas, quas Tertiarias appellant, sive ad Regem Catholicum, sive ad Portugalliae pertinerent (20).

Haec porro declaratio sensus vocum Indiae Orientalis et Occidentalis spectabat concessionem gratiarum pontificiam, simul tamen afficiebat communicationem privilegiorum.

Dabatur autem duplex communicatio gratiarum vel privilegiorum, altera inter Indias Orientales et Occidentales, altera varios Ordines Regulares in iisdem regionibus laborantes.

Sic, Pius v gratias et facultates presbyteris regularibus S. I. in India Orientali consistentibus concessas extendit et communicavit ad membra eiudem Societatis in Occidentali India consistentibus, ut refert Gregorius XIII in Brevi *Rationi convenit*, die 10 Febr. 1579 dato. Et ipse vicissim gratias et facultates quae consistentibus in India Occidentali et Provinciis Brasiliae et Peru erant concessae et concedendae eis qui in Orientalis Indiae Provinciis erant concedit et communicavit et omnia sic concessa et concedenda ad Novae Hispaniae Provinciam extendit (21).

Praeterea idem Pius v in Bulla *Dum indefessae* die 7 Iul. 1571 data Societati Iesu concesserat ut aequo primo et principaliter gaudere posset omnibus et quibuscumque gratiis et privilegiis concessis aut concedendis a Sede Ap. omnibus ordinibus Mendicantibus et non Mendicantibus, Congregationibus, Conventis, Capitulis, Confraternitatibus,

---

(20) *Compendium Indicum*, p. 18.
(21) *Litterae Ap. quibus Variae Facultates...*, p. 58.

Hospitalibus, Ordinibus Militaribus et aliis piis locis ac personis, dummodo eius professionis regulari observantiae contrariae non essent. Hinc fiebat, ut multa ex privilegiis quae Societati Iesu ad tempus concessa erant, fierent perpetua ratione illius communicationis, si in perpetuum alicui e Religionibus aut piis locis concederentur aut concessa invenirentur (22).

Nec hoc erat proprium Societati Iesu quae frueretur privilegiis aliis concessis. Erat enim institutum iuris communis haec communicatio privilegiorum inter omnes Ordines Regulares sive Mendicantes sive non. Quot perturbationes et confusiones in iure inducere potuerit hoc institutum singulare, nemo non videt et optima ratione ergo CIC hoc provide suppressit (c. 613). Hinc non erat facile scitu quis quid privilegii vel facultatis haberet aut potius non haberet.

Idcirco ex illo instituto communicationis gratiarum et privilegiorum petenda esse videtur ratio cur Concilium Prov. Limanum I constitutionem S. Pii v *Romani Pontificis* recensuerit inter privilegia Indorum, cur Cerqueira eam parochis Iaponiae tradiderit, et cur Patres Conciliorum Provincialium Indiae Orientalis asseruerint eam esse datam pro India.

Certissimum tamen est iam ante responsum SO ad dubia circa matrimonia Iaponum die 17 Iul. 1669 datum (23) constitutionem S. Pii v *Romani Pontificis* fuisse extensam ad omnes regiones regibus Lusitaniae et Hispaniae subiectas.

---

(22) *Compendium Privilegiorum et Gratiarum...* (*Compend. Indicum*, Ed. retractata), p. 68.

(23) Vide P. III, a. I.

II

Constitutio « Romani Pontificis » apud auctores.

« Doctorum opiniones ad Ecclesiae decreta sunt exigendae, non ipsa decreta ad opinantium libitum inflectenda ». CPF. n. 571, vi.

Liceat iam ab initio lectorem monere nullum esse ante Codicem auctorem qui data opera inquirat quid per hanc constitutionem sit concessum et sub quibusnam conditionibus. Ratio huius facti singularis ex illo iuris principio petenda esse videtur quod prohibet extentionem privilegiorum certas quasdam regiones tantummodo spectantium ad alias regiones « quantumvis rationis et circumstantiarum paritas, aut identitas id suadere videatur » (24).

Inde non multum interfuit auctorum de hac tractare Constitutione in suis commentariis in re morali et canonica ut plurimum ad eos destinatis qui hac constitutione non gaudebant. Tamen eam non omnino praeteribant silentio, sed in duplici vel triplici controversia eam adducunt in exemplum, interpretantes eam secundum subiectam materiam in sensu suo in quo abundant. Prima ex illis controversiis est illa quae versatur circa modum se gerendi coniugum orto dubio de valore sui matrimonii.

I

Primus nostram constitutionem in hanc controversiam adduxit, eiusque textum ad litteram transcribendo aliis notum fecit Alphonsus Gutierez, O. S. A. (1504-1584) vulgo nuncupatus Alphonsus a Vera Cruce vel simpliciter Veracrux, eo quod in civitate eiusdem nominis in Novo Orbe Religioni nomen dedisset. Strenuus Evangelii praedicator, fortiorque Indorum atque Mendicantium defensor

(24) Bened. xiv, *De Syn. Dioec.*, l. 13, cap. 21, n. 6.

iurium exstit per plures annos. Scripsitque plurima opera quae inter fama eminet *Speculum Coniugiorum*. Quod opus iure merito cum magno doctorum plausu (primo) receptum fuit anno 1556, brevitate non minus quam claritate conspicuum. Et magnum conciliavit nomen auctori qui *Oraculum Mexicum* dicitur (25).

In quo opere docet cl. auctor infidelium Novi Orbis matrimonia esse vera et legitima, cum contraherent vir et femina secundum mores suos, voluntarie, ad prolis procreationem et operum communicationem (26); indissolubilitatem matrimonii sive fidelium sive infidelium non esse de iure naturae sed de iure divino Evangelico, Christo praecipiente et declarante indissolubilitatem (27). Consequenter si in aliquo casu matrimonium legitimum dissolvatur sive fidelium sive infidelium, hoc esse solum ex interpretatione verborum Christi in quibus ipse qui indissolubilitatem matrimonii praeceperat, hoc dissolvi posse declaraverit (28).

Ex quo principio concludit matrimonium non consummatum inter fideles solum per ingressum in religionem, non autem per dispensationem Pontificis dissolvi posse. « Et quidem si posset Papa dispensare, quare et Episcopus non potest in sua dioecesi nisi sit ei interdictum »? Et haec interdictio nullibi legitur (29). Matrimonium autem infidelium consummatum dissolvi posse in tribus casibus in 1. Cor. 7 positis; quasi alius non esset revelationis fons!

Secundum morem sui temporis, agens moralistam simul et canonistam quaerit Veracrux in P. III, a. 18, « An liceat in dubio sicut reddere debitum, etiam petere ». Et respondet distinguendo, ut planum est. Et in distinctione vel conclusione 5, haec habet: « Si quis bona fide contraxit matrimonium putans priorem mortuum coniugem, si facta

(25) Juan de la Concepcion, *Historia General de Philippinas*, t. II, p. 52.
(26) O. c. P. II, a. 2.
(27) Ibid. a. 28, conclusio 1.
(28) Ibid. p. 268, concl. 2.
(29) Ibid. 269, concl. 3.

diligentia non potest invenire veritatem, sed manet semper in dubio, non solum potest reddere, sed exigere sine peccato ». Dein probationes adducit et in fine ait: « Haec conclusio sit asserta contra communem opinionem, salvo semper meliori iudicio, apud me tamen dubium non est ».

Haec omnia iam in duobus prioribus habebantur editionibus. In tertia autem editione, Compluti anno 1572 excusa, cuius non est nisi nova impressio editio Mediolanensis quam prae oculis habemus, lectore monito, haec adiungit asterisco distincta: « Etiam si egregius vir F. Antonius de Cordova minorita in suo libro 3 de conscientia q. 8 non probet, et eam impugnare contendat, verum pro ea facit Summus Pontifex Pius Quintus, qui proprium motum dedit praesenti anno in haec verba ». Et transcribit ad litteram Breve S. Pii V et prosequitur:

> « Certum est Summum Pontificem loqui quando prima inveniri non potest, nam alias esset contra ius naturae et Divinum diffinire, ut constat in cap. Gaudemus, Extra, de divortiis intelligi: ergo debet Summus Pontifex quando sic est dubium, quod prima inveniri non potest moraliter; tunc enim melior est conditio possidentis ut in 5. conclusione dicitur ».

Quibus in verbis apparet non levis praeoccupatio auctoris. Ipse enim videtur bene perspicere genuinam vim Brevis, in quantum excedat dispositionem iuris communis in cap. Gaudemus expressam. Quod non poterat facere Romanus Pontifex nisi exercendo suam specialem potestatem. Sed ut vidimus supra, Veracrux non agnoscit ei ullam potestatem in matrimonia infidelium nisi per privilegium Paulinum. En difficultas cuius facilem proponit solutionem. Scilicet e contextu evellit hanc phrasim: « maxime quia difficillimum foret primam coniugem reperire », quam exprimit suis verbis: « quando prima inveniri non potest »; quasi tota vis Brevis in ea constitisset! Quodque « debet Summus Pontifex » ipse supponere. Et sic credidit se evitasse difficultatem simulque roborasse suam sententiam.

Quam a priori sit haec Brevis interpretatio nemo non videt, tamen ad haec nostra tempora repeti non destitit. Incumbebat cl. doctori inquirere non quid deberet Summus Pontifex supponere et facere sed potius quid de facto dixisset et fecisset.

Cum in sequentibus mentio fiat frequenter de cap. Gaudemus, huius ipsa semel audire verba lectori non erit ingratum. Episcopus Tiberiensis petierat ab Innocentio III per scripturam edoceri quid ipse deberet facere, si neoconversi coniuges invenirentur in secundo vel tertio vel ulteriori gradu coniuncti. Postquam disposuit quid in casu deberet fieri, haec ultro addidit Pontifex verba, quae petra exstiterunt scandali:

« Qui autem secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem quum tale repudium veritas in evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente licite poterit aliam, etiam ad fidem Christi conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut... *C. 8, x, de divortiis,* IV, *19.* »

Ex contextu apparet hic agi de iure communi, a quo nec dispensatio fuit quaesita nec denegata. Et multo minus ibi quidquam de Romani Pontificis potestate ad solvenda matrimonia in infidelitate consummata fuit decisum.

Ut dictum est superius, VERACRUX proposuerat suam sententiam ut sibi certam; memor tamen modestiae addiderat clausunculam: « salvo semper meliori iudicio ». Quod melius iudicium non multum tardavit prodire.

In suo *Commentario in* I-II *S. Th.* q. XI a. 6 GABRIEL VASQUEZ, S. I. (1551-1604) disputat per longum et latum quid faciendum sit in dubio iuris vel facti, pro implenda obligatione et fruendo iure. Tandem aliquando venit ad hunc casum peculiarem scil. de dubio circa mortem prioris coniugis considerandum. Quidam ut SOTO et VERACRUX dixerant integrum esse coniugibus, facta investigatione et adhuc manente dubio, reddere et petere debitum (30).

(30) O. c. q. XIX, a. VI, disp. 66, cap. 3, n. 12, 15; p. 310, 311.

Vasquez autem distinguit et docet « coniugem qui dubitat de firmitate matrimonii, petenti bona fide reddere debere, sed non posse ab eo petere, sive bona fide, sive mala fide cum ipso dubio contraxerit, sive dubius sit ante inquisitionem, sive post inquisitionem dubius permaneat» (31); quia in dubiis tutior est pars eligenda, « et hac ratione tutius est non petere, quam petere debitum » (32).

Liceitatem autem reddendi petenti deducit ex alio principio nempe « ex duobus malis minus est eligendum ». Et observat « in hoc casu peculiari de dubio circa mortem prioris coniugis, magni momenti esse possessionem, ratione cuius causa posterioris matrimonii multo maior et potior est, ita ut sit maius malum non reddere petenti qui est in possessione secundi matrimonii, quam exponere se periculo incontinentiae et adulterii contra primum matrimonium... et ex alia parte maior est obligatio iustitiae, ex iure matrimonii, quam castitatis, ergo tutior pars est reddere petenti, quam negare » (33).

Evidenter non omnia sunt clara in ista doctrina, nec desunt difficultates quas aggreditur Vasquez in cap. sequenti, n. 25. Ad nos pertinet tantum prima obiectio quae provenit ex definitione « Pii quinti in quodam motu proprio pro Indiis novae Hispaniae concesso quem refert fr. a Veracruce...: fuit enim propositum Pontifici, multos ex gentilitate ad fidem conversos manere cum ultima uxore, quia invenire non posset primam ».

Hucusque suis refert verbis partem Brevis narrativam; notentur quae addat deinde ex subiecta materia: « etiamsi certi non essent de morte primae uxoris ».

Sequitur pars dispositiva: « Concessit autem Pontifex, ut relictis aliis, cum ultima illa permanerent, quae conversa esset ad fidem ».

Dein subiungit interpretationem huius dispositionis

(31) L. c. cap. 4, n. 17, p. 311.
(32) Ibid. n. 21, p. 312.
(33) Ibid. n. 24, p. 312.

pontificiae a quibusdam propositam, quae facit contra suam sententiam:

« Hoc autem non videtur alia ratione definitum, nisi quia adhibita sufficienti diligentia, inveniri non poterat prima uxor, ac proinde iuxta doctrinam Soti, si adhibita sufficienti diligentia deponi non poterat dubium, liberum esset reddere et petere ».

Difficultati sic efformatae duplex dat responsum Vasquez. Primo reiicit rationem adversam eo quod ducat ad absurdum. Ait enim: « Et quidem si ita definitum esset, ut argumentum contendit, non tantum illi qui bona fide contraxerunt, possent reddere et petere, quando, adhibito sufficiente examine et diligentia, non potuit dubium definiri; sed etiam illi qui mala fide contraxerunt, possent eodem modo reddere et petere; quod hactenus nullus ausus est dicere: etenim infideles illi cum omnibus aliis uxoribus praeter primam mala fide contraxerunt ».

Secundo, veram rationem qua hoc definitum fuit a Pontifice ipse detegit et sic exponit:

« Pontifex igitur alia ratione id concessit: nam iuxta definitionem cap. Gaudemus, de divortiis, quoties alter coniugum manens in infidelitate, altero ad fidem converso, non vult habitare simul, aut non vult habitare sine contumelia creatoris, potest conversus ad fidem dissolvere matrimonium, contrahendo aut manendo cum alia uxore. Quam sententiam colligit ibidem Pontifex ex Apostolo ».

Ad quod ius commune trahit constitutionem Pii v et concludit:

« Et quia iure praesumetur, uxores illas, quae ab Indis inveniri non poterant, nolle habitare cum coniugibus ad fidem conversis, aut non sine contumelia creatoris habitare velle, ideo Pontifex iudicavit, posse dissolvi primum matrimonium, et ita conversum ad fidem posse manere cum uxore alia ».

Quae verba clare ostendunt Vasquez eodem praeiudicio laborare ac Veracrux, nempe nihil concedendum esse

Brevi ultra cap. Gaudemus. Inde dispositionem huius capitis in Breve nostrum transfert amboque pari modo explicat, quamvis sint dissimilia. Et ex facto quod non inveniantur uxores concludit (et quidem nomine iuris ipsius) ad earumdem intentionem pacifice non cohabitandi!

Nil mirandum est ergo quod WERNZ dicit interpretationem Vasquez non esse accuratam (34).

Tamen interpretationem Vasquez libenter sequuntur SANCHEZ (35) et PONTIUS (36). Cum tres isti doctores non parvae exstiterint in scholis auctoritatis, quot sequaces saeculorum decursu sint consecuti, quis potest dicere? (37).

II

Haud aliter sentiebant de nostra constitutione duo magni nominis auctores, qui scripserunt fere hoc tempore in tam dissitis inter se locis, ut sunt Roma et Lima.

MARTINUS AB AZPILCUETA O. S. A. (1493-1586), dictus facili enuntiatu nomine DR. NAVARRUS, avunculus S. F. Xaverii, fuit omnium eruditissimus sui temporis theologorum, « tantique ab omnibus aestimabatur eius eruditio et prudentia, ut responsa ipsius oraculorum instar haberentur et quilibet, qui in aliqua facultate excelleret, alter Navarrus appellaretur » (38). Proin, ex toto orbe terrarum ad eum mittebantur casus, difficultates et dubia in re morali et canonica resolvenda. Sua vero responsa semper scripto dabat. A pluribus rogatus ut saltem aliqua ex istis responsis ederet, « anno aetatis suae nonagesimo primo tam pium opus incipere » decrevit (39). Sed ad meliora anno 1586 evolans inceptum opus reliquit imperfectum.

---

(34) WERNZ-VIDAL: *Ius Matr.* p. 769, not. (81). Wernz tamen illam interpretationem tribuit Sanchez, qui re vera sequitur Vasquez.

(35) *De Sacr. Matrim.* lib. II, disp. 41, nn. 44, 53; lib. VII, disp. 74, n. 13.

(36) *De Sacr. Matrim.* lib. X, cap. 15, n. 10.

(37) Cf. PF, P.ii, n. 93, § 7.

(38) HURTER: *Nomenclator Literarius,* Vol. III, col. 345.

(39) NAVARRUS, *Consilia sive responsa,* edit. 2, Exemplum Epistolae quae post primam huius operis editionem in D.ris Navarri scriniis est reperta.

Quod opus Dr. MARTINUS DE ARRAYA permultis cum illo « mutuae propinquitatis et benevolentiae ac necessitudinis vinculis coniunctissimus » perfecit atque in lucem edidit anno 1590, responsis iuxta ordinem Decretalium dispositis, sub titulo: *Doctoris Navarri Consiliorum sive Responsorum Libri Quinque.*

Consilium II cap. de conversione infidel. lib. III, versatur circa Breve S. Pii v. Quando autem hoc responsum scripserit NAVARRUS, et utrum illud ipse reviserit non constat.

Casus autem, forse a quodam Missionario missus, sic se habet:

« Indus in infidelitate existens repudiata prima uxore legitima, aliam, et deinceps alias duxit.

Alius item infidelis constante matrimonio legitimo cum prima, etiam alias duxit uxores, quibus simul cohabitavit.

Deinde cum una ex super inductis a se uxoribus ad fidem conversus sacrum baptisma cum illa suscepit, prima uxore legitima in infidelitatis errore perseverante.

Quaeritur, an declaratio Apostolica et decretum permittens, ut vir sic baptizatus cum uxore sic baptizata remanere habeat tamquam cum legitima uxore, caeteris dimissis, utque tale matrimonium consistat, ita operetur, ut necesse non sit primam uxorem legitimam prius monere, expectare et eius voluntatem explorare num ad veritatis lumen accedere, baptizari et cum viro suo converso uti legitima uxor cohabitare velit ».

Etsi nec casus nec resolutio designent declarationem Apostolicam die vel titulo, nullum tamen potest esse dubium quin hic agatur de Brevi S. Pii v, *Romani Pontificis.*

In prima parte sui responsi probat NAVARRUS ex classicis iuris canonici textibus necessitatem monendi primam uxorem, etsi non iudicialiter et prosequitur:

« Praesupposito igitur, quod requiratur praedicta monitio, rogatio vel interrogatio, ad dubium propositum respondetur, quod praedicta declaratio Apostolica, primo aspectu videtur ei contraria ».

Iam prodit Doctor quorsum tendat conclusio sua. Pergit primo ex iure Romano allegare rationes quae faciunt ad hanc contrarietatem gignendam:

« Quoniam lex absolute disponens, absolute intelligenda est, l. de pretio. ff. de public. in rem actio. et non licet inferiori principi limitare iura superioris per aequitatem sibi apparentem, l. 1. C. de legib. et lex posterior videtur corrigere priorem contrariam, cap. 1. de constit. lib. 6 ».

Tamen totum ius his rationibus non absolvitur; sunt et aliae leges et auctoritates, quas hic exhibemus:

« Posset tamen defendi ratione illa, quod lex simpliciter et absolute loquens potest limitari etiamsi sit posterior per priorem, iuxta leg. sed et posteriores, ff. de legibus, et est exemplum sollenne duarum gloss. in 1. sciendum, qui satisda. cogan. et auth. offeratur, C. de litis contesta. quae limitant praedictam auth. posteriorem, per d. 1. sciendum. priorem ».

Et sic legibus dirutis et auctoritatibus per ipsasmet leges et auctoritates, libero pede ad resolutionem casus securus accedit:

« Et ita praedicta declaratio Apostolica intelligenda est esse vera et servanda, dummodo lex de monenda, roganda, et interroganda priore uxore servetur » (40).

Tamen, cum sit doctissimus, Navarrus non potuit non videre suam casus resolutionem textui Brevi haud satisfacere. Et quoniam fecit ipse id quod faciendum non esse superius affirmaverat, nempe cum dicebat non licere inferiori limitare iura superioris per aequitatem sibi apparentem, pace conscientiae non videtur gaudere. Inde in sequentibus suam sententiam iustificare in vanum conatur, iterum affirmans necessitatem interpellandi primam uxorem antequam coniux conversus ad alia vota transeat:

« Negari tamen non potest, praedictam declarationem fuisse duriusculam, et mollendam additione illa, Modo prius consti-

(40) Gallo (*Suppetitiae Evangelii Praeconibus...* vol. IV, p. 95 ad Cas. XVIII) opinatur S. Pium V dispensasse ab interpellationibus.

terit legitime nolle primam uxorem convertere se, nec convivere marito converso sine contumelia Creatoris...».

Nunc admiratione permoti quaerimus quid tandem aliquando illa «declaratio Ap. et decretum permittens» declaret et permittat. Tam altissima iuris principia et tot auctoritates petunturne solum ut evacuetur oraculum Pontificis? Tantane in doctissimis libertas?

Merito igitur, totum istud consilium fuit penitus sublatum in ipsa vel secunda editione (41), ut iam animadvertit AVENDANO (42). Rationem vero huius omissionis in particulari nescimus, etsi in sua praefatione editores lectorem moneant de mutationibus factis, dicentes in genere quaedam fuisse omissa uti pervulgata et contrita «quae vel ipsius Navarri iudicio tollenda fuissent.» Probabilis autem ratio inferius allegabitur (43).

IOSEPHUS ACOSTA, S. I. (1540-1600) redux in Hispaniam «post annos in Peruano regno exactos quindecim, in Mexicano et Insularibus duos», in dilatandos Ecclesiae fines, duo opera, quae, cum in illis adhuc regionibus ageret, elaborarat, Catholicae Maiestati, Philippo II, dedicavit an. 1588 atque in lucem edidit (44). In altero ex istis operibus, *De Procuranda Indorum Salute*, Lib. VI, cap. 21, tractat de coniugiis infidelium, cum ad fidem catholicam convertuntur et finem versus de polygamis, quibus Paulum III concessisse memorat facultatem retinendi quam ex omnibus ipsi delegerint uxorem, si primam ignorent et pergit:

«Quod si prima illa abest, et baptizari differt, licebit ex aliis, quam velit, sumere, ita concedente Pio quinto Pontifice Maximo, qui nullo modo Innocentio contrarius est» (45).

(41) In prima ed. *Consiliorum* lib. III, in tit. 33, de conver. infid. habebantur duo tantum consilia quorum alterum est de quo nuper egimus; 2a autem ed. (an. 1595 ut legitur in prima tomi pagina, vel an. 1592, ut in ultima pagina) continet quattuor consilia quorum tertium est idem ac primum primae editionis.

(42) Avendano tamen Navarro ipsi tribuit hanc mutationem, in *Additionibus ad Tom. Posteriorem Thesauri Indici*, p. 11, n. 52.

(43) Vid. p. 327-328.

(44) ACOSTA: *De Procuranda Indorum Salute*, Epistola Dedicatoria.

(45) Quae verba sine commento repetit IACOBUS PIGNATELLI: *Consultationes Canonicae*, t. IV, Consul. 189, n. 8, par. 6, p. 273.

Nullum est dubium de qua Pii V concessione Acosta sermonem faciat; sed quid eius sententia concesserit Pontifex obscuritate non caret. Nam, si ante verificare deberent et discessus infidelis et delatio baptismi, quam polygamus conversus ad alia vota admittatur, quid huic concessisset Pontifex quod iam non habuisset? E contra, si sufficiat vel discessus vel dilatio baptismi, nonne hoc est contrarium cap. Gaudemus, cum tum S. Paulus tum Innocentius III vetant coniugem conversum quominus infidelem pacifice cohabitare volentem dimittat?

Et concludit caput his verbis: « haec pro regionum harum difficultatibus ex sanctorum Patrum decretis perstrinxisse sufficiat: plura et clariora autores tradent ». Dolendum tamen est ipsum non nominasse vel unum ex eis auctoribus, simulque mirandum cur ipse loquatur tam obscure, cum clariora apud eos legisset.

Ex quibus apparet Acostam compendiose hic loqui intendisse. Inde obscuritas (46). Praeterea, post Concil. Provinc. Limanum I, hanc partem operis sui retractasse non videtur (47). Nam, in illo Concilio, cuius magna pars ipse fuit, cuique « ipse consultor interfuit, quod ipse digessit et latinitate donavit, quod Romam portavit approbandum » (48), hoc Breve inter privilegia a Romanis Pontificibus Indis concessa recensetur (49). Et id privilegium vocari nullo pacto potest quod nil praeter ius iam vigens concesserit.

Ut paucis comprehendantur quae hucusque dicta sunt, omnes isti doctores, qui apte nominentur « conservativi » (sit venia verbo!) uno laborant praeiudicio. Quod hucusque

---

(46) Nec difficultate carent quae proxime superius scripserat de matrimoniis cum sorore, ac noverca, ... nepte aut avia. Quae matrim. irrita declarata fuisse asserit in Conc. Prov. Limano ex sententia Pauli IV. Quas auctoritates infirmare contendit Morelli: *Fasti Novi Orbis*, p. 173; defendit vero Lugo: *Resp. Moral.* lib. I, dub. 40, n. 10 sqq. Cf. Conc. Prov. Lim. I, Act. 2, cap. 8.

(47) Nam censorum approbatio habet appositum diem 20 Ian. 1584; et citat tantum Conc. Prov. Liman. anni 1567.

(48) Morelli: *Fasti Novi Orbis*, p. 173, § 2.

(49) Vid. infra Partis III art. 2.

viguerit, id in posterum vigere debere autumant; Pontificiamque potestatem omnem ad iuris vigentis ambitum reducere omnibus nervis contendunt. Inde eorum oppositio ad Breve nostrum et sollicitudo cap. Gaudemus sartum tectum per fas et nefas tuendi.

Itaque unam aliamve Brevis clausulam arripiunt illamque torquent in sensum cap. Gaudemus et palpabiles discrepantias inter textum et suam interpretationem auferre satagunt, adiectis Brevi arbitrariis clausulis. Sic VERACRUX Pontificem supposuisse affirmat primam uxorem non reperiri; VASQUEZ, eam nolle pacifice habitare, SANCHEZ, eam fugisse ad alios infideles. In praxi interpellationes primae coniugi faciendas esse docet NAVARRUS; eisque subrogandi aut extraiudiciales notitias aut alias circumstantias et argumenta facultatem concessisse eundem Pontificem autumat BENEDICTUS XIV.

Sub specie ergo tuendi ius tunc vigens laudati auctores proprias propugnant opiniones, constitutionem autem Pii v enervant atque evacuant. Omnes tamen in hoc conveniunt quod exigant illas conditiones quas secundum proprias sententias Papa in Brevi expresserat vel in mente habuerat in omni usu privilegii concessi verificari debere.

III

Interpretationem Brevis nostri a Vasquez propositam introduxit THOMAS SANCHEZ, S. I. (1550-1619) in aliam controversiam. In suo celeberrimo opere: *De Sancto Matrimonii Sacramento*, lib. VII, disp. 74, n. 13 loquens de exquirenda infidelis voluntate, utrum velit vitam coniugalem cum fideli continuari an non, asserit monitionem non esse necessariam quoties aliunde habeatur certitudo moralis de eius obstinatione. Per modum confirmationis sui asserti, affert Breve nostrum his verbis: « Id etiam constat ex motu proprio Pii v. pro Indis novae Hispaniae concesso,

ubi Pontifici propositum fuit... » et repetit verba VASQUEZ superius a nobis descripta.

Et in sequenti numero haec habet:

« Ex quo infertur, quoties infidelis adeo distat, ut commode requiri nequeat, non esse opus hac monitione. Quia ut res modo se habent est moraliter certum fore ut nolit converti, et relinquere suos, ut legitime habitet. Atque requisitio est moraliter impossibilis. Et constat etiam ex motu proprio num praecedenti allegato ».

Sedulo notetur in duplici hoc loco SANCHEZ non dicere Papam ab interpellationibus faciendis dispensasse. Hoc enim dicere esset contra suam opinionem quae tenet in dictis casibus interpellationes non esse necessarias; et dispensationes non petuntur nec dantur ad omittenda ea quae non debent fieri. Si, e contra, Sanchez admitteret Pium v sua constitutione ab interpellationibus dispensasse, paritas a qua arguit ipse requireret similem dispensationem in casu suo.

PONTIUS non admittit ex toto sententiam Sanchez, sed distinguit casus. Et concedit probabiliter omitti posse monitiones si coniux reperiri non potest, quia est interdicta communicatio ob certum eversionis periculum; negat vero eam posse omitti, si coniux reperiri non potest ob difficultatem viae et itineris, vel ignoratur ubinam gentium degat. Quo in casu fidelis non potest ad alia vota transire, nisi dispensatio Pontificis accedat, quidquid Thomas Sanchez et alii dicant.

« Qualem dispensationem concessam a Pio v credendum est, cum statuit matrimonia Indorum novae Hispaniae, qui ad fidem conversi cum fidelibus contraxerant, eo quod ubi coniuges infideles essent, ignorarent, valida esse. Dispensavit certe ac supplevit monitionem iure praescriptam... Et quidem si iuxta Sanctium ea monitio necessaria non est, ad quid ergo dispensarunt Pontifices? » (50).

(50) PONTIUS: *De Sacram. Matrim.* lib. VII, cap. 48, n. 22.

Ad quid dispensarunt Pontifices? Pontius loquitur de Pio v et simul et Gregorio xiii. Praescindendo a Greg. xiii, quantum pertinet ad Pium v, responderi potest vel negando suppositum vel petendo probationem. Nam, quis affirmavit Pontificem istum a monitione necessaria dispensasse? Certe hoc non dixerat Sanchez, ut ipse fatetur (51). In textu vero Brevis ne verbum quidem habetur de monitionis dispensatione. Et si de facto in huius privilegii usu monitio omittatur, hoc fit non quia Pontifex dispensaverat, sed quia non agitur hic de exploranda infidelis mente, ad quam natura sua ordinantur interpellationes. Sed alia ratione admittitur fidelis ad nova vota, ut videbimus infra.

Benedictus xiv (1675-1758) vero, « qui iuris pontificii scientiam ita callebat, ut vix reperire sit alter canonista qui illum adaequet; Benedictus xiv, qui suorum Decessorum mentem bene perspectam habebat » (52), censuit Pontium « egregie » locutum fuisse. Revera tamen ipse sententiam Sanchez secutus est. Suam patefaciens mentem de natura Brevium S. Pii v et Greg. xiii in opere: *De Syn. Dioec.*, lib. xiii, cap. 21, n. 4 ait:

« Sententiam vero nostram de praedictis constitutionibus declarantes, dicimus, duos illos summos Pontifices expositis sibi difficultatibus consulturos, nihil aliud egisse, quam canonicarum legum vigorem temperare in eo, quod pertinet ad iudicialem interpellationem, quae infideli coniugi facienda esset, utrum velit... ».

Illudque eruit ex ipsius verbis Pontificis:

« Id satis aperte colligitur ex ipso Brevi S. Pii Papae v ubi leguntur haec verba, Maxime, quia difficillimum foret primum coniugem reperire ».

Tandem aliquando quid concesserunt duo illi Pontifices? Quaenam est illa temperatio vigoris legum canonicarum? Respondet:

---

(51) Plura de hac controversia Sanchez inter et Pontium videre est apud Ballerini-Palmieri: *Opus theol. Moral.* vol. vi, n. 436 sq.
(52) Rosset: *De Sacr. Matr.*, t. i, n. 647, p. 571.

« Id autem est, quod in apostolicis suis litteris duo illi Romani Pontifices praestiterunt; admittendo scilicet, in favorem Fidei, loco formalis et vigorosae interpellationis, extraiudicialem... notitiam, quod vel omnino ignoretur, ubinam gentium degat infidelis coniux, vel saltem ratio non suppetat eundem iudicialiter interpellandi, atque huic interpellationi praefatam notitiam subrogando ».

Ex tali autem interpretatione verborum pontificum facile est conclusionem deducere quam velit:

« In quo profecto nullus extraordinariae illius potestatis usus apparet, quo vinculum matrimonii in infidelitatis statu consummati dissolvere in animo habuerint ».

Quam interpretationem constitutionis *Romani Pontificis* tanto canonista parum sane dignam neque satisfacientem recte reicit Feije (53).

Iam secundo audimus auctores aequiparantes constitutionem S. Pii v Romani Pontificis cum constitutione Gregorii xiii *Populis ac Nationibus*. In hac constitutione generaliter non attendunt nisi ad dispensationem a monitione facienda et consequenter idem supponunt concessum in constitutione S. Pii v. Quae vero assimilatio non parum obscuravit verum Brevis nostri sensum.

Id tamen aequum est addere quod permulti ex istis auctoribus textum documenti Piani ad manus non habuerunt (54). Quanto enim, communius constitutio Gregorii xiii, tanto rarius Pii v apud eos invenitur. Verum quidem est Veracrucem istam constitutionem vel ipso anno concessionis, ut iam dictum est, prelo commisisse; tamen Vera-

(53) Feije: *De Impedim. et Disp. Matr.* n. 489, p. 366.

(54) E. G. Verricelli: *Quaestiones Morales*, Q. 177, n. 11, « Porro quod nequeat ob difficultatem itineris requiri uxor infidelis, iusta est causa, ut Papa dispenset et solvat matrim. etiam consummatum in infidelitate; prout dispensarunt pro Indis et pro nova Hispania Gregorius xiii et Pius v quorum bullas affero in tit. de privil. Reg. in novo orbe § 28 n. 78 (corrige tamen, § 29, a n. 178). N. 178, ad verbum refert Breve Greg. xiii, n. 179 vero ait: « Pius v quoque idem statuit pro Indis.... » Sed non affert bullam Pii v, sed mittit lectorem ad Sanchez! Vide similem casum in resp. SO (v. n. 78) et PF (v. n. 113).

crux non cognoscitur a multis nisi per Vasquez et Sanchez, qui ceterum hoc documentum ad verbum non transcripserunt. Nec *Constitutiones apostolicae, Brevia, Decreta pro Missionibus Sinarum, Tunquini, etc.*, anno 1677 edita doctorum attentionem in se direxerunt, cum unum tantum missionariorum coetum spectarent. Et Benedictus XIV ipse hanc collectionem prae manibus habuisse non videtur, cum scriberet illum saepius ab ipso laudatum discursum in Causa Florentina, neque umquam citaret nisi Veracrucem. Evulgata vero Appendice I ad *Bullarium PF*, nec non *CPF*, textus constitutionis *Romani Pontificis* coeptus est satis communiter cognosci atque transcribi.

Nihilominus eius assimilatio ad Breve Gregorii XIII adhuc fieri solet praesertim apud illos auctores qui pressius sequuntur SANCHEZ vel PONTIUM ut ROSSET (55), FEIJE (56), etc. Post Codicem vero, commentatores hoc iam non sustinent, sed regulariter eas ab invicem separant constitutiones atque singillatim tractant. Quantum scimus, cl. P. VROMANT primus differentias inter duo illa Brevia Apostolica perspicue in lucem posuit, quod non parum confert ad verum S. Pii V documenti sensum detegendum (57).

IV

Est et altera controversia, quae iam latens et pullulans sub praetextu cap. Gaudemus servandi se efformabat circa interpretationem constitutionis S. Pii V, *Romani Pontificis*. Quamdiu haec controversia definita non fuit, nulla spes affulgebat praedictam constitutionem rite intelligendi. Quaestio autem erat haec: Utrum Summus Pontifex possit ipse directe solvere vinculum matrimonii in infidelitate contracti et consummati post unius vel utriusque partis conversionem.

(55) *De Sacr. Matrim.* vol. I, n. 647.
(56) *De Impedimentis et Disp. Matr.* n. 489 ss.
(57) *De Matrim.* n. 358 sqq.; *Periodica* XX (1931), p. 108 ss.

Primus hanc quaestionem tractavit ex professo NAVARRUS, ut ipse fatetur. Hic est casus ei propositus:

« Lazarus Hebraeus habens uxorem, eaque ad fidem conversa et antequam alii nupsisset, secundam duxit, ex qua liberis susceptis cum ea ipse quoque conversus est vivente adhuc priore innupta. Dubitatum est:

Primo, an dictus Lazarus iure communi absque ulla Papae dispensatione possit iuste cum secunda remanere.

Resp. Negative.

Non parvum iuvabit notasse modum quo quaestio proponatur. Apud plerosque auctores et in multis SS. Congregationum Romanarum responsis quae denegant polygamis conversis facultatem permanendi cum secunda uxore, haec conditio subintelligenda est, nempe iure communi absque ulla Papae dispensatione, ut vitentur quam plurimae contradictiones.

« Secundo, an saltem cum dispensatione Papae iusta de causa facta id facere possit ».

Resp. Affirmative.

Explicitatur ergo, quod in priori dubio implicite continebatur, scilicet Romanum Pontificem posse quid ultra ius commune constituere, cum ius commune et in specie cap. Gaudemus non exhauriat totam Summi Pastoris potestatem in matrimonia consummata in infidelitate. NAVARRUS proinde, agnoscit Summo Pontifici potestatem directe solvendi talia matrimonia (58).

Ratio cur controversia circa hanc potestatem pontificiam per saecula protracta fuerit, ex eo petenda est quod non satis distinguebatur inter ius commune et plenitudinem Ecclesiae potestatis. NAVARRUS ipse ab hoc errore semper non fuerat immunis. Nam, ut ex supra dictis patet, in primo consilio huius tituli, in prima editione, ipse contrariam dederat solutionem casus, nihil relinquens con-

(58) NAVARRUS, *Consil.*, lib. III, in. tit. 33, consil. 1 (in 1a ed.); consil. 3 (in 2a subseq. ed.).

stitutioni *Romani Pontificis* operandum nisi ius commune, et implicite negans Papam posse aliter disponere. Curatores ergo secundae editionis eiusdem operis optima ratione abstraxerunt primum consilium ne doctissimus Navarrus de contradictione argueretur, et quidem in consiliis tam proxime ad invicem iacentibus, cum ambo nonnisi uno titulo comprehenderentur.

Ut repetiones vitentur, rationes hac in quaestione hinc inde allegari solitas hic semel pro semper subnectuntur.

Illi qui agnoscunt Summo Pontifici potestatem in matrimonia in infidelitate consummata, sic arguunt: Fidelium matrimonia, quamvis non consummata, sunt firmiora, eo quod sunt sacramenta. Tamen Papa potest talia matrimonia solvere. Ergo, a fortiori solvere valet matrimonia quamvis in infidelitate consummata, cum non sint sacramenta.

Argumentum ergo, petitur ex defectu rationis sacramentalis.

Illi vero qui negant, arguunt ex facto consummationis. Matrimonia omnia, dicunt ipsi, consummata sive fidelium sive infidelium, sunt de iure divino indissolubilia, et inde dissolvi non possunt nisi dispensatione divina. Atqui dispensatio divina non habetur nisi in casu expresso ab Apostolo in I Cor., VII. Ergo Romanus Pontifex talia matrimonia non potest directe solvere.

Quibus de argumentis dicetur aliquid infra (59).

« Tertio, an subsit in casu proposito iusta causa id faciendi ». Resp. Affirmative.

Quaenam est illa causa iusta in casu? Respondet NAVARRUS: « Ex narratione mihi facta una cum consensu prioris uxoris videtur constare iusta causa arbitrio boni et prudentis viri, cui remittitur hoc iudicium, sicut et omnium aliorum, quae non sunt determinata a iure... ».

Quaestionem sic clare positam atque definitam poste-

(59) Vide P. IV, paulo post init.

riores doctores silentio praeterire non poterant. SANCHEZ placuit sententia NAVARRI (60); VASQUEZ autem secus (61). En protoparentes huius controversiae! Sententiae adversariorum notam theologicam inurere non dubitavit VASQUEZ et quaestionem hanc ex professo tractandam in posterum sibi servabat, cum e vivis sublatus esset.

Quod in votis habebat Vasquez, id opere exegit optimo successu BASILIUS PONTIUS, O. S. A. (1570-1629), quem viri doctissimi sui aevi « et eminentissimum theologum, et Canonum scientissimum appellant »; quo maiorem sibi conciliavit hac in quaestione auctoritatem nemo. Ipse enim suppeditat posteris arma quibus felicem huius controversiae exitum tardavit multum.

Ad duo ultima confratris sui Navarri dubia dat responsum categorice negativum. Alterum est: « An matrimonium infidelium consummatum dissolvi possit auctoritate Pontificis ». Cui respondet:

« Ego semper existimavi omnino certum matrimonium infidelium consummatum non posse dissolvi auctoritate Pontificis. Et quidem hanc fuisse hactenus communem Doctorum sententiam ... dubitari non potest » (62).

Iam clare patet solutio ad ultimum dubium: An subsit in casu proposito iusta causa id faciendi. Negat enim Pontius suppositum, cum Papa tali potestate non gaudeat. Quo non contentus, congessit et alia argumenta, quae, cum apud nonnullos magno favore habeantur (63), hic pressius inspicienda subiicimus, ut eorum quantum valemus vim perspiciamus. Ait, enim (64):

« Quod autem aliqui gentiles ad fidem facilius converterentur, si liceret illis dimissa prima, aliam, quam magis diligunt, retinere, nulla idonea causa est.

(60) *De Sancto Matrim. Sacr.*, lib. II, disp. 17.
(61) *Tract. de Sacram. Matrim.*, disp. II, cap. 6, n. 58.
(62) PONTIUS: *De Sacr. Matrim.* lib. IX, cap. 2, n. 8.
(63) E. g. CPF. n. 1308 (5 Dec. 1631) n. 1354 (20 iun. 1866); BENEDICTUS XIV: *Quaest. Canon.* Q. 456, n. 29; in suo discursu, n. 16; URSAYA: *Disceptationes Eccl.* t. VI, P. I. Discept. 32, n. 64; ROSSET: *De Sacram. Matrim.* t. I, n. 644.
(64) PONTIUS: Ibid. n. 12.

Admissa Romani Pontificis potestate, alia ratio magis idonea quam conversio infidelis ad usum talis potestatis vix cogitari potest: « Nisi laxare libidini habenas, et velle ut Evangelium libidini, et voluptati deserviat ».

Laxare libidini habenas infidelis! Nonne iste in infidelitate sua poterat omnes habere uxores simul et adhuc plures si velit? Etsi permittatur illi, ut habeat quam maluerit, non laxantur eius libidini habenas, sed potius arctantur quam maxime, cum debeat contentus permanere pro semper cum una uxore.

« An quia Germaniae clerici ad Ecclesiae gremium redirent, si illis licentia ineundi coniugia concederetur, id indulgendum esset? Minime sane ».

Transeat.

« Quo enim pacto credemus illum erga religionem esse affectum, qui erga legis naturalis obligationem male affectus est? »

Quae obligatio tamen ex hypothesi non est talis ut non possit dispensari. « Misericordiam volo »!

« Aut quo animo religionem Christianam amplectetur, quam videt suae voluptati et deliciis obsequentem? ».

Potius restringentem, ut iam dictum est. Iam secundo redit argumentum. Ceterum, caveatur ne nimium probare studeatur. Tandem aliquando quid fecit Ipse Dominus, cum privilegium quod vocant Paulinum constituit? Nonne fragilitati humanae benigne consulit, cum quod a Iudaeis abstulerat, quod suis filiolis semper in domo paterna manentibus denegavit prorsus, id neo-conversis concesserit? Ergone Dominus Ipse et religio Christiana deliciis obsequuntur?

« Addo, quando ex parte unius facilis redderetur ingressus, ex parte tamen alterius, qui se deseri moleste ferret, esset difficilior, ut expendit optime Innocentius in c. Gaudemus de divortiis ».

Haec in omni casu polygamico adest difficultas, sive prima dimittatur uxor, sive altera. Dimissa semper aegre ferret suam sortem, cum non admittat ius primae ad sui exclusionem. Qua in re conferatur occasio martyrii B. Ioannis de Britto (65).

Quae argumenta Pontii potius rhetorice quam alte proposita quorumdam animos doctorum plus aequo perculerunt. Notetur tamen illum his rationibus se primario probare intendisse a Christo Ecclesiae non esse relictam potestatem in matrimonia in infidelitate consummata praeter privilegium Paulinum. Qui vero ex eo mutuantur rationes, eisdem utuntur ad deprecandum usum potestatis, quam ceterum absolute negare, ut Pontius, non audent. Inde nostris in observationibus ad has rationes potius illos prae oculis habuimus quam hunc.

Quaestio de Romani Pontificis potestate ad solvenda matrimonia in infidelitate consummata per saecula inter doctores tum rei moralis tum canonicae acriter fuit disputata (66), cui demum Codex iuris canonici indirecte finem imposuit, alte afficit fata Constitutionis *Romani Pontificis*. Nam, qui admittunt dictam potestatem, adducunt hoc Breve ut exemplum vinculi matrimonialis dissoluti. Qui vero illam negant, vel torquent verba pontificia ad suum sensum, ut iam satis vidimus, vel addunt clausulas, ut illa potestas non appareat exercita.

Nihil nobis proderit vicissitudines huius quaestionis ulterius apud auctores persequi. Operae tamen pretium esse reputamus eius fata in iurisprudentia SS. RR. Congregationum inquirere quod facere properamus in sequenti capite.

(*Continuabitur*) Puthota Rayanna S. I.

---

(65) Vid. Lectio VI eius Officii, die 4 Febr.

(66) Vasquez: *Tract. de Sacr. Matrim.* disp. 2, cap. 6, n. 58; Pontius: *De Sacr. Matrim.*, lib. IX, cap. 2; Ballerini-Palmieri: *Opus Theol. Moral.* Vol. VI, n. 451, ss.; Rosset: *De Sacr. Matrim.* Vol. I, n. 647. Pacem componere studuit Wernz; Wernz-Vidal: *Ius Matr.*, p. 769, not. (88).

De forma exteriore pietatis erga Ss. Cor Iesu, quae ritui byzantino congruat.

Alio in articulo horum *Periodicorum* (1) quaesitum est, num extra-liturgica devotio erga Ss. Cor Iesu inter orientales neo-conversos sit fovenda. Rationibus theologicis expositis, concludendum fuit Orientales non posse excludi a tali pietate et devotionem extraliturgicam etiam apud neo-conversos esse fovendam. Talem pietatem constituere medium eximium unitatis Ecclesiae, clare enuntiatum legitur in Instructione S. Congregationis Orientalis, data 27 Maii 1937 episcopis Poloniae Orientalis (extra Galitiam), in qua haec proponuntur (2):

« Ut aestimatio unionis cum Catholica Ecclesia in animis recens conversorum augeatur et fructus spirituales quamplurimi ipsis obveniant, proderunt, inter alia, haec quae sequuntur:

1) Ssmae Eucharistiae cultus, qui est summopere commendandus et promovendus, servatis tamen ritibus orientalibus propriis.

2) Pietas erga Ss. Cor Iesu, tam late hodie per totam Ecclesiam diffusa, quae est maxime fovenda, hac tamen lege, ut forma exterior huius pietatis indoli ac normis ritus orientalis propriis omnino congruat ».

Quae instructio respicit quidem neo-conversos ditionis Poloniae orientalis, attamen eaedem fere sunt rationes theologicae et difficultates psychologicae, quae etiam pro aliis ex schismate Photiano conversis valent, sive sint idiomatis russici, sive graeci vel rumaenici.

In praesenti studio disseritur, quaenam forma exterior eiusdem pietatis ritui byzantino congruere videatur,

(1) *Periodica* 26 (1937) p. 11-17.
(2) Textus vel ex parte vel integre publicatus invenitur in commentariis Ordinariorum Poloniae Orientalis.

quin formae huius pietatis apud catholicos orientales iam existentes criticae subiiciantur (3).

1) *De sacra imagine seu de icone Ss. Cordis.*

Pro pietate publica magis quam pro privata necesse est, ut imago (seu icon) fidelium venerationi exponenda congruat indoli et spiritui ritus orientalis. Artem picturae sacrae occidentis propriam multis in rebus ab iconographia orientali distingui communiter notum est (4). Iam ex hac ratione pro pietate publica Ss. Cordis Iesu in ritu byzantino non sine discrimine imagines, quae in cultu latino usui sunt, adhibendas esse facile intelligitur. Certe excludendae videntur imagines, in quibus cor Salvatoris seiunctum ab eius persona conspicitur, quamvis sit ornatum signis symbolicis: cruce, flammis, radiis, corona spinea; neque satis congruunt picturae, salvo earum valore historico et artistico, in quibus Christus dipingitur tenens in manu cor suum; a spiritu et indole orientali iam minus aliena est imago boni Pastoris, in cuius pectore cor amore et misericordia inflammatum cernitur, vel pictura Christi triumphantis de morte qui manu sua latus lancea perforatum ostendit (5). Ad exercitium publicum huius pietatis apud neo-conversos fovendum maxime, deficienti-

---

(3) De formis pietatis erga Ss. Cor Iesu apud catholicos diversorum rituum exsistentibus inspicienda sunt praesertim concilia provincialia. *Pro ritu Alexandrino* Synodus Alexandrina Coptorum habita Cairi in Aegypto a. 1889 (Romae 1892) p. XLVI: Consécration de la Natione Copte au Sacré Coeur de Jésus.

Pro ritu Antiocheno: PLACIDUS A S. JOSEPH T. O. C. D. *De fontibus iuris syro-malankerensium* N. 170 (p. 89), in Fonti (Codificazione canonica Orientale), Romae 1937; item *Synodus Sciârfensis Syrorum* in monte Libano celebrata 1888 (Romae 1897) p. 33.

Pro ritu armeno: *Acta et decreta Concilii nationalis Armenorum* Romae habita 1911 (Romae 1913) Nr. 826 de variis pietatis exercitiis.

Pro ritu byzantino: vide *Periodica* 26 (1937) p. 16; cf. etiam directoria officiorum divinorum ritus rutheni (excepta editione stauropigiaca).

(4) Indolem iconographiae byzantinae, addita brevi bibliographia, descriptam invenies apud ALFREDUM KOHL, *Die Ostkirche spricht aus den Ikonen*, in *Christlicher Orient*, Heft 2 (1938) p. 35-45.

(5) *Periodica* 26 (1937) p. 15.

bus melioribus, aptae videntur ordinariae icones Salvatoris (styli byzantini), in cuius facie non minus exprimatur Dei infinita bonitas atque humanitas quam eius maiestas ac potentia et in cuius manu cernitur liber apertus, continens textum ipsius aeterni nostri Magistri: « Discite a me omnes, quia mitis sum et humilis corde, et ego reficiam vos ». — Studium de convenienti icone intime cohaeret cum iis, quae sequuntur.

2) *De invocatione*: « *Ss. Cor Jesu, miserere nobis* ».

Qui astiterit officiis primae feriae sextae vel exercitiis pietatis mensis Iunii in honorem Ss. Cordis Iesu multis in ecclesiis paroecialibus et in domibus religiosorum ritus rutheni celebratis, non sine commotione potuit animadvertere fervorem, quo fideles ad haec exercitia concurrunt et qua cum pietate et laetitia sacerdotes et fideles repetunt invocationem: « Ss. Cor Iesu, miserere nobis! » (5bis) Quae invocatio in libris liturgicis ritus latini recepta invenitur, argumentisque theologicis et auctoritate ecclesiastica saepius recognita est. A fidelibus vero orientalibus nuper ex schismate Photiano conversis praedicta forma supplicationis raro interim adhibenda esse videtur. Non enim censentur theologi dissidentes, multoque minus simplices fideles vel neo-conversi sufficienter formati et praeparati, ut illam formulam rite intelligant; imo etiam in occidente acribus et per unum saeculum protractis disputationibus de hac re tractabatur et saepius necesse fuit, ut auctoritas ecclesiastica declarando et definiendo interveniret (6). Hodie, lite composita, Salvatorem tali modo rite invocari posse clare et indubie deducitur ex doctrina de unione hypostatica in Christo (7). Quoniam doctrina de unione hy-

---

(5bis) *Molebny ta Akathisty najcastise wzywani*, Zovka 1938.

(6) A. Hamon, *Histoire de la dévotion au S. Coeur*, tom. II: L'aube de la dévotion, p. XXII ss.

(7) Chr. Pesch, *Praelectiones dogmaticae* (1922) vol. IV, p. 125-135; Billot, *De Verbo incarnato*, p. 360-364; Hamon, *o. c.* vol. II: L'aube de la dévotion, p. XXX-XXXIII.

postatica in Christo a theologis dissidentibus non satis cognita est et pespecta, praedicta invocatio ab iis difficile intellegitur. Proin neoconversorum gratia toleretur terminum « Cordis » in pietate publica orientali in casu obliquo vel in forma passiva plerumque adhiberi, ad instar officiorum in honorem vulnerum Christi, quae a fidelibus dissidentibus magna cum pietate coluntur (8). Ad quem finem iuvat etiam conferre formularia missarum ritus latini: *Egredimini, Cogitationes cordis,* necnon formulam consecrationis a Leone pp. XIII praescriptam (9).

3) *De conceptu reparationis et satisfactionis.*

Quaecumque sit sententia de primario obiecto cultus Ss. Cordis Iesu, ad elementa essentialia quibus haec pietas constituitur, pertinere actus reparationis et satisfactionis pro delictis a peccatoribus et pro negligentiis a fidelibus commissis, colligitur ex tenore Encyclicae quae inscribitur *Miserentissimus Redemptor*: (10).

« Honestae satisfactionis, inquimus, seu reparationis, quam dicunt, officium Sacratissimo Cordi Iesu praestandum. Nam, si illud est in consecratione primum ac praecipuum ut amori Creatoris creaturae amor rependatur, alterum sponte hinc sequitur, ut eidem increato Amori, si quando aut oblivione neglectus, aut offensa violatus sit, illatae quoquo modo iniuriae compensari debeant: quod quidem debitum reparationem vulgato nomine vocamus.

Quodsi ad utramque rem iisdem prorsus rationibus impellimur, reparandi tamen expiandique officio ob validiorem quendam iustitiae et amoris titulum tenemur: iustitiae quidem, ut irrogata Deo nostris flagitiis expietur offensa et violatus ordo paenitentia redintegretur; amoris

(8) Cf. officia feriae sextae in Parasceve et Sabati Sancti, officium Ss. Crucis, officium « Passionis », in libris liturgicis, qui inscribuntur Triodion, Acathistnik, Molitvoslov.

(9) *Missale Romanum* recentioris editionis; *Leonis* XIII *Acta,* 19 (Romae 1900) p. 80.

(10) *A.A.S.* 20 (1928) p. 165-178, praesertim p. 169; *A.A.S.* 24 (1932) p. 177-194, praes. 192.

vero, ut Christo patienti ac « saturato opprobriis compatiamur » eique nonnihil solacii pro tenuitate nostra afferamus ».

Conceptus de reparatione intime cohaeret cum doctrina de redemptione a Christo peracto. Orto Protestantismo veritates de redemptione et satisfactione Christi, de reparatione Christi ac fidelium multis in operibus theologicis tractatae, expositae et circumscriptae sunt. Theologia vero dissidentium tali progressu dogmatico caret et proin in tractatibus de paenitentia conceptum catholicum de reparatione ignorat, imo eorum doctrina elementis protestanticis infecta invenitur (11).

Haec discrepantia doctrinalis apparet etiam in vita liturgica. Nostris temporibus persecutionis et calamitatis (in Mexico, Russia, Hispania) ab Ecclesia catholica et dissidente instituuntur officia et exercitia pietatis ad divinam misericordiam et auxilium impetrandum; Ecclesia catholica adhortatur sacerdotes et fideles, ut praeter opera paenitentiae, afferant in unione cum Christo opera et preces satisfactionis et reparationis pro delictis quae contra Deum, Christum, eiusque Ecclesiam ab atheis committuntur (12). Officia vero ab Ecclesia dissidente ad eundem finem instituta et praescripta fere exclusive indolem paenitentiae prae se ferunt, nempe ut Deus remittat nostra peccata et auferat graves calamitates nobis in poenam inflictas.

---

(11) Vide opera de hac quaestione percensita apud M. Gordillo, *Compendium theologiae orientalis* (Romae 1937) p. 157-160; porro Jugie, *Theologia dogmatica christianorum orientalium ab ecclesia catholica dissidentium*, tom. II p. 695-704, « De redemptione in theologia graeco-russorum modernorum » et « De cultu Sacratissimi Cordis Iesu a quibusdam graeco-russis impugnato ».

(12) Cogita liturgias reparationis celebratas in Basilica S. Petri, adorationes Ss. Sacramenti ibidem ad eundem finem habitas; officium reparationis omni feria VI in ecclesia russica S. Antonii in Esquiliniis peragendum secundum « Motu Proprio ». *A A S.* 24 (1932) Nr. 11; cf etiam Encyclicam *Caritate Christi compulsi*, *A A S.* 24 (1932) p. 177-194.

4) *Pietas erga Ss. Cor Iesu in traditione duodecim primorum saeculorum exercita.*

Saepius sancti Patres et scriptores ecclesiastici loquuntur de corde Salvatoris, non vero de corde Iesu ut obiecto cultus christiani, sed potius sensu metaphorico de « spirituali corde Iesu » agunt et de eius eximiis virtutibus ac proprietatibus; tamen non desunt textus, qui agunt de corde physico Salvatoris et in quibus cor consideratur tamquam signum manifestativum et symbolum amoris Christi (13). Qua ratione et occasione sancti Patres de corde Iesu loquantur, summatim reduci potest ad sequentia asserta:

a) Pio affectu sancti Patres contemplantur latus Christi lancea perforatum et mysticam significationem huius facti profundius intellegere student (14).

b) Compatiuntur cum corde Iesu in monte Gethsemani patienti (15).

c) Canticum canticorum de corde et amore sponsi applicant ad cor et amorem divini sponsi (16).

d) Celebrant cor Iesu ut centrum omnium perfectionum et sedem omnis sanctitatis (17).

---

(13) H. Lesêtre, *Coeur*, in *Dictionnaire de la Bible* (Paris 1895) tom. II col. 822-826; Hamon, *Histoire de la dévotion au S. Coeur*, vol. II: L'aube de la dévotion p. XIII-XV, XXXV.

(14) In genere in homiliis sanctorum Patrum, cum exponunt textum apud S. Joh. 19, 34. cf. S. Joh. Chrysostomum, P. G. 32, 463; *Evangelium apocryphum sanctorum Apostolorum* in *Patrologia Orientali* (Didot, Parisiis 1907) tom. II p. 166, 168.

(15) Vide exegesim sanctorum Patrum in Math. 26, 38; Iustinus Martyr, in *Dialogo cum Tryphone*, P. G., 6, 717-720.

(16) Gregorius Nyssenus († 396), P. G. 44, 786; Theodoretus († 458) P. G. 81, 126-127; Procopius Gazensis (saec. 5), P. G. 87 (II), 1635-1780; cf Bainvel, *La dévotion au S. Coeur de Jésus* (Paris 1919) p. 625.

(17) S. Methodius Olympensis († 313) P. G. 18, 125-127; S. Joh. Chrysostomus in lectione V festi preciosissimi Sanguinis (Breviarii Romani); Michael Psellus († 407) P. G. 122, 607; cf. Hugo Rahner, *De Dominici pectoris fonte potavi*, in *Zeitschrift für Katholische Theologie* 55 (1931) p. 103-108. Plures textus sanctorum Patrum orientalium et latinorum de quaestione proposita vide apud Kanters, *Le coeur de Jésus dans la littérature Chrétienne des douze premiers siècles*, 1930; Idem, *Le coeur de Jésus étudié dans la Tradition Catholique*, 2 vol., 1926.

4) *De motu liturgico occidentali et de cultu liturgico Ss. Cordis Iesu in Oriente fovendo.*

Fautores motus liturgici hodierni cultum Ss. Cordis plerumque reiicere vel saltem ad quoddam minimum restringere velle notum est; imo non desunt auctores, qui asserant, hanc pietatem posse aliquando omnino evanescere ex cultu liturgico. Huiusmodi conamina fautorum motus liturgici excessivi a Sancta Sede et ab Ordinariis locorum sane reiiciuntur (18). Praedictam tamen pietatem, retentis retinendis et observatis documentis S. Sedis, debere induere formam exteriorem quae indoli et exigentiis liturgicis magis conveniat, nemo est qui neget; ex hoc autem deducenda et confirmanda est licentia, seu, si vis, ius, pro Orientalibus, ut eorum pietas publica erga Ss. Cor Iesu tum quoad imaginem, tum quoad formam exteriorem recedat a consueta forma occidentali. Adhibitis formulariis stricte byzantinis (Moleben, Kanony, Acathistia) cultus Ss. Cordis Iesu in ritu byzantino evadet liturgicus non solum sub respectu canonico, quatenus fit nomine Ecclesiae, sed etiam sub respectu aesthetico, quatenus congruas cum formis cultus officialis (Utrenia, Matutinum) et consequenter cum formis cultus antiqui et universalis.

Statuta forma publica pietatis erga Ss. Cor Iesu ritui byzantino congruente, fore tamen ut festum Ss. Cordis Iesu in calendarium universale byzantinum non inseratur nisi post multas investigationes et vicissitudines, quales locum habuerunt in Occidente, in calendaria vero aliquarum eparchiarum ritus byzantini vel Ordinum ac Congregationum religiosarum propria ad mentem S. Sedis recipiatur, iam nunc praevidere licet (19).

---

(18) Litterae S. Sedis ad Congressum liturgicum Genuae anno 1934 habitum, in *Ephemerides liturgicae* 49 (1935) p. 57; Ludwig von Hertling, *Monitum de evitandis exaggerationibus in re liturgica*, in *Periodica* 27 (1938) p. 163-171.

(19) Joseph Schweigl, *De calendariis ecclesiasticis communitatum religiosarum ritus byzantini-slavici propriis*, in *Periodca* 27 (1938) p. 191-202.

5) *Opera neo-conversis commendanda.*

Ut orientales dissidentes et neo-conversi de pietate Ss. Cordis Iesu et de eius valore eximiaque utilitate rite iudicent, suaderi possunt sequentia opera et libri:

a) Libri et opera, quae in genere agunt de cultu Ss. Cordis Iesu: Nilles, Letierce, Bainvel, Vermeersch, Charrier-Baumann, Nix (20).

b) De historia pietatis erga Ss. Cor Iesu ante saeculum xvii: Richtstätter, Kanters, A. Hamon (21).

c) De vita S. Mariae Marg. Alacoque: Gauthey, Hamon (22).

d) De ulterioribus vicissitudinibus huius cultus: Hamon, o. c., vol. iv-v.

e) Encyclicae Romanorum Pontificum de cultu Ss. Cordis Iesu (23).

f) Fidelibus ritus byzantini-slavici praeterea commendari possunt: Thomas Andrade, Al. D. Bjelajev (auctor dissidens), Metrop. Dimitrius Rostovensis (auctor dissidens), Salaville, Licharreva... (24).

---

(20) N. Nilles, S. J. *De rationibus festorum Ss. Cordis Iesu et purissimi Cordis Mariae.* 2 vol. 1885.

E. Letierce, *Etude sur le Sacré Coeur,* 2 vol. 1890.

J. V. Bainvel, *La Dévotion au S. Coeur de Jésus* 1906.

A. Vermeersch, *Pratique et Doctrine de la Dévotion au S. Coeur,* 2 vol. 1922 (ed. 6.). *The Love of the S. Heart, illustrated by St. Mar-*

Al. D. Bjeliaev, *Ljubov bozestvennaja* (Amor divinus) cum ap*garet Mary Alacoque and the Blessed John Eudes,* 1920.

A. Charrier-Baumann, *Herz Jesu und Priestertum,* 1936.

Jos. Nix, *Cultus Ss. Cordis Jesu et purissimi Cordis B. M. V.,* 1905.

(21) Karl Richtstätter S. J., *Die Herz-Jesu-Verehrung des deutschen Mittelalters,* 2 Bände, 1919.

Ch. Kanters, vide notam 17.

A. Hamon S. J., *Histoire de la dévotion au S. Coeur,* 5 volumes 1923-1935. i - Vie de Ste. Marie Alacoque. ii - L'aube de la dévotion. iii - Paray-le Monial. iv - Luttes indécises. v - Royal Triomphe.

Le règne du Coeur de Jésus, ou la Doctrine complète de la B. Marg. M. Alacoque sur la dévotion au S. Coeur, par un Prêtre oblat de Marie Immaculée, 5 volumes 1900.

(22) Mgr. Gauthey, *Vie et Oeuvres de Ste. Marguerite Marie Alacoque,* 3 volumes 1920 A. Hamon, o. c. vol. i: Vie de Ste. Marg. Marie Alacoque.

(23) Vide *Periodica* 26 (1937) p. 12.

(24) Thomas Andrade, Erem. St. Augustini, *Passiones Domini Nostri Iesu Christi,* translatae in linguam russicam cum approbatione S. Synodi, Mosquae 1817.

Iis quae in articulo modo simplici et obvio exposita sunt, forte obstant rationes graves et reales; sed historia huius pietatis docemur, ipsum Christum velle, ut eius amor et caritas ab omnibus agnoscatur nullo limite nationis vel ritus interposito, porro pietatem erga Ss. Cor Iesu non diffundi nisi multis difficultatibus et contradictionibus humiliter et patienter superatis. Rationibus mere humanis posthabitis, fortasse etiam in hac re valent verba quae apud prophetam Isaiam leguntur: « Non enim cogitationes meae, cogitationes vestrae, neque viae vestrae, viae meae, dicit Dominus ». (25).

IOSEPH SCHWEIGL, S. I.

De primigenia forma baptismatis signis sinensibus expressa

Norunt omnes catholicam praedicationem in Sinis, adventu itali Fratris Minoris Ioannis a Montecorvino, qui postmodo, anno 1307, renuntiatus est primus Archiepiscopus Khanbalensis seu Pechinensis, circa annum 1294 ortum habuisse. Ope aliorum Fratrum Minorum, maxima ex parte italorum, permansit illa praedicatio usque ad annum circiter 1368, quando abruptionem bis secularem passa est, ita ut usque ad aetatem S. Francisci Xaverii vix quidquam de re catholica in antiquissimo illo imperio historia nobis traditum sit.

Norunt etiam xaverianum tentamen Sinas anno 1552, paucis ante obitum diebus, ingrediendi, in cassum prorsus cecidisse. Neque meliorem habuerunt exitum tentamina alia

---

AL. D. BJELJAEV, *Ljubov bozestvennaja* (Amor divinus) cum approbatione S. Synodi Mosquae 1884.

Metrop. DIMITRIJ ROSTOVSKIJ, *Opera*, Petrogradii 1912.

SALAVILLE, *Quomodo liturgia sacra nos doceat veram unionis methodum*, in *Acta* S. A. LICHAREVA *O pocitanii sv. Serdca Gospoda* (de cultu Ss. Cordis Domini) Varsaviae 1931.

(25) Is. 55, 8.

quam plurima quae viri apostolici fere sexaginta, praesertim ex religiosa familia franciscali et ex nuper condita Societate Iesu, per annos ferme triginta constanter facere ausi sunt.

Tandem, die 10 septembris anni 1583, æneae illae ianuae Imperii Sinensis, duobus italis ignatianis sodalibus, nempe P. Matthaeo Ricci e Macerata et P. Michäeli Ruggieri e Spinazzola, ultro apertae sunt. Triginta fere annorum spatio, P. Ricci, ex parte australi ad partem borealem, totam peragravit amplissimam Sinarum regionem, non minur quam quinque fundans stationes missionales, nempe in Sciaochin seu Shiuhing 肇慶, in Sciaoceu seu Shiuchow 韶州, in Nanciam seu Nanchang 南昌, et tandem in ambabus principibus urbibus, Nanchinensi 南京 scilicet et Pechinensi 北京 in qua postrema, die 11 mai anni 1610, supremum diem obiit.

Ex sexcentis difficultatibus quas priores illi praecones evangelici experti sunt, unam hic iuvat notasse, nempe difficultatem altissimas res christianas lingua per tot secula ethnica efferendi. Cogita Petrum et Paulum mox Urbem ingressos et arcana Dei lingua ethnica Latii conantes nuntiare; immo longe maiorem fac difficultatem quo maius est — et fere immensum — discrimen, quod Romanorum linguam inter Sinensiumque intercedit. Norunt sinologi, norunt hodierni apostoli Sinarum quot et quantae de rectis nominibus Dei, SS. Trinitatis, Patris Filii et Spiritus Sancti, animae, spiritus, angeli, gratiae, sacramentorum et id genus, lingua sinensi exprimendis, disputationes ortae et acriter exagitatae sint.

At negotia ista, etsi in se gravissima, sane minoris erant momenti quam negotium effingendi formam sinensem baptismatis, qua laicus quilibet, in casu necessitatis, valide et licite uteretur, cum ex ea penderet saepius salus aeterna animarum. Et hic linguae sinensis ignarus lector sedulo animum adiiciat discrimini illi quam maximo quod inter

europaeas linguas quaslibet — ne dixerim latinam — et sinensem intercedit.

Lingua enim Sinensium caret omnino litteris illis quas nos « alphabeticas » vocare solemus, quasque Latini elementa dicebant, cum in ea aliquid in se totum unaquaeque syllaba constituat — est enim lingua monosyllabica — suum habens sonum, suumque, ut par est, sensum. Quo fit ut in huiusmodi lingua voces non proprie elementis sed potius syllabis constent. Accedit quod caret omnino quibusdam sonis — non dixi elementis. Desunt enim linguae communiori seu « mandarinicae » 官 話 soni *ri, ra, ru* etc., *di, da, du* etc., *bi, ba, bu* etc., qui sonis similibus *li, la, lu* etc., *ti, ta, tu* etc., *pi, pa, pu* etc. suppleri debent. Accedit rursum quod consonantes, nisi sint nasales vel gutturales, tot efficiant syllabas quot et ipsae sunt, exceptione facta de sono *öll,* ita ut suam quaeque postulet omnino vocalem quae sequatur. Sic, ut res exemplo magis pateat, vox « spes » quae latine unico vocis flatu emittitur, ideoque unicam efficit syllabam, sinice triplicem constitueret syllabam sic expressam « se-pe-se ». Notandum demum est a boreali legi *pa, san, ta, lio,* etc. quod ab australi sinensi *ba* (immo et *buo*) *sè, da, lia* etc. effertur, ita ut eadem forma, iisdem signis seu characteribus sinensibus scripta, non eodem modo, sed sat dissimili a Sinensibus diversarum inter se regionum legatur.

His igitur de lingua sinensi, ad utilitatem lectoris qui nullam de ea notitiam haberet, utcumque praelibatis, ad rem nostram propius accedamus oportet. Cogitantibus itaque prioribus illis viris apostolicis de forma quadam baptismatis qua laici in casu necessitatis uti possent, cum non auderent eam ex latino in sinensem sermonem translatam, deficientibus verbis aptis, edere, non alia se obtulit incedendi via nisi eam immutatam ex sonis Latii in eosdem vel fere eosdem sonos Sinarum efferre, praetermisso, uti patet, sensu syllabarum sinensium. Sic, si quaedam est syllaba sinensis quae effertur *té* et « virtutem » significat, hic

non pro virtute sed pro voce *te* quae baptizandum indicat, vel pro littera *t* in « Patris » nomine ac in vocula « *et* » usu venit. Hoc igitur modo, formula non esset translata iuxta sensum ex uno in alium sermonem, sed, manens latina, « translitterata » — sit venia verbo — esset secundum sonum, vel brevius, formula latina veste sinensi ornaretur. Cogita verba illa *Kyrie eleison*, quae, etsi maneant graeca et sensu et sono, elementis tamen latinis vestiuntur. Vel, si mavis, cogita illas ephemerides a Iudeis hodiernis editis, in quibus verba hebraica elementis germanicis scribebantur.

Rem reique difficultatem sic describebat belga Nicolaus Trigault S. I., in litteris anni 1611: « Hactenus in hac novella Ecclesia baptismi forma, iis in casibus quibus necessitas Ecclesiae ritus sacerdotalesque manus non obtinet, vulgo utebantur latina sinicis caracteribus expressa. Id habebat periculi non parum; nam Sinarum caracteres longe ab Europaeis distant, neque alios possunt sonos exprimere nisi quos sua lingua novit, nec ulla habent elementa vicinia quibus omnium linguarum sonos scribendo effingant. Itaque cum *B*, *D*, ac *R* elementa omnino non habeant, nec ullum sonum iis insitum, necessario pro iis sonus a vicinioribus consonantibus mutuo sumendus erat, sonum dico, non consonantes. Ipsi nostras vocales non norunt (tot enim sunt apud eos caracteres, quot vocabula), sed tamen habent sonos nostris vocalibus aut consonantibus, licet non omnibus, respondentes. Praeterea duas nusquam consonantes, nulla vocalia media, norunt, exceptisque *M* et *N*, alias nulla consonante terminant dictiones, sed omnes reliquae voces in vocalem desinunt. Ex his facile videretur, non paucos, ad paucas illas formae baptismi dictiones scribendas, caracteres tota lingua sinica deesse; ac necessario alios maxime vicinos sonos assumi, quod, etsi non eam inducebat varietatem quae faceret ut formam irritaret, tamen in re tanti momenti securissimum est omnino securius. Potissimum, cum longe gravius ad hoc accederet, quod illi ipsi sinici caracteres varie variis in locis effe-

runtur, et in quibusdam ita diversus est sonus, ut nihil cum alio commune habeat, licet nihil immutato caractere. Itaque periculum erat ne latinam formam sinice scriptam ac prolatam vix ipsa latinitas agnosceret, tanto animarum periculo. Denique ut via hac multum obstarent, peregrinos aliquos non intelligerent sonos, Sinae prope nulli poterant memoriae commendare (1). Itaque in neophytorum saepe oculis, qui tamen rei christianae bene periti erant, catechumeni, formae ignoratione, sine baptismo decedebant, magno eorum nostrorumque doloris sensu » (2).

Casum saltem unum huiusmodi referunt sinicae historiae; narrant enim quomodo insignis ille vir Paulus Siücoamcchi [Hsü-Kuang-ch'i] 徐光啓 qui postea fuit magnus cancellarius totius Imperii, anno 1608 amicum et cognatione propinquum in urbe Shanghai 上海 morientem et baptismum enixe postulantem, aqua baptismatis non ablutum morti commiserit, eo quod forma illa « barbara » uti non auderet (3).

Haec autem forma hactenus nulli nota erat. Accidit autem ut mihi, anno 1934, in tabulario S. Congregationis a Propaganda Fide obviam veniret exemplar unicum *Doctrinae Christianae* 天主教要, a Ricci, labente anno 1604 vel certe ineunte anno 1605, typis datae, ab ipsoque auctore ad P. Ioannem Alvarez, Assistentem Lusitaniae, Romam die 9 maii anni 1605 missum, postquam manu propria illud notis locupletaverit. Porro in hoc exemplari, in eoque solo, quippe quod antiquius sit aliorum quae alibi asservantur, invenitur primigenia illa forma baptismatis latina simul et sinensis. Quam ex notis ad Volumen primum *Historiae introductionis Christianismi in Sinas per Societa-*

(1) Cum lectio textus manu scripti non sit expedita, sententia haec aliquam obscuritatem prae se fert; quam tamen sententiam sic intelligo: « cum voces istae latinae auribus Sinensium inintelligibiles et peregrinae essent, memoriter plerumque ab eis retineri non poterant ».

(2) Ex autographo Trigaultiano asservato in tabulario romano Societatis Iesu, *Jap.-Sin.* 113, ff. 152*b*-153*a*.

(3) Cf. Tacchi Venturi S. I., *Opere Storiche del P. Matteo Ricci*, S. I., 1, pp. 597-598.

tem Iesu, (4), auctore P. Ricci, quae typis publicis Instituti Polygraphici hic Romae a me, novis et copiosis commentariis adiectis, ex fontibus tum europaeis praesertim ineditis tum sinensibus, brevi edetur, ad utilitatem lectoris qui *Periodica* prae manibus habet, expromere visum est.

Est autem huiusmodi:

Uo-ngo	*té*	*pa-ti-zo*	*in*	*no-mi-no*	*Pa-té-li-se*	*uo-té*
阨 我	德	拔弟作	引	諾米搦	罷德利斯	厄德
E-go	**te**	**ba(p)ti-zo**	**in**	**no-mi-ne**	**Pa-t-ri-s**	**e-t**

Fei-li-i	*uo-té*	*Se-pei-li-tu-se*	*San-co-ti.*	*Ia-mom.*
費離意	厄德	斯彼利都斯	三隔弟.	亞 孟
Fi-li-i	**e-t**	**S-pi-ri-tu-s**	**San-c-ti.**	**A-men.**

Porro de validitate huiusmodi formae liceat aliis theologis altiores instituere disputationes. Probabiliter non erraret qui « probatos auctores » nusquam de re tam peregrina disputavisse contendere vellet. Ne tamen notula ista incompleta foret, haec addidisse sufficiat.

Nullum sane dubium haberi potest de validitate baptismatis latina forma collati ab eo qui, etsi linguam non calleret, recte tamen et intentionaliter efferret verba. Hoc per quam saepe accidit illis prioribus sacerdotibus sinensibus qui, sec. XVII et XVIII, privilegio a S. Sede accepto, presbyteratu aucti sunt, valentes quidem linguam latinam legere sed eam non intelligentes.

Neque ullum haberi potest dubium de baptismate, forma latina quidem collato sed elementis non-latinis, puta graecis vel germanicis; forma enim in hoc casu maneret vere latina, etsi aliena veste ornaretur.

Quodsi, puta casum, lingua, v. gr. germanica, quodam elemento careret, vel, quod vix non idem esset, quaedam elementa ex uno in aliud converteret, exempli causa, *b*

(4) *Storia dell'introduzione del Cristianesimo in Cina per mezzo della Compagnia di Gesù*, scritta dal P. Matteo Ricci S. I., edita ed annotata dal P. Pasquale M. d'Elia S. I.

cum *p*, *d* cum *t*, *v* cum *f* confundendo, ut accidit Argentoratensibus aliisque, neque tunc videtur posse positivum dubium de validitate litinae formae congeri.

Neque ullum dubium movere possunt « barbarae » illae voces *Patélise, Feilii, Sepeilituse Sancoti,* pro nominibus *Patris, Filii, Spiritus Sancti.* Notum enim est, nemine dubium movente, in forma adhibita usque ad Primum Concilium Sinarum anno 1924 convocatum, immo usque ad annum 1936 circiter, etiam locum habuisse verba *Patélè* 罷德肋, *Feilio* 費畧, *Sepeilituo Santuo* 斯彼利多三多 pro *Patre, Filio et Spiritu Sancto* (5). Adde quod etiam ista verba varie pro variis regionibus efferebantur, quin tamen quisquam umquam de validitate huius formae dubitaverit, vel dubium moverit.

Si igitur in lingua sinensi soni qui desiderabantur aliis similibus supplebantur, etsi quidam soni varie pro variis regionibus efferebantur, dummodo tamen talis forma aliquam veram similitudinem sonorum cum latina retinuisset, de validitate baptismatis non esse ambigendum puto, salvo utique meliori et dignori iudicio.

Quot autem periculis obnoxia maneret huiusmodi forma, praesertim cum in sacramentorum administratione tutiore oporteat semper incedere via, nemo est quem fugiat. Et ideo peropportunum factum est ut forma baptismatis translata ederetur, ita ut vel parvuli eam memoriter retinere et ideo morientes aquis salutaribus abluere possent. Quod anno 1611 factum esse testatur Trigaultius in nuper laudatis litteris annuis (6).

---

(5) Gregorius III exprobravit S. Bonifatium, Germaniae apostolum, eo quod baptismum rursus contulerit infideli, a sacerdote latinae linguae ignaro hac formula iam baptizato: « Ego te baptizo in nomine Patria et Filia et Spiritus Sancti ». Cf. POULET, *Histoire du Christianisme*, Parisiis, 1934, II, p. 21.

(6) Tabular. roman. S. I., *ibid.*, f. 153*a*. Sententia illa quae legitur in *Historia introductionis Christianismi in Sinas per Societatem Iesu*, auctore P. RICCI: « Despois se tirou este impedimento [impedimentum scilicet formae latinae signis sinensibus expressae], como em seu lugar se dirá » non a Ricci scripta est sed a Trigaultio addita. Cf. TACCHI VENTURI, *Opere Storiche del P. Matteo Ricci* S. I., I, p. 598. Et re quidem vera totum illud caput autographo ricciano insertum est

Quod Trigaultii testimonium testimonio P. Nicolai Longobardo, tunc munus Superioris totius expeditionis gerentis, die 15 octobris anni 1612 dato, apprime confirmatur et roboratur. Eius iudicio, forma illa latina, cum non intelligeretur a Sinensibus, erronee et diverse pro diversis Sinarum provinciis efferebatur, ita ut essentialiter corrumperetur. Ideo, ait, translatam edidimus, ita tamen ut formae latinae apte responderet (7). Erat autem illa qua Sinenses passim usi sunt usque ad haec postrema tempora, nempe:

Uo	*si*	*öll*	*in*	*Pa-té-lé*	*chi*	*Fei-lio*	*chi*	*Se-pei-*
我	洗	爾	因	罷德肋	及	費略	及	斯彼
Ego	**abluo**	**te**	**propter**	**Pa-t-ris**	**et**	**Fi-lii**	**et**	**S-pi-**

li-tuo	*San-tuo*	*min-ce.*	*Ia-mom.*
利多	三多	名者.	亞孟
ri-tus	**San-cti**	**no-men.**	**A-men.**

---

a Trigaultio post mortem auctoris, sicut et ipse testatur. Adde quod nusquam alibi in eadem *Historia* quaestio est de translata forma sinensi baptismatis, sed bene in litteris annuis ipsius Trigaultii, ut iam supra ex eius verbis adductis patet. Unde liquet quod ea, non anno 1610, ut illic in notis explicatur, sed anno 1611, translata est.

(7) En testimonium autographum lusitanice scriptum: « Temse assentando a forma do Baptismo em lingoa sinica, porque a nossa europea, como a não entendião, a dejerão mui erradamente. E sobretudo achamos que as letras que referian o som da nossa forma, tem diversa pronunciação em diversas provincias da China, por onde se vinha a corrumper o essential da dita forma. Esta forma vai puramente conforme a latina, sem lhe acrecentar o « Deus », que acrecentão na forma japonica, porque pondolhe huna soo vez « Deus » (como a lingoa he de si equivoca) podia parecer a os neophitos que fosse Deus somente a primeira pessoa, a qual se aiuntava, e pondolhe a mesma palavra tres veses, acompanhando cada huna das tres pessoas, podia parecer que fossem tres deuses. Por isso nos resolvemos a não alterar nada da forma latina. A rezão que alguns davão de deverse usar da frasi e lingoa europea, pera ser esta forma mais recondita e misteriosa, cessava agora totalmente, por amor que os nomens das tres pessoas estam ja traducidos na cartilha sinica, e sabidos de todos » (Tabul. Roman. S. I. *Jap.-Sin.* 113, *f.* 270*a*, N. 24). — Ut textus iste melius autem intelligatur, animadvertat lector Patrem Longobardo, contra morem Patris Ricci, voluisse etiam nomen Dei non quidem translatum edere sed ex sono lusitanico *Deus* in sonum similem sinensem, sicut et in primigenia forma baptismatis factum erat, semper transmutare. Hic vero notat non esse additum verbum illud nominibus Trium in Trinitate Personarum in tunc nova baptismatis forma, sicuti additum erat in forma qua utebantur missionarii in Iaponia.

Hodie tamen forma quae docetur in recentiore catechismo, anno 1936 edito, est tandem perfecte sinensis. Est autem huiusmodi:

Uo	*si*	*öll*	*in*	*Fu*	*chi*	*Ze*	*chi*	*Scem*	*Scen*
我	洗	爾	因	父	及	子	及	聖	神
Ego	**abluo**	**te**	**propter**	**Patris**	**et**	**Filii**	**et**	**Sancti**	**Spiritus**

ce	*min.*
之	名.
(τῶν) (8)	**nomen.**

PASCHALIS M. D'ELIA S. I.

« Triginta millia libellarum seu francorum »

In canonibus 534 et 1532 C. I. C. sermo est de valore rerum temporalium indicato in libellis seu franchis. Quaestio oritur, utrum hoc pretium referendum sit ad monetam auream, an potius ad monetam chartaceam hodie communiter in usu. Sancta Sedes noluit hucusque rem definire. SS. Congregationes accurate omnia evitant quae positive approbare videantur opinionem iuxta quam aestimatio libellarum seu francorum facienda sit ad valorem aureum. In praxi tamen permittunt ut praefata norma servetur (1). Videamus igitur rationes propter quas sententiam inter auctores communem (2) sustineri debet, et

(8) Vocula illa *ce* 之 signum est genitivi quod pendet a voce « nomen » et regit tres illos sinice indeclinabiles terminos « Patris et Filii et Spiritus Sancti », ita ut sensus sit: « propter nomen τῶν Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Non immerito quis illud signum signo anglico possessivo *'s*, v. g. in sententia « Holy Ghost*'s* name », assimulare poterit. Cum autem ultima nomina sint tria, placuit genitivo graeco non numero singulari τοῦ, ut passim mos fert, sed plurali τῶν hic pro aliquali intelligentia — vocula enim sinensis Singularis pluralisve esse potest — uti.

(1) JORIO, *Le Vergini Prudenti*, p. 68, nota 1.

(2) BERUTTI, III, *De Religiosis*, p. 120. - CAPPELLO, *Summa* III, p. 51; De Censuris3, n. 408, p. 356. - CHELODI, *Ius de Personis*, n. 261, nota 7. - DOHENY, *Church Property*, pp. 33, 34. - LARRAONA in *Com. pro Rel.*, XIV, 1933, pp. 42, 43. - MATTAEUS A CORONATA, I, n. 560, p. 677,

deinde, quomodo hic valor aureus cum monetis chartaceis hodie apud varias gentes usurpatis correspondeat.

Ante Codicem

Auctores qui de pretio rerum temporalium in ordine ad alienationem ante Codicem scripserunt, rem ad nummos aureos communiter referebant. Ita Bucceroni (3) docet: S. Cong. EE. et RR. « pro praediis exigui valoris summam determinavit 25 scutatorum aureorum de Camera, nempe circiter 225 libellarum italicarum ».

D'Annibale (4) dicit: « Porro mobilia pretiosa accipimus vasa aurea vel argentea, gemmas, etc., et quae antiquitate praestant, vel artificio, dummodo valeant saltem aureis 25 de Camera, id est libellas 235 ».

Wernz (5) citat decreta S. C. Ep. et Reg. et S. C. C. « quibus res dicitur pretiosa et ab Episcopo sine beneplacito apost. non alienanda, si superet 25 scutata aurea ».

Ratio autem cur valor rerum alienandarum auro aestimaretur, erat sic dicta Unio seu Conventio Monetaria Latina, Parisiis anno 1865 a Belgio, Italia, Gallia, Helvetia inita, secundum quam monetae aureae singularum regionum aequales erant titulo, pondere, valore, forma (6); quae norma postea accepta est a Graecia, Hispania, Rumania, Serbia. Aliae nationes monetam suam facile accomodaverunt huic normae. Ita, v. g. monetae austriacae 8 et 4 *gulden* aequivalebant monetis 20 et 10 francorum seu libellarum.

Relatio inter monetas aureas nationum ante bellum

---

nota 4. - Pistocchi, *De Bonis Temporalibus*, p. 405. - Pruemmer, p. 260, nota 1. - Vermeersch-Creusen, *Epitome*, I, n. 657, p. 474; II, n. 819, p. 568. - Vromant, *De Bonis Temporalibus*, n. 37, p. 53. - Wernz-Vidal, IV, n. 762, p. 230.

(3) Com. Const. Ap. Sed. n. 83.

(4) *Summula*, III, n. 77, nota 6.

(5) *Ius Decretalium*, III, n. 160, p. 180, nota 140.

(6) Cf. *Enciclopedia Italiana*, s. v. *Moneta*, vol. XXIII, p. 650.

mundiale, tempore quo Codex Iuris Canonici elaboratus est, ita se habuit:

30,000 francorum in Belgio francorum in Gallia francorum in Helvetia libellarum in Italia pesatarum in Hispania	=	24,000 marcharum in Germania 24,000 *shilling* in Anglia 27,000 coronarum in Austria 6,000 dollarium in U. S. A. et Canada.

Legislator igitur normam auream prae oculis in Codice efformando habuisse censendus est propter has rationes:

1) Paritatem posuit inter francos et libellas ad normam Unionis Monetariae Latinae, scribendo in can. 534 « francorum *seu* libellarum »; in can. 1532 « libellarum *seu francorum* ».

2) Legislator normam *universalem* dare voluit quae eandem potestatem Ordinariis conferret ubique terrarum circa alienationem. Sed norma aurea unica est quae potest esse universalis.

3) Legislator voluit dare normam *stabilem* seu fixam. Iamvero, aurum solum est norma stabilis et fixa, etiam respectu nationum in quibus bimetallismus admittitur, propter mutationem continuam valoris argenti. Bene vero notandum est valorem de quo agitur esse valorem verum et intrinsecum auri, non incertum valorem ratione cambii vel mercaturae qui mutabilis est.

4) Moneta chartacea non est vera moneta, sed titulus crediti aut syngrapha reipublicae. Inde maximae varietati subiacet et continuo mutatur. Ergo non potest esse norma universalis et stabilis pro omnibus. Absurda sequerentur. Quod in Gallia, Italia, Belgio ex diminuta potestate acquisitionis libellae et franchi non licet absque venia S. Sedis, iam in Helvetia, Anglia, Hollandia licebit; quod sane est contra mentem legislatoris et textum legis.

Post Codicem

Uti iam supra indicavimus, S. Sedes rem theoretice nondum determinavit. In praxi vero habemus aliquas decisiones quae opinioni communi favent:

1) S. Cong. Concilii in resolutione (7), circa *redemptionem canonis* (cf. can. 1542 § 1) respondit attendendum esse valorem realem, *non vero nominalem* « si valor nominalis sit superior valori reali ».

2) Hanc sententiam S. Cong. de Prop. Fide iterum confirmavit definiens in can. 534, 1532, 2347, loco triginta millium libellarum seu francorum, in Sinis retineri posse quindecim millia dollarorum Sinensium, et sic, servata proportione, de aliis summis (8).

3) Delegatus Apostolicus pro Statibus Foederatis Americae Septentrionalis in litteris auctoritate S. Cong. de Religiosis ad omnes religiosorum Superiores illius regionis de interpretatione et observatione can. 534 die 13 nov. 1936 missis (9), normam auream explicite approbat his verbis:

« Summa supra dicta sex millium dollarium intelligenda est, relate ad terminos Codicis, uti aequivalens triginta millibus francorum seu libellarum, et relate ad valorem monetae aureae, uti oppositae aliis monetis, cum moneta aurea sit vera mensura valoris ».

Pro praxi hodierna

Attenta legislatione singularum regionum quam in libello optimo a René Sedillot (10) collectam invenimus, et studio diligenti mutationem valoris pecuniae (*cambio*) per duos annos extenso, hunc elenchum *pro praxi tutum composuimus*: (11).

(7) Romana et aliarum, 23 ian. 1923 *AAS.* xv (1923), pp. 513-4.

(8) Cf. *Primum Concilium Sinense*, 1924, edit. 1929; vota et postulata, n. 19, p. 275.

(9) Apud Bouscaren, *Canon Law Digest*, Supplement, 1938, p. 19.

(10) *Le Drame des Monnaies*, Histoire Contemporaine des Changes, Deuxième Édition, 1937, Supplément, 1938, Sirey, Paris.

(11) Elenchus valebat die prima septembris 1938. Pro praxi futura attendenda erit legislatio nova pro singulis regionibus, et mutatio quotidiana.

Summa aequivalenti 30,000 libellarum seu francorum aureorum.

I. *Pro Europa*

Albania	30,000	franchorum
Anglia	2,000	librarum sterlingarum
Belgium	290,000	franchorum
Bulgaria	800,000	levarum
Czechoslovakia	280,000	coronarum
Dantzig	51,600	florenorum
Denmark	44,800	coronarum
Esthonia	36,500	coronarum
Finland	450,000	marcharum
Gallia	350,000	franchorum
Germania	24,000	marcharum
Graecia	1,100,000	drachmarum
Helvetia	42,700	franchorum
Hibernia	2,000	librarum sterlingarum
Hispania (Burgos)	84,000	pesatarum
Hollandia	17,700	aureorum (*gulden*)
Hungaria	48,000	pengorum
Italia	186,000	libellarum
Lettonia	50,000	lattorum
Lithuania	59,000	litarum
Lusitania	220,000	scudatorum
Luxembourg	230,000	franchorum
Polonia	51,600	aureorum (*zloty*)
Rumania	1,335,000	*lei*
Yugoslavia	425,000	denariorum

II. *Pro tota America*

Argentina	38,000	pensorum (*pesos*)
Bolivia	280,000	bolivarorum
Brazil	170,000	*milreis*
Canada	10,000	dollarium
Chili	250,000	pensorum (*pesos*)
Colombia	17,000	pensorum (*pesos*)
Costa Rica	42,000	colonorum
Cuba	10,000	pensorum (*pesos*)
Equador	135,000	*sucre*
Guatemala	10,000	*quetzal*
Haiti	50,000	*gourdes*
Honduras	20,000	lempirarum

Mexico	50,000	pensorum (*pesos*)
Nicaragua	50,000	cordobarum
Panama	10,000	balboarum
Paraguay	2,600,000	pensorum (*pesos*)
Peru	42,000	*soles*
Salvador	25,000	colonorum
Uraguay	25,000	pensorum (*pesos*)
U. S. A.	10,000	dollarium
Venizuela	31,000	bolivarorum

III. *Pro aliis Regionibus*

Aegyptus	2,000	librarum
Africa Mer.	2,000	librarum
Australia	2,500	librarum
Hong-Kong	33,000	dollarium
India	27,500	*roupei*
Indochina	35,000	plastrarum
Irak	2,000	denariorum
Iran	160,000	*riali*
Japonia	35,000	*yen*
Malay Penin.	17,500	dollarium
Manchukuo	35,000	*yuan*
New Zealand	2,480	librarum
Palaestina	2,000	librarum
Philippinae	20,000	pensorum (*pesos*)
Siam	22,000	baletorum
Syria-Lebanon	17,500	librarum
Turkia	1,250,000	plastrarum

ADAMUS ELLIS, S. I.

Casus conscientiae, III

Patricola, sacerdos, peregrinus in Urbe, et fruens beneficio obtinendi in cambiis monetae exterae reductionem sic dictam « turisticam », sequentia habet dubia:

1) Cum ab amico exterae regionis rogetur libros quosdam pro ipso emere, quaerit utrum ei liceat illos emere pecunia turistica, ab amico tamen pretium repetere secundum cambium usuale.

2) Idem cum stipendia similiter ex regione extera accipiat ad missas celebrandas, petit utrum quando missas aliis sacerdotibus tradit celebrandas stipendia tradere possit secundum cambium usuale, sibi reservans beneficium ex cambio turistico.

Solutio. Patricola in casu gaudet beneficio personali a Statu concesso ad fovendam alienigenarum in territorio commorationem, ex qua minori pretio ipsi conceditur pecunia. Dum hac pecunia libros pro amico emit pretio usuali, negotium gerit in favorem amici, qui dum pecunia propriae nationis obligationi emptoris satisfacit, eam illa quantitate mittere debet quae sufficiat ad tantam pecuniam secundum cambium usuale acquirendam, quanta sufficiat ad debitum solvendum. Cum vero Patricola gaudet facultate sibi procurandi hanc pecuniam minore pretio, lucrum percipit non modicum ex pecunia sibi ab amico extero missa.

De hoc lucro quaerendum est num sit legitimum et quidem ex triplice capite:

a) relate ad amicum;

b) relate ad Statum concedentis favorem monetae turisticae;

c) relate ad leges ecclesiasticas contra negotiationem clericorum.

a) Relate ad amicum non est iniustum lucrum; etenim ab ipso iustum pretium exigit solvendum secundum usuale cambium, quod viget pro omnibus qui pecunias ex extera natione mittunt ad debita sua solvenda, Quod vero Patricola possit obtinere cambium magis favorabile, hoc tribuendum est titulo personali, quo gaudet, in utilitatem commorantium in hac natione concesso. Unde merito comparari potest hoc beneficium illi quod concedi solet gestoribus negotiorum a venditoribus qui in favorem ipsorum reductionem pretii effectivi concedunt. In casu nostro haec reductio modo quodam generali conceditur per

legem gubernii constituentis cambium sic dictum turisticum ad hospites alienigenas attrahendos.

b) Relate ad Statum observet Patricola quaenam sint conditiones sibi impositas circa destinationem pecuniae cambio turistico acquisitam. Illae conditiones sincere, nostro iudicio, sunt observandae. Si ergo ad usus personales tantum concedatur, solum ad hunc finem adhiberi potest, large tamen concessionem interpretando; si vero sine illa limitatione pecunia concedatur, nullam fraudem committit Patricola libros pro amico emendo.

c) Sed Patricola est clericus, et sic agendo rem emere videtur ut immutatam maiore pretio vendat, quod negotiationem clericis vetitam continere videtur. Sed rem diligenter consideranti apparebit Patricolam *negotium* quidem agere, sed vere *negotiationem* aut *mercaturam* non *exercere;* hoc autem tantum in Codice, canone 142, clericis prohibetur.

Quibus praemissis sit responsum ad *Primum*: Per iustitiam et per leges ecclesiasticas licet Patricolae sic agere; utrum per legem concessionis liceat, respondendum est ex tenore ipsius concessionis. Videat tamen simul quid amicitia ab eo exigat.

Ad *Secundum*: Res diverso omnino modo procedit. Stipendium missae debetur integre illi qui missam celebrat, ad normam canonis 840 transmittendum. In transmittendis autem stipendiis vitanda est « quaelibet etiam species negotiationis vel mercaturae » ex can. 827.

Quare non licet Patricolae occasione trasmissionis stipendiorum tale lucrum sibi procurare. Ergo aut pecuniam quam accepit immutatam tradat celebranti, aut si illam iam convertit in pecuniam nationis in qua degit, integre quidquid accepit tradat celebranti, deductis ut patet expensis et salva *expressa* oblatoris voluntate.

Ulpianus López, S. I.

MONUMENTA

42 - SS. D. N. Pius Pp. XI
Constitutio Apostolica de nova dioecesi seu eparchia Planensi Graecorum erigenda

(*AAS* XXX [15 iul. 1938] p. 213 ss.)

PLANENSIS GRAECORUM

NOVA DIOECESIS SEU EPARCHIA PLANENSIS GRAECORUM ERIGITUR EX PAROECIIS BYZANTINI RITUS AB ARCHIDIOECESIBUS MONTIS REGALIS ET PANORMITANA SEIUNCTIS

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolica Sedes, pro sua omnium ecclesiarum sollicitudine, agnoscere consuevit suaque suprema auctoritate approbare non dubitavit quemlibet christianae religionis ritum, qui in plena et integra fidei professione fundatus, cuiusvis vel populi seu nationis vel singularis quoque ecclesiae vetustatem simul et sacrae liturgiae splendorem proferat atque patefaciat. Praedecessores namque Nostri non immerito arbitrati sunt ad divini cultus magnificentiam quam maxime conferre ipsam Ecclesiae rituum in fidei unitate varietatem, quippe qui sacra publica ad christifideles admoveant, eos ad fidei puritatem et constantiam atque nobiliores ac suaviores suae gentis legitimas traditiones devinciendo; neque unquam iidem Decessores Nostri inter diversos catholicos ritus hierarchiae discrimina vel gradus

fieri et esse passi sunt, veluti si alius alio pluris habendus, alius aestimandus, alius vero contemnendus sit. Attamen inter varios Ecclesiae ritus semper Apostolicae Sedi percarus fuit byzantinus ritus, praeclaris memoriis sanctisque viris gloriosissimus, atque mysticis sollemniis ac liturgiae splendore ditissimus, per quem graeco ipso sermone, quo plerumque utitur, ad mentem facile revocantur ipsa Christi Ecclesiae primordia atque tum magnifica sanctorum Patrum orientalium series, tum utriusque Ecclesiae occidentalis et orientalis ritus, romanus nempe et byzantinus, in pluribus Italiae quoque regionibus una simul florentes. Neque Sanctam Sedem fugere poterat auctoritas illarum byzantini ritus communitatum, quae vel in quibusdam Italiae regionibus inter tot tantasque rerum hominumque vicissitudines integrae permanserunt, vel in Italiam, turcicam dominationem effugientes, uti Epirotae, immigraverunt, qui in patriam et christianam religionem acerbissimas infidelium insidias maerentibus oculis intuebantur. Quae quidem prae oculis habens fel. rec. Benedictus Papa Decimus quintus, Praedecessor Noster, Apostolicis sub plumbo Litteris *Catholici fideles*, die tertiadecima Februarii mensis, anno millesimo nongentesimo undevicesimo datis, spirituali bono et regimini christifidelium byzantini ritus in Magna Graecia degentium consulere cupiens, Lungrensem Graecorum dioecesim constituit pro Italis-Epirotis. Iisdem et Nos rationibus permoti, Italorum-Epirotarum communitates paterno prosequentes amore, quae in Sicilia, circa oppidum praesertim vulgo *Piana dei Greci* nuncupatum, commorantur, quaeque saeculare extant rerum ac traditionum byzantino ritui arctissime coniunctarum testimonium, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi pro Ecclesia Orientali praepositorum consilio, omnibus mature perpensis, communitates illas in dioecesim seu eparchiam ritus byzantini constituere statuimus. Quare, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant con-

sensu, de Nostrae Apostolicae potestatis plenitudine, novam in Sicilia erigimus et constituimus byzantini ritus dioecesim seu eparchiam, Nobis et Sedi Apostolicae immediate subiectam, cui nomen erit *Planensis Graecorum*, quamque his quae sequuntur legibus regi et gubernari volumus ac decernimus. I. Ad novam hanc dioecesim pertinebunt paroeciae omnes Planensis Graecorum urbis, quas idcirco ab archidioecesi Montis Regalis seiungimus, atque paroecia S. Christinae Gelae, quam ab archidioecesi Panormitana pariter seiungimus. II. Item ad eamdem Planensem Graecorum dioecesim pertinebunt paroeciae, ecclesiae, oratoria publica vel semipublica, nec non domus religiosae tum virorum tum mulierum, quae in Sicilia iuxta ritum byzantinum iam canonice erecta sunt vel in posterum erigentur. III. Quoad iura et onera omnium paroeciarum, ecclesiarum, oratoriorum et domorum religiosarum praefatarum, praesertim si quid ab Apostolica Sede de iis statutum fuerit, nihil prorsus immutetur. IV. Nihil pariter immutetur quoad mensam, qua gaudet Episcopus sacris ordinibus pro Italis Epirotis in Sicilia conferendis deputatus, cui beneficium Abbatiae S. Mariae *La Gala* tribuitur. V. Ordinarii dioecesium ritus latini in Sicilia et Ordinarius novae huius dioecesis Planensis Graecorum curabunt, quatenus opus sit, ut inter se conventiones ineantur quoad iurisdictionem duobus Episcopis eodem loco exercendam super quosque sibi subditos christifideles; volumus vero ut conventiones istae a S. Congregatione pro Ecclesia Orientali recognoscantur et adprobentur. VI. Seminarium Panormitanum pro Italis-Epirotis posthac erit eparchiae Planensis Graecorum Seminarium, cui propterea archidioeceses Panormitana et Montis Regalis atque ceterae dioeceses in Sicilia exstantes quidquid hucusque contulerunt etiam in posterum conferre debent. VII. Huius autem dioecesis byzantini ritus sedem et episcopalem cathedram in Planensi Graecorum urbe statuimus in Ecclesia matre S. Demetrii Martyris; quam proinde ad cathedralis ecclesiae gradum et dignitatem evehimus et

extollimus, cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus eidem iure communi adnexis. Cum autem Panormi, uti omnes norunt, communitas exstet christifidelium ritus byzantini satis frequens et illic Seminarium florescat pro Italis-Epirotis, venerabili Fratri Nostro Aloisio S. R. E. Cardinali Lavitrano, Archiepiscopo Panormitano, committimus ut vetustam ipse et magnificam Ecclesiam, vulgo *della Martorana* nuncupatam, ad sacra ritus byzantini peragenda destinet, eamque Nos concathedralis titulo et dignitate constituimus. Eidem insuper venerabili Fratri Nostro committimus ut domum Panormi destinet pro Curia eparchiali, ad quam ipse transmittenda curabit documenta omnia et acta novam hanc dioecesim respicientia. VIII. Decernimus denique ut, vacantibus latini ritus paroeciis in civitate Planensi Graecorum, ius sit venerabili Fratri Archiepiscopo Montis Regalis tria sacerdotum scientia ac pietate probatorum nomina Ordinario Eparchiae Planensis Graecorum praesentandi, ea lege ut Ordinarius ipse inter illa eligere parochum teneatur. Ad quae omnia ut supra disposita et constituta exsecutioni mandanda quem supra memoravimus venerabilem Fratrem Nostrum Archiepiscopum Panormitanum deligimus; eique propterea omnes tribuimus facultates ad hoc necessarias et opportunas, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus facimus ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali intra sex menses ab his Litteris datis computandos authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar transmittendi. Volumus insuper ut harum Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae hisce Litteris haberetur si exhibitae vel ostensae forent. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio,

licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ad omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus, ceterisque contrariis, quibus omnibus, etiam speciali mentione dignis, per praesentes derogamus. Nemini ergo hanc paginam dismembrationis, erectionis, subiectionis, decreti, concessionis, commissionis, mandati, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulphi, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo septimo, die vigesima sexta Octobris mensis, in festo S. Demetrii Martyris iuxta Kalendarium byzantinum, Pontificatus Nostri anno sexto decimo.

Fr. TH. PIUS, O. P., Card. BOGGIANI
Cancellarius S. R. E.

EUGENIUS Card. TISSERANT
S. C. pro Eccl. Orient. a Secretis

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Proton. Apost.*
Hannibal Franciscus Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Annotationes

Hanc Constitutionem hic edendam esse putavimus pro affinitate sua cum duobus documentis recentissimis quae in prioribus *Periodicorum* fasciculis exhibuimus. XXVII, p. 223-229; 230-237.

Memoratis primo rationibus propter quas Apostolica Sedes omnes ritus orientales pari loco cum latinis habendos esse constanter duxit, Summus Pontifex causas quoque exponit ob quas inter cunctos ritus orientales byzantinus semper eidem Sedi Apostolicae carissimus fuerit et esse debeat. Quas inter causas haec est quod Sanctae Sedi fugere non poterat auctoritas illarum byzantini ritus communitatum quae vel in quibusdam Italiae regionibus inter tot tantasque rerum hominumque vicissitudines integrae permanserunt, vel in Italiam, uti Epirotae, immigraverunt, ut turcicam dominationem et patriae suae ac christianae religioni acerbissimas ab infidelibus inflictas vexationes effugerent.

Nova eparchia, Apostolicae Sedi immediate subiecta, propriis legibus regenda et gubernanda est, quas ipsa Constitutio octo distinctis capitibus singillatim definit. Ad novam diocesim pertinent paroeciae omnes — tres sunt — ipsius urbis Planensis Graecorum (*Piana dei Greci*, in provincia Panormitana), paroecia S. Christinae Gelae (ab archidioecesi Panormitana ideo disiuncta), omnes paroeciae, ecclesiae, oratoria publica vel semiplublica, domus quoque religiosae, cum virorum tum mulierum, quae in Sicilia iuxta ritum byzantinum iam canonice erecta sunt vel in posterum erigentur.

H.

43 - SS. D. N. Pius Pp. XI

NUNTIUS RADIOPHONICUS

A BEATISSIMO PATRE, DIE XXIX MENSIS MAII ANNI MCMXXXVIII, AD URBEM BUDAPESTINUM DATUS AD EXITUM CONGRESSUS UNIVERSALIS XXXIV EUCHARISTICI.

(*AAS* xxx [11 iun. 1938] p. 181 s.)

Venerabiles Fratres, dilecti Filii. — Dum datur Nobis, per mirandum radiophonicae artis inventum, paterna illa caritate, quae longinquitates omnes exsuperat, quasi praesentes vos alloqui, videmur Nobis ad urbem Hungariae principem quasi redire; quandoquidem multis abhinc annis Budapestinum invisimus, ac non modo rerum gestarum monumenta, sed avitam etiam actuosamque Hungarorum fidem, summa cum animi delectatione, admirati sumus.

Grata utique adhuc subit recordatio animum: res nempe, memoriae gloriaeque vestrae, post diuturnum aetatis intervallum, veluti ante oculos reviviscunt, atque iterum vehementi Nos admiratione commovent. Equestrem S. Stephani, Apostolici Regis, statuam in piscatorum aggere erectam adhuc mente suspicimus; atque ille videtur Nobis genti suae perpetuo benedicere, eamque, in tutelam suam receptam, servare incolumem, regere, caelesti ope iuvare. Sanctum Stephanum dicimus, qui Beato Petro, in Successore suo per omne aevum viventi, Regnum obtulit suum, et non nisi ab eo regiam voluit obtinere potestatem.

Ac sanctissimi iuvenis Emerici, eius filii, qui in ipso aetatis flore ad supernam patriam evolavit, piissimam vitam suavesque mores recordamur; eumque — quemadmodum paucis ante annis, non exeunte saeculo ab eius obitu — catholicae iuventuti iterum ad imitandum proponimus [1]. Itemque tot Nostro obversantur animo viri ac mu-

(1) Cfr. *A. A. S.*, 1930, pp. 323 et 390.

lieres e Natione vestra, qui — ut nominatim Sancta Elisabeth ac S. Ladislaus Rex — evangelica virtute praestantes, suae cuiusque vitae nitore praeclarisque exemplis Hungariam illustrarunt, eamque quasi invictum propugnaculum effecerunt adversus christiani nominis civilisque Europae cultus impugnatores.

Ad vos igitur primum, carissimi Hungariae filii, animum convertimus Nostrum; vobisque, una cum divinis muneribus, quae supernam vitam alunt, non modo illam a Deo ominamur pacis tranquillitatem, sine qua ipsa veri nominis pax consistere non potest, sed, debitam etiam Hungarorum genti, pacis dignitatem.

Ac dein vobis, singulis universis, Eucharisticum ex omnibus Nationibus Congressum Budapestini celebrantibus, paterno ex animo benedicimus; dumque Redemptor Noster, Eucharisticis velis delitescens, at fidei oculis quasi adspectabilis, summum agit triumphum, eum una vobiscum suppliciter adprecamur ut haec, quae non desunt, solacia, ut hanc, quam mente praecipimus, meliorum temporum spem, divina ope sua foveat, augeat, confirmet: itemque eam, qua tantopere angimur, animorum perturbationem obscurationemque, depulsis caelo nubibus, quae novas tempestates portendere videntur, supernis suae lucis radiis suaeque gratiae muneribus collustrare ac sedare benigne velit.

Peculiarem vero Benedictionem carissimo Hungariae clero populoque impertimus; iisque bene omnia precamur, qui Apostolici istius Regni gubernacula moderantur, quique, in Nostro a Latere Legato personam respicientes Nostram, eum tam honorifice exceperunt, atque alacrem contulerunt concordemque operam ad felicem Congressionis exitum.

Faxit Deus ut Eucharisticus Conventus vester, caritate in omnium animis excitata, quae totius Evangelii quasi compendiaria lex iure meritoque dicitur, uberes edat felicesque fructus; non caducos eos quidem, sed perpetuo mansuros. Avitam fidem alat, supernorum spem bonorum

augeat, ac divini amoris flammam, christianae virtutis effectricem, ita foveat atque enutriat, ut ii etiam, qui a Christo Domino miserrime aberraverint, bonorum exemplo permoti, ad amantissimum eius amplexum auspicato reducantur.

Et Benedictio Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper.

44. - SS. D. N. Pius Pp. XI

NUNTIUS RADIOPHONICUS

A BEATISSIMO PATRE, DIE XXVI MENSIS IUNII ANNO MCMXXXVIII, AD URBEM QUEBECENSEM DATUS AD EXITUM CONGRESSUS NATIONALIS EUCHARISTICI CANADENSIS.

(*AAS* xxx [15 iul. 1938] p. 224 ss.)

Venerabiles Fratres, dilecti Filii. — Hac sollemni hora, dum « Rex regum ac Dominus dominantium » (1) candidis Eucharistiae delitescens velis, caritati vestrae immensa caritate sua respondet, ac summum apud vos agens triumphum, suis vos cumulat caelestibus muneribus, maximo Nobis gaudio ac solacio est vos quasi praesentes alloqui, ac paternum vobis pandere animum Nostrum.

Iamprimisque gratulamur vobis vehementer, quod avitam maiorum vestrorum fidem magis hodie magisque revirescere videmus, vosque cernimus praeclara eorum exempla piissimo quadam contentione aemulari. Quae quidem praeclara exempla haud mediocri cum delectatione menti Nostrae succurrunt; Nostramque spem erigunt fore ut, quemadmodum superiore aetate, ita in praesens flexamina divini Redemptoris gratia ex Eucharistiae Sacramento uberes vobis quoque edat christianae pietatis christianaeque vitae fructus.

(1) I Tim., VI, 15; Apoc., XIX, 16.

En adsunt vobis e caelis, ac faustum eiusmodi eventum participant sanctissimi illi e Canadensi Natione Martyres, quos haud multis ante annis sanctitudinis Nos diademate decoravimus; vos libentes respiciunt; vosque, suis vestigiis insistentes, ad sempiternam secum una invitant beatitatem.

Itemque vobis adsunt non pauci viri ac mulieres, evangelica virtute praestantes, quorum causa apud Sacram Rituum Congregationem agitur, quique — ut Franciscus De Montmorency-Laval, primus Quebecensis dioecesis episcopus, ut Margarita Bourgeoys, ut Catharina Tekakwitha — « spectaculum facti... mundo et angelis et hominibus » (2) tantopere elaborarunt in sua suorumque salute procuranda, et in catholica provehenda religione.

Nostis profecto, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, undenam ipsi vim virtutemque hauserint, qua permoti ac roborati, sanctitatis iter volenti strenuoque animo ingressi sunt; ex Augusto nempe altaris Sacramento, quod reapse est « frumentum electorum et vinum germinans virgines » (3). Ad hoc igitur caeleste convivium, ad hoc divinae caritatis mysterium, summa pietate incensoque amore, adeamus omnes; eoque refecti ac confirmati, a Christo Domino, qui « caelum laetificat, et mundum conservat universum » (4) non modo nobis ac christifidelibus universis, sed aberrantibus etiam e recto itinere hominibus, nimio saepius terrena obcaecatis cupidine, vel odio simultateque aestuantibus, veritatem, concordiam caritatemque deprecemur.

Ac peculiari modo, pacis, unitatis caritatisque dona, quae ex divina Eucharistia oriuntur, Canadensi Nationi imploremus, in quam e tot gentibus ac stirpibus homines in praesens confluunt; ita quidem ut « una sit fides mentium et pietas actionum ».

---

(2) I Cor., IV, 9.
(3) Zach., IX, 17.
(4) De Imit. Ch., l. IV, c. I, 13.

Et Benedictio Dei Omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper.

45. - Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii Decretum 17 Iunii 1938

DAMNATUR LIBER CUI TITULUS: « INITIATION AU NOUVEAU TESTAMENT », AUCTORE O. LEMARIÉ.

(*AAS* XXX [15 iul. 1938] p. 226)

Feria IV, die 15 Iunii 1938

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

O. LEMARIÉ, *Initiation au Nouveau Testament.*

Et sequenti Feria V, die 16 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XI, in solita audentia Exc.mo ac Rev.mo D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 17 Iunii 1938.

R. Pantanetti, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

46. - Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii Decretum 18 Iunii 1938

DE SPECIALI DEVOTIONE ERGA SACRUM CAPUT D. N. IESU CHRISTI NON INTRODUCENDA

(*AAS* XXX [15 iul. 1938] p. 226-227)

Feria IV, die 15 Iunii 1938

Quaesitum est ab hac Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii an specialis devotio erga Sacrum Caput D. N. Iesu Christi introduci possit.

In Plenario Conventu habito Feria IV, die 15 Iunii 1938, E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, re mature perpensa et praehabito RR. DD. Consultorum voto, attento quoque Decreto diei 26 Maii 1937 « De novis devotionis formis non introducendis » (1), decreverunt specialem devotionem erga Sacrum Caput Domini Nostri Iesu Christi non esse introducendam.

Et sequenti Feria V, die 16 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XI, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo D. Adsessori Sancti Officii concessa, hanc E.morum Patrum resolutionem Sibi relatam approbare et confirmare dignatus est, et publici iuris fieri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 18 Iunii 1938.

ROMULUS PANTANETTI
Supr. S. Congr. S. Offici Notarius.

(1) Huius decreti textum cum adiectis ei annotationibus reperies in *Periodica* XXVI (1937), p. 468-471.

Annotationes

Specialis devotio erga Sacrum Caput D. N. Iesu Christi praecipuam zelatricem habuit piam mulierem Theresiam Helenam Higginson (1844-1905), cuius amplam biographiam anglice scripsit Caecilia Kerr (London, 1926) et gallice transtulit Rev. D. V. Billé (Paris, Desclée De Brouwer, 1935). In huius biographiae Appendice I dissertatio habetur in qua R. P. Wilberforce O. P. rationes exponit quibus niteretur haec specialis devotio. Sicut colendo Sacratissimum Cor Iesu, eius amorem colimus cuius cor symbolum et organum habetur, sic etiam specialis devotio erga Sacrum Christi Caput, revereri intendit aeternam Sapientiam cuius sedes fuit hoc adorabile caput. Plures in eius vita narrantur Theresiae Higginson factae revelationes et visiones circa specialem hunc sacri capitis cultum.

Interrogata vero Sacra Congregatio Sancti Officii circa hanc specialem devotionem, respondit eam non esse introducendam, remittendo ad recens Decretum « de novis devotionis formis non introducendis ». Ut solet, rationes huius responsionis non proposuit Sacra Congregatio; sed ex responsione sequitur hanc devotionem habendam esse saltem tanquam minus opportunam.

Qua occasione operae pretium visum est hic recolere decreta iam a S. Sede emanata circa cultum peculiaribus partibus Sanctissimae Humanitatis Christi tributum (Cf. dissertationem R. P. B. Leeming, *Devotion to parts of the sacred humanity of Christ*, editam in *Clergy Review*, 1938, t. 15, p. 1-11, ante promulgatum decretum S. O., sicut prudentem notam R. P. I. C[reusen], *Nouvelles dévotions*, in *Revue des communautés religieuses*, 1938, t. 14, p. 119-120).

Cultus erga SS. Cor Iesu multoties a S. Sede approbatus est, ultimo autem a SS. D. N. Pio XI litteris Encyclicis *Miserentissimus Redemptor* quibus die 8 maii 1928 huius cultus scopum plenissime exposuit; notandum autem

Pium VI, in damnatione Ps. Synodi Pistoriensis, indicando hunc Divini Cordis cultum, principia generalia posuisse de adoratione singulis Sacrae Humanitatis Christi partibus debita (prop. 61-63, DENZINGER, n. 1561-3). Receptum etiam esse in Ecclesia a longo tempore cultum erga Sacra Quinque Vulnera Christi, omnibus notum est.

Pluries contra reiecta est devotio peculiaris erga SS. Animam Christi, iam die 10 martii a S. C. Rituum, iterum die 10 maii 1893 et tandem die 1 maii 1901, quo S. C. S. Officii praecedentia decreta publicanda iussit et confirmavit (cf. DE GUIBERT, *Documenta Ecclesiastica Christianae perfectionis...*, Romae, 1931, n. 1030; *Acta S. Sedis* t. 33, 1901, p. 758).

Eodem modo die 6 februarii 1896 (*Acta S. Sedis* t. 28 1896, p. 640), S. Officium opus damnavit cui titulus *Culte privé des Mains Divines de notre Sauveur*, eodemque decreto prohibuit « omnia scripta, sive typis edita, sive non, in quibus speciales formulae novae devotionis, etiam sub praetextu quod sint privatae, erga SS. Manus D. N. I. C. quomodolibet proponantur et propagentur ».

Notanda distinctio quam urget decretum S. Officii diei 4 maii 1892 (DE GUIBERT, *Documenta*, n. 1026; *Acta S. Sedis*, t. 25, 1893, p. 749) inter « specialem cultum Vultui adorabili Divini Redemptoris » tributum, quem permittere renuit, et cultum *imagini* Vultus Divini Redemptoris iam tribui solitum et indulgentiis ditatum, « ut in fidelium mentibus *ex veneratione contemplationeque praedictae imaginis* passionum Christi magis in dies memoria succrescat, eorumque in cordibus dolor culparum, ardensque desiderium iniuriis Divinae Maiestati illatis reparandi augeantur ». Addi tandem potest duplex decretum quo prohibita sunt die 16 martii et 19 iulii 1688 duo volumina monialis hispanicae HIPOLITA ROCABERTI, *De los sagrados buenos de Christo señor nuestro* et *Tercera parte de los sagrados buenos de Christo señor nuestro*, Valentiae edita 1679 et 1681.

Unde apparet Ecclesiam explicite quidem docere singulas partes Sacratissimae Humanitatis Christi propter unionem hypostaticam cum Verbo adoratione dignas esse, sed simul ut aliqua ex eis obiectum fiat specialis cultus, valde stringentes requirere rationes.

Iosephus de Guibert S. I.

47 - Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii Decretum 26 iulii 1938

DAMNANTUR OPERA ALAFRIDI LOISY

(*AAS* xxx [30 augusti 1938] p. 266)

Feria IV, die 20 Iulii 1938

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto et habito prae oculis decreto diei 1 Iunii 1932 quo proscripta fuerunt *opera omnia* Alafridi Loisy usque ad illum annum publici iuris facta, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendos mandarunt libros eiusdem auctoris ab anno 1932 editos, qui sequuntur:

La religion d'Israël, troisième édition;

La naissance du christianisme;

Le Mandéisme et les origines chrétiennes;

Y a-t-il deux sources de la Religion et de la Morale?

Remarques sur la littérature épistolaire du Nouveau Testament;

Les origines du Nouveau Testament;

Georges Tyrrel et Henri Brémond;

La crise morale du temps présent et l'éducation humaine.

Et sequenti Feria V, die 21 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XI. in solita Audientia Exc.mo ac Rev.mo D. Adsessori S. Officii impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et pubblicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 26 Iulii 1938.

Romulus Pantanetti
Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.

48 - Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii
Decretum 31 augusti 1938

PROSCRIPTIO LIBRORUM

(*Osservatore Romano*, 11 settembre 1938)

Feria IV, die 13 Julii 1938

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in INDICEM librorum prohibitorum inserendos mandarunt libros, qui sequuntur, ab Aloysia Piccareta conscriptos et aliorum cura variis in locis pluries editos:

1) *L'Orologio della Passione di Nostro Signor Gesù Cristo, con un Trattato sulla Divina Volontà;*

2) *Nel Regno della Divina Volontà;*

3) *La Regina del Cielo nel Regno della Divina Volontà.*

Et sequenti Feria V, die 14 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XI, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo D. Adsessori Sancti Officii im-

pertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adbrobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 31 Augusti 1938.

ROMULUS PANTANETTI
Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.

Annotationes

Ad instar Annotationum proponimus, latine a nobis redditum, brevem commentarium quem *Osservatore Romano* diei 11 septembris 1938 ipsi decreto subiungit, hac cum inscriptione: *Falsa letteratura spirituale.* Quod commentarium in ea diarii parte adest quae titulo *Santa Sede* notari solet.

Tres libri quos afficit decretum S. Officii in prima diarii pagina exhibitum cum parvi sint nec materia sua momentum habeant, singulari quidem animadversione digni non erant. Ideo autem condemnantur quia indicia sunt falsi cuiusdam ac periculosi mysticismi, temporibus nostris frequentissimi.

Etenim non pauci sunt hodie homines, praesertim mulieres, qui se, licet cum bona fide, extraordinariis spiritualibus charismatibus insigniri credant necesseque habeant, immo officium suum esse censeant communicare cum universa familia christiana suas quas praetendunt visiones supernaturalesque revelationes, cum re vera hae aliud non sint quam excitate atque infirmae eorum phantasiae fetus.

Hoc accidit ALOYSIAE cuidam PICCARETA, cuius sunt illa scripta quae ab aliis collecta, in tribus quos diximus opusculis sunt edita. Asseverat videlicet illa se ob plurimas a Iesu Christi et a Beata Virgine habitas revelationes scribere debere.

Argumentum principale eius scriptorum est Divina Voluntas quam immoderata quadam et falsa ratione intellectam mendosissimis saepe atque ineptissimis verbis vocabulisque exprimit.

Existimaverit quis talia scripta non magnam sibi auctoritatem apud lectores nancisci posse. At reapse propagatio eorum maxima est, quippe quibus faveant etiam incautae recensiones in periodicis nostris editae; quoniam multi libros recensent quos prius debita cum cura rerumque intellegentia non legerunt.

Opuscula condemnata iam pluries edita, etiam in alias linguas sunt conversa ferturque versionis germanicae libelli *Trattato della Divina Voluntà* (*Das Reich des göttlichen Willens*) a P. Beda Ludwig O. S. B. paratae iam plus triginta millia exemplaria emissa esse.

Oportunum erat igitur fideles de periculo praemonere.

49 - Sacra Congregatio De Disciplina Sacramentorum Instructio 26 maii 1938

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA SEDULO CUSTODIENDA

(*AAS* XXX [15 iul. 1938], p. 98 ss.)

1. - Nullo unquam tempore Apostolica Sedes locorum Ordinariis praesidia et cautelas suppeditare praetermisit, quibus Ss.ma Eucharistia, quae asservatur in nostris ecclesiis sive de iure communi sive ex indulto, diligenter custodiretur neve ulli profanationi obnoxia remaneret. Canonicae disciplinae praecepta, quae temporum decursu ad rem praestituere sategit, hodie recepta conspiciuntur in canone 1269 Codicis Iuris Canonici, qui talia habet:

§ 1. *Sanctissima Eucharistia servari debet in tabernaculo inamovibili in media parte altaris posito.*

§ 2. *Tabernaculum sit affabre extructum, undequaque solide clausum, decenter ornatum ad normam legum liturgicarum, ab omni alia re vacuum, ac tam sedulo custodiatur ut periculum cuiusvis sacrilegae profanationis arceatur.*

§ 3. *Gravi aliqua suadente causa ab Ordinario loci probata, non est vetitum sanctissimam Eucharistiam nocturno tempore extra altare, super corporali tamen, in loco tutiore et decenti, asservari, servato praescripto can. 1271.*

§ 4. *Clavis tabernaculi, in quo Sanctissimum Sacramentum asservatur, diligentissime custodiri debet, onerata graviter conscientia sacerdotis qui ecclesiae vel oratorii curam habet.*

2. - Huic S. Congregationi, cui disciplina septem Sacramentorum tuenda est commissa (can. 249), quaeque iam edidit Instructionem diei 26 Maii 1929 (1) « *de quibusdam vitandis atque observandis in conficiendo Sacrificio Missae et Ss.mae Eucharistiae Sacramento distribuendo et asservando* », opportunum visum est canonica praescripta in mentem omnium revocare, quibus Ss.mae Eucharistiae asservandae grave sane munus incumbit, brevibus additis explicationibus, aliaque munimenta et media decernere, nostris temporibus magis accommodata, quibus Ss.ma Eucharistia sedulissime custodiatur et a quacumque iniuria integra praeservetur.

3. - Fidelis observantia praeceptorum quorundam canonum C. I. C. valde confert ad optatum pernobilem finem attingendum. Animadvertatur prae primis duo sub gravi praecipi ut Ss.ma Eucharistia in ecclesia possit asservari: 1° *ut adsit qui eius curam habeat;* 2° *regulariter sacerdos semel saltem in hebdomada missam in sacro loco celebret* (can. 1265 § 1). Si vero quandoque Apostolica Sedes ob penuriam sacerdotum indulget ut sacrum quintodecimo quoque die dumtaxat litetur ad sacras renovandas species, secluso semper earundem corruptionis periculo, nunquam

(1) *Acta Ap. Sedis*, XXI, p. 631 seq.

tamen dispensat, immo instanter urget, ut habeatur persona quae die ac nocte Ss.mi Sacramenti custodiae incumbat (2).

Praeterea tria sunt prae oculis habenda in supra relato can. 1269:

a) Ss.ma Eucharistia asservari debet in tabernaculo inamovibili (§ 1) et undequaque solide clauso (§ 2); *b*) tabernaculum tam sedulo custodiendum est ut periculum cuiusvis sacrilegae profanationis arceatur (§ 2); *c*) clavis tabernaculi diligentissime sacerdoti custodienda est (§ 4). De singulis nonnulla sunt animadvertenda.

4. - a) *Tabernaculum sit inamovibile et undequaque solide clausum*: ab hoc praecepto per se gravi nec Episcopus valet dispensare nec ei consuetudo etiam centenaria et immemorialis derogare, excepto casu de quo in § 3, eoque iam tamquam primo praesidio consulitur securitati custodiae Ss.mae Eucharistiae. Clausura vero undequaque absoluta secumfert ut ciborium sit confectum ex materia solida et firma. Equidem iuxta liturgicas leges tabernaculum extrui potest ex ligno, aut ex marmore aut ex metallo, (3) quae postrema materia est ceteris firmior; quod tamen magis interest, conficiatur oportet ex solida materia, singulaeque partes intime inter se cohaereant, reseratio maximam exhibeat securitatem ac fortiter ostiolo adhaereat, cuius cardines firmiter sint constituti ac dispositi, qui ipsum ciborio inserant. Nonnullis in locis Episcopi praescripserunt ad maiorem Eucharistiae securitatem ut ciborium ex integro metallo consisteret, quae quidem praescriptio, in locis ubi viget, absolute debet observari, ut docet E.mus Card. P. Gasparri (4). Optimum sane consilium foret si tabernaculum sit vera arca ferrea, quam vocant (vulgo *cassaforte, coffre-fort*) adeo ut nec perforari nec

(2) Cfr. S. R. C. resp. diei 17 Februarii 1881 ad Episcopum Altonen. (decretum n. 3527).

(3) *Caeremoniale parochorum iuxta novissimas A. S. sanctiones concinnatum*, art. VII, *De tabernaculo*, etc. n. 9 ad 4.

(4) *De Ss.ma Eucharistia*, II, 263, n. 994.

effringi possit mediis, quae ordinarie adhibentur a foribus, eaque validis ferreis seris altari arcte debet devinciri in infimo eius gradu aut parieti adverso. Hae vero ferreae arcae aut in forma ciborii extrui debent, quae dein sunt marmoreo lapide contegendae ceterisque ornamentis condecorandae, adeo ut speciem cuiusdam operis affabre confecti prae se ferant ad normam § 2 relati canonis; vel saltem ita conficiantur ut in tabernaculis iam exsistentibus possint immitti. Huiusmodi tabernacula « de securitate » (italice *di sicurezza*) nuncupantur. Ad quamlibet vero dubitationem auferendam quoad legum liturgicarum observantiam in hisce conficiendis tabernaculis attendatur responsio S. R. C. diei 1 April. 1908 ad preces sibi porrectas nomine Ordinariorum Provinciae ecclesiasticae Milwaukien. In America sept. a quodam Sacerdote qui pro adprobatione exhibuerat novum tabernaculum solidissime extructum et quidem ita confectum ut nullimode repugnaret neque rubricis Ritualis Romani, neque eiusdem S. C. decretis: « Communicetur sacerdoti oratori responsum S. R. C. in casu simili datum sub die 18 Martii 1898: nempe finem inventoris esse laudandum, negotium vero in casu et ad effectum de quo agitur, spectare ad ipsos locorum Ordinarios ».

Pariter in una Superioren., *de nova quadam custodia Ss.mi Sacramenti*: Rev.mus Episcopus, quo securius procederet in approbando quodam tabernaculo, a S. R. C. reverenter expetivit: « an satisfaciat regulis liturgicis descripta forma ostii semicircularis, quod globulis impositum sine cardinibus volvitur, ita ut ex hac parte nihil obstet quominus ab Episcopo sacerdotibus commendetur vel debeat tabernaculum instrui ostio vel ianuis, quae cardinibus adhaereant atque ita volvatur »; et S. Rituum Congregatio, requisito Commissionis Liturgicae suffragio, propositae quaestioni ita die 8 Maii 1908 respondere censuit: « in casu, per se nihil obstare, de cetero ad Rev.mum Episcopum ».

Equidem adhibitis hisce ciboriis solidissimis altero efficaci praesidio consulitur custodiae Ss.mae Eucharistiae. Porro Sacra haec Congregatio onus non imponit huiusmodi comparandi tabernacula in ecclesiis, quae ordinariis sunt instructae ciboriis, dummodo reapse securitatis idonea praebeant argumenta, quamvis suadeat ut ea adhibeantur in ecclesiis noviter aedificandis: id vero enixe commendat Exc.mis Episcopis ut, pro eorum zelo erga Ss.mum Sacramentum, pervigilent caveantque ut et ordinaria ciboria, quae usui sunt in ecclesiis eorum dioecesis, eam prae se ferant soliditatem ad omne periculum sacrilegae profanationis arcendum, illaque severissime amoveant tabernacula quae omnimodam certitudinem non ingerant de huius periculi absentia.

5. - b) « *Tabernaculum tam sedulo est custodiendum ut periculum cuiusvis sacrilegae profanationis arceatur* ». Non sufficit ut in loco consistat custos, satis non est ut ciborium tali sit praeditum firmitate ut neque terebra transfodi possit neque scalpro disiungi atque claustris adeo validis sit munitum, ut clavibus quoque adulterinis nequeat reserari: tertium praesidium a iure requiritur: *sedula* custodia. Porro haec vigilantia, continuo exercenda, plurimas complectitur cautelas et communes et extraordinarias, prout postulant locorum et temporum adiuncta.

Quod vero attinet ad custodem, hic, licet sit optandum ut si clericus, immo sacerdos, non prohibetur quod sit laicus, *modo clericus respondeat de clavi,* qua est reserandus locus ubi Eucharistia asservatur. Hunc prope locum moretur oportet diu noctuque, adeo ut celeriter compareat quando casus ferat, seu continenter vigilantiam exerceat: nunquam ecclesiam deserat tempore quo haec fidelibus patet et ab his magis deserta relinquitur, idque pressius est urgendum in urbium ecclesiis, ubi fures uti tales fidelibus ignoti per templa vagantes peregrinorum aut mendicantium habitu perattente momenta aucupantur, quibus vigilantia intercipitur et motu celerrimo, veluti ictu oculi, sa-

crilega furta perpetrant; aut loca invisunt, fores, fenestras, cancellos, ianuas, praesertim haud principales, accurate rimantur diurno tempore ut dein nocturno ad exsecutionem improbum consilium demandare pertentent. Quod si rarius accidit in pagis, ubi praesentia personae extraneae ibique haud cognitae, quae ecclesiam circumeat et ingrediatur, facilius animadvertitur suspicionemque ingerit in sacerdotibus atque fidelibus, id non relevat tamen parochum rectoremve ecclesiae ab obligatione Eucharistiae custodiendae, cuius ratio modusque ipsius prudentiae relinquitur inspectis loci adiunctis, e. g. tum per se ipse aliquoties in die ecclesiam invisendo, tum vigilantiam per diem committendo probatis personis circum morantibus, tum privatam paroecianorum visitationem Ss.mi Sacramenti praestituendo variis diei horis peragendam.

Attente debet invigilari etiam operariis ceterisque personis, quae laboris intuitu aliisve de causis ecclesiam, sacrarium, sacerdotis custodisve domum eisdem contiguam frequentant.

Nec sedula custodia Ss.mi Sacramenti a iure praescripta remittenda erit tempore nocturno, quando ecclesia est observata. Praecipuae cautiones autem pro nocturnis horis adhibendae, quas prudentia requirit, *ordinariae* seu iugiter adhibendae tum pro Ss.ma Eucharistia tutanda tum pro praecavendis direptionibus sacrorum vasorum, tabularum, eleemosynarum atque supellectilium ecclesiae, recensentur: 1° omnes ecclesiae fores communiantur, quatenus necessitas postulet fierique possit, firmis valvis, validis claustris obicibusque et quidem ita ut ab interiora ecclesia clavibus aperiri dumtaxat queant, fenestrae vero transennis vel clatris; 2° accurate est inspiciendum quoties vespere ecclesiae obserantur ne quis homo malevolus includatur; 3° officium ecclesiae claudendae eisque claves committantur personis omni suspicione maioribus, praecipue vero vino non deditis. Hisce cautelis aliam valde commendatam addere velimus, quae in dies usitatior eva-

dit quaeque utile nonnunquam praebet auxilium ad praecavenda furum molimina, ubi usui est: nempe collocationem opportunis in locis tintinnabulorum vi electrica pulsandorum, dum portae aperiuntur, vel eadem aut tabernaculum aut altare aut mensa aut candelabra tanguntur, quorum ope sacerdotis custodisve attentio repente provocatur; aut speciales electrici apparatus, qui ecclesiam repente illuminent custodemque de furum praesentia statim certiorem faciant: hi tamen apparatus, ut optatum consequantur finem, erunt scite et ingeniose tegendi, ita ut quamlibet adimant furum suspicionem, quotidieque inspiciendi ut suo munere apte fungantur.

Specialis extraordinaria providentia demum prostat in § 3 relati canonis: « *gravi aliqua suadente causa ab Ordinario loci probata, non est vetitum Sanctissimam Eucharistiam nocturno tempore extra altare super corporali tamen, in loco tutiore et decenti, asservari, servato praescripto can. 1271* ». Hic locus de more est sacrarium, dummodo reapse sit locus tutior et decens, vel arca solidissima et optime clausa (italice *cassaforte*), si haec sit praeferenda, muro inserta in quodam ecclesiae pariete. Quodsi nec ecclesia nec sacrarium necessariam perhibeant securitatem, Eucharistia poterit retineri in alio loco tutiore, etiam privato: tunc parocho est cura adhibenda ut debita reverentia et honore Ss.mum Sacramentum custodiatur neque minuatur fides fidelium in praesentia reali. In huiusmodi vero asservatione Ss.mae Eucharistiae Sacrae Species non sunt corporali dumtaxat contegendae, sed semper in vase seu pyxide includendae: (5) insuper cum e ciborio ecclesiae educuntur aut ad ipsum referuntur, opus est ut sacerdos superpelliceo et stola sit indutus eumque clericus comitetur lumen gestans saltem regulariter.

Curandum est praeterea ecclesiarum rectoribus ad furta praecavenda ut in tabernaculis, quantum fieri possit, non

(5) Cfr. cit. decr. Altonen., not. 2.

relinquantur pyxides et vasa sacra magni pretii, unde cupiditas audaciaque furum magis alliciatur: quum haec vasa occasione quarundam sollemnitatum adhibentur, valde est optandum ut tempore postremae Missae purificentur et loco tuto reponantur, qui sacrarium non sit; particulae vero, quae superfuerint, in ordinaria pyxide collocentur. Pariter abstineant a decorando altaria et sacra simulacra sculpta vel picta (eademque assidue decorata servando publico cultui exposita) eximiis muneribus votis, qualia sunt aurei et argentei anuli, catellae, monilia, inaures, margaritae et similia: quod si id facere praestet occasione cuiusdam diei festi, eodem exacto, ea munera ab ecclesia satagant removere causamque remotionis probe fideles edocere.

6. - c) « *Clavis tabernaculi diligentissime a sacerdote custodiatur* ». Omnes cautelae, quas hucusque recensuimus, ad irritum redigentur si, quod potissimum in hac re est curandum, clavis tabernaculi caute non custodiatur, ut expresse cavet can. rel. § 4, *gravi conscientiae onere* adiecto sacerdoti, cui haec est custodia commissa. Ut huic *diligentissimae custodiae* canone praescriptae ab ecclesiae rectore satisfiat, ipsi districte praecipitur ut clavis tabernaculi nunquam super mensa altaris aut in claustro ostioli relinquatur, ne tempore quidem quo mane divina officia ad Sacramenti altare et Sanctissimae Communionis distributio peraguntur, praesertim si hoc altare haud in conspicuo sit. Hisce vero absolutis, clavis vel ab ecclesiae rectore domi custodiatur aut ab ipso continenter gestetur, amissionis periculo remoto, vel in sacrario, et quidem in loco tuto et secreto, reponatur altera clavi claudenda, quam alteram clavem uti supra rector tueatur (6).

Sedulo perpendant sacerdotes Ss.mae Eucharistiae custodes officium custodiendae diligentissime clavis S. Ciborii esse grave, prout aperte ostendunt finis ipsaque verba legis. Sacerdos, cui ius et officium ordinarie et per se com-

(6) Cfr. Encycl. litt. iussu Benedicti XIV edit. a S. C. EE. et RR., die 9 Febr. 1751.

petit custodiendi clavem, est rector ecclesiae vel oratorii: quodsi discedat, potest et debet pro tempore absentiae alii sacerdoti committere custodiam; et si clavem in sacrario retineat sub alia clavi, potest hanc tradere aedituo, pro tempore quo ipse abest, et clavis tabernaculi necessaria esse queat: quod praxis ubique recepta manifeste confirmat. Si agitur de ecclesia paroeciali, clavis parocho custodienda est; si de ecclesia cathedrali aut collegiali, quae simul sit paroecialis, ad Capitulum spectat custodire Ss.mam Eucharistiam, et altera tabernaculi clavis apud parochum servari debet (can. 415 § 3 n. 1). Ad parochum pertinet exclusivum ius retinendi clavem tabernaculi, etsi in ecclesia paroeciali erecta sit confraternitas. In ecclesiis non paroecialibus ubi ex A. Sedis indulto asservatur, custodienda est cappellanis seu rectoribus, nunquam laicis, etiamsi patroni sint: sine apostolico indulto laici per se clavem ciborii retinere nequeunt.

7. - Specialia veniunt adnotanda de custodia clavis tabernaculi in ecclesiis monialium vel religiosarum et in piis seu religiosis domibus mulierum. Inspecto primum statuto can. 1267 quo Ss.ma Eucharistia, revocato quolibet contrario privilegio, custodiri nequit in religiosa vel pia domo nisi vel in ecclesia vel in principali oratorio, nec apud moniales intra chorum vel septa monasterii, id dein alte in mente Ordinariorum residere debet atque adamussim exsecutioni demandari, *clavem S. Ciborii non esse custodiendam inter septa monasterii* (7). Ipsa est igitur in posterum asservanda in sacrario ut praesto sit, quoties necessitas postulet, atque, expletis ecclesiae sacris functionibus ac praesertim nocturno tempore, in loco tuto, solido atque secreto reponenda, et quidem duabus obserato clavibus, quarum altera communitatis antistitae est custodienda per se ipsi aut per vicariam et altera moniali cuidam, puta sacrario addictae, adeo ut utriusque concursus ad reseran-

(7) Cfr. S. R. C. resolutio diei 2 Maii 1878 ad VI (decretum n. 3448); E.mus Card. PETRUS GASPARRI, op. cit., 266, n. 998.

dum locum, de quo supra, requiratur. Huiusmodi praescriptum probe inspiciant Exc.mi Episcopi et in eodem exsequendo rigide se gerant, quacumque personarum acceptione posthabita ut praecaveantur abusus atque irreverentiae, quae secus redundare possunt in Ss.mam Eucharistiam.

8. - Quod attinet ad oratoria seminarii et collegii ecclesiastici, ephebei pro iuvenum utriusque sexus religiosa eruditione atque institutione, nosocomii aliusque id genus hospitii, quae potestate Ss.mae Eucharistiae asservandae fruantur, tabernaculi clavis custodienda erit rectori seu moderatori eorundem, si sacerdos sit, secus spiritus directori aut cappellano de more Missae celebrationi sacrisque functionibus peragendis addicto, ipsique studiose est curandum ne eadem ad aliorum manus perveniat.

9. - Quod demum refert ad privata oratoria, quae ex apostolico indulto facultate pollent Ss.mam Eucharistiam asservandi, ciborii clavis custodiri solet in sacrario potius cura familiae quam cappellani; (8) at, si Episcopo praestare videatur ut clavis indultario custodienda non tradatur, eam aut sacerdoti celebranti committat, praesertim si hic stabiliter sacrum ibi litet, aut parocho deferat, singulis deinde vicibus, si commode potest, sacerdoti celebraturo exhibendam. Indultariis laicis, quos clavis custodia manet, in memoriam revocandum est, clericis vero quacumque dignitate fulgentibus perpendendum, grave sane officium ipsis impositum esse vigilandi ne clavis ad cuiusquam manus perveniat etiam de ipsorum familia vel famulatu.

10. - Sacram Congregationem non praterit enunciatas cautelas propositum finem plene haud esse assecuturas, nisi Exc.mi Episcopi locorumque Ordinarii, una cum earundem observantia parochis, ecclesiarum rectoribus, institutorum omne genus moderatoribus, monialium antisti-

---

(8) E.mus Card. P. Gasparri, op. cit., II, 267, n. 999.

tis praecepta, quatuor haec, quae magnopere nostra intersunt, prae oculis habeant:

a) Praesertim dum sacras peragunt dioecesium visitationes, sed etiam extra easdem, quoties casus ferat, per se aut per idoneas ac prudentes ecclesiasticas personas diligenter inquirant animadvertantque de visu quomodo in singulis nedum paroeciis sed et ecclesiis, oratoriis, etiam privatis, hoc iure fruentibus provisum sit securitati custodiae Ss.mae Eucharistiae et quoties comperiant non ea omnia concurrere, quae iure postulantur, eadem praecipiant quam cito exsequenda, brevi tempore ad id praestituto, sub poena multae pecuniariae et etiam suspensionis a divinis pro sacerdotibus aut a munere, pro gravitate culpae, ab iis incurrendae, quibus officium competit omnia securitatis praesidia subministrandi. Neque ab huiusmodi onere easdem personas relevent ex reddita forsan ratione quod nulla profanatio aut inconveniens in antecessum acciderit; quae enim infecta hucusque sunt, temporis decursu et hominum malitia, posthabitis necessariis cautelis, fieri possunt.

b) Quoties furta sacrilega quibus Ss.ma Eucharistia violatur in sua Dioecesi (quod Deus prorsus avertat) quacumque de causa acciderint, loci Episcopus vel per se, quod est optandum, vel per suae Curiae Officialem, ad id specialiter delegandum, oeconomicum semper conficiat processum adversus parochum aliumve sacerdotem tam saecularem quam religiosum etiam exemptum Ss.mi Sacramenti custodiae praepositum, actaque processus idem Episcopus ad hanc S. Congregationem transmittat cum suo voto quo prae primis accurate describat eiusdem furti temporis et loci adiuncta, et dein, actis processus eiusdem prae oculis praesertim habitis, renuntiet cuius culpae aut neglegentiae culpabili admissum facinus sit tribuendum atque poenas canonicas contra sontes infligendas proponat et huius S. Dicasterii mandata praestoletur.

c) Mature perpendant severitatem poenarum, quae

can. 2382 statuuntur contra parochum, qui graviter neglexerit custodiam Ss.mae Eucharistiae etiam citra excessum huius violationis, quaeque usque ad paroeciae privationem progrediuntur; inspecto vero fine legis curent ut analogis poenis plectantur et alii ecclesiae rectores, congrua congruis referendo, qui graviter delinquant in arduo eis commisso munere obeundo, collatis ad id necessariis et opportunis facultatibus per hanc S. Congregationem, quatenus opus sit. Quibus aufugiendis poenis haud suffragatur causa forte a parocho aliisve, quibus SS. Species custodiendae incumbunt, allata qua tabernacula patentia relinquantur clavesque in loco tuto non custodiantur alius sacerdotis incuria: ipsos enim manet diligens sollersque cura sacrorum vasorum et Ss.mae Eucharistiae propriumque munus fideliter et vigilanter cavendi ne, divinis officiis absolutis, ciboria exponantur cuilibet iniuriae sacrilegaeque direptioni. Equidem est animadvertendum et in memoratum sacerdotem et in quemlibet alium huius neglegentiae reum similibus poenis, quippe qui occasionem tanto sceleri sua culpa dederint. Ut autem locorum Ordinarii poenis prosequi queant et delinquentes religiosos utriusque sexus etiam exemptos iuxta has apostolicas praescriptiones in negotio, de quo agimus, vi huius Instructionis facultates committimus necessarias cumulative cum eorum Superioribus religiosis Maioribus, quibus pariter haec S. Congregatio idem onus imponit, reservata tamen uni Episcopo facultate processum conficiendi, de quo sub litt. *b*) in casu ibi descripto.

d) Diligenter inquirant utrum ecclesiae et oratoria quibus Ss.mae Eucharistiae asservatio iure communi (cfr. can. 1265 § 1 n. 1, 2) non competat, hac facultate polleant ex apostolico indulto per Breve in perpetuum aut per rescriptum ad tempus concessum: quoties vero compererint hoc privilegium legitimo iure non esse suffultum, tamquam abusum satagant removere. Praeterea, ne se nimis faciles praebeant in suscipiendis et commendandis precibus pro

impetranda facultate asservandi Ss.mam Eucharistiam in locis, quae de communi iure eadem carent, immo abstineant prorsus, nisi gravissimae causae intersint, praesertim in privatis oratoriis et ecclesiis a domibus fidelium nimis dissitis, in desertis montibus magnisque campanorum spatiis sitis, quibus non suppetant ea omnia quae pro fideli et utitissima custodia SS. Specierum requiruntur. Tolerabilius sane erit ut quandoque etiam notabili fidelium parti commodum non praebeatur Ss.mae Eucharistiae adorandae, quam ut Eadem exponatur sat probabili periculo profanationis. Immo et potestas hisce litteris committitur Exc.mis Episcopis locorumque Ordinariis revocandi facultatem asservationis Eucharistiae in ecclesiis et oratoriis, etiam privatis, quae hoc apostolico privilegio per indultum fruuntur, quoties adnotent aut graves abusus intercessisse aut non omnes concurrere conditiones pro secura custodia, reverentia cultuque debito erga Ss.mum Sacramentum.

Hae sunt canonicae normae potioresque cautelae, quas huic S. Congregationi visum est locorum Ordinariis praecipere ut vicissim parochis ceterisque Ss.mi Sacramenti custodibus pressius commendent exsecutioni tradendas ad quoslibet convellendos abusus, si qui irrepserint, et, quamvis desint, ad eosdem praecavendos: aliae, quae pro temporum et locorum adiunctis magis idoneae videantur ad eundem finem aptius attingendum, eorundem Pastorum zelo sollertique industriae relinquuntur. Eos igitur, his praesidiis adiutos, in Domino deprecamur et obtestamur ut omnibus viribus contendant ad efficaciter Ss.mam Eucharistiam tutandam et impia scelestorum hominum molimina arcenda ab eodem Sacramento « *quo nihil dignius, nihil sanctius et admirabilius habet Ecclesia Dei, cum in eo contineatur praecipuum et maximum Dei donum et ipsemet omnis gratiae et sanctitatis fons, auctorque Christus Dominus* » (9). Id quidem erit Ipsis eorumque sacerdotibus

(9) Rit. Rom., tit. IV, cap. I, n. 1.

et fidelibus pignus indeficiens supernae divinae protectionis.

Ss.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, in audientia Exc.mo Secretario H. S. C. die 7 Maii a. 1938 concessa, praefatam Instructionem, ab EE. PP. in plenario Conventu diei 30 Martii anni eiusdem probatam, benigne confirmare et Auctoritate Sua Apostolica ratam habere dignatus est, mandans ut Instructio eadem in officiali Commentario *Acta Apostolicae Sedis* publici iuris fiat et ab omnibus Ordinariis tum locorum tum personarum aliisque, ad quos speciatim spectat, religiosissime servetur, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. C. de Disciplina Sacramentorum, in festo Ascensionis Domini a. 1938.

D. Card. JORIO, *Praefectus.*

L. ✠ S.

F. BRACCI, *Secretarius*

Annotationes

Die 26 martii (1) 1929, Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum iam Instructionem edidit *De quibusdam vitandis atque observandis in conficiendo Sacrificio Missae et Ss.mo Eucharistiae Sacramento distribuendo et asservando* (2), in qua tamen praecipue agebat de cautionibus adhibendis ut certo habeatur materia valida et undique licita. In nova hac Instructione in mentem revocantur et *severissime* urgentur quae in Iure praescribuntur ad removendum ab augustissimo Sacramento quamvis iniuriam et profanationem, additis brevibus explicationibus et munimentis nostris temporibus magis accomodatis.

(1) Sub hac die, non vero sub die 26 maii, inscribitur in *AAS.* XXI (1932), p. 639.

(2) Cfr. *Periodica* XVIII (1929), n. 59, p. 297.

Primum munimentum est ut aliquis curam habeat ecclesiae vel oratorii in quo Ss.mum est custodiendum, et ut regulariter ibidem semel saltem in hebdomada celebretur. Quae praescriptio can. 1265 § 1 obligat sub gravi, et sola Apostolica Sedes ob penuriam sacerdotum aliquando dispensat de hebdomadaria celebratione, de custode vero numquam.

Praecipue tamen et severissime urgentur quae canon 1269 praecipit de tabernaculo, de eius sedula custodia et de custodia clavis eiusdem tabernaculi.

De Tabernaculo. — Praescripserat Sacra Congr. Episc. et Regul. die 26 oct. 1575 ut tabernaculum regulariter sit confectum ex ligno, extra deaurato. Haec praescriptio iam non valet, et tabernaculum potest esse ex qualibet materia solida et firma, quae proinde neque terebra facile transfodi potest, neque scalpro disiungi. Etsi non praescribitur, valde tamen commendatur, ut saltem in ecclesiis noviter aedificandis tabernacula exstruantur ex metallo, utpote materia solidiore, et sint vere arcae ferreae (casse forti, coffres-forts), dictae tabernacula « de securitate », et ubi Episcopus praescripserit ut ciborium ex integro metallo conficiatur, huic praescriptioni omnino standum est. Omnes tabernaculi partes intime inter se cohaereant, et in primis ostioli cardines sint firmiter constituti ac dispositi (3); item reseratio maximam prae se ferat securitatem, ita ut clavibus adulterinis reserari nequeat. Tabernaculum hoc, ceteroquin affabre factum, debet esse in medio altari positum et prorsus inamovibile, seu ferreis seris altari arcte devinctum in infimo eius gradu aut pariete adverso.

De custodia tabernaculi. — Tabernaculum tam sedulo est custodiendum ut periculum cuiusvis sacrilegae profanationis arceatur. Custos potest esse laicus, dummodo clericus respondeat de clavi ecclesiae vel oratorii. Ut au-

(3) Nihil obstat quominus adhibeatur tabernaculum munitum ostiolo semicirculari quod globulis impositum sine cardinibus volvatur.

tem custodia sit efficax, custos debet diu noctuque morari prope ecclesiam. *Per diem* eam non deserat tempore quo fidelibus patet, ab ipsis tamen magis deserta relinquitur; quod quidem pressius est urgendum in ecclesiis urbium, nec tamen omnino negligendum in pagis ubi idem aliquomodo praestabit v. g. per se ipse aliquoties in die ecclesiam invisendo, aut vigilantiam commitendo probatis personis circum morantibus, aut tandem privatam paroecianorum visitationem Ss.mi praestituendo variis diei horis peragendam. Attente etiam vigilet operariis ceterisque personis non bene notis, quae laboris intuitu aliisve de causis ecclesiam, sacrarium, sacerdotis custodisve domum eisdem contiguam frequentant.

Custodia etiam sedula exerceatur *tempore nocturno*, quando ecclesia est obserata: 1° omnes ecclesiae fores, quantum fieri potest, firmis valvis, validisque claustris et obicibus muniantur, fenestrae vero transennis vel claustris; 2° vespere accurate inspiciatur ne quis homo malevolus includatur; 3° officium claudendae ecclesiae non nisi personis omni suspicione maioribus, et praecipue vino non deditis commitatur. Enixe etiam commendatur ut scite et ingeniose opportunis in locis collocentur *tintinnabula vi electrica pulsanda* quando portae aperiuntur, vel eaedem aut tabernaculum aut altare tanguntur quorum ope sacerdotis vel custodis attentio provocatur.

Insuper, si tabernaculum super altare positum non omnem praebet securitatem, nullo modo vetitum est, immo expedit, ut nocturno tempore Ss.mum Sacramentum in loco tutiore et decenti in sacrario vel in ipsa ecclesia collocetur, immo, si necesse fuerit, etiam in loco non sacro, puta in domo parochi. Sacrae tamen species semper inclusae sint in pyxide super corporale locanda, et sacerdos qui eas transfert, superpelliceo et stola sit indutus eumque regulariter comitetur clericus vel alius lumen gestans, et iuxta praescriptum can. 1271 ante Ss.mum una saltem lampas continenter luceat.

Ad furta vitanda multum etiam commendatur ut, quantum fieri potest, in tabernaculis non relinquantur pyxides vel vasa sacra magni pretii quae occasione quarumdam sollemnitatum adhibentur, sed illae in ultima missa purificentur et loco tuto reponantur qui sacrarium non sit, particulae vero quae superfuerunt in ordinaria pyxide collocentur. Item, ornamenta pretiosa quibus occasione alicuius festivitatis altaria et sacra simulacra decorantur, exacto die festo, ab ecclesia removeantur.

De clavi tabernaculi. — Ad arcendam ab Eucharistia omnem sacrilegam profanationem *potissimum* curandum est ut clavis tabernaculi in quo Ss.mum Sacramentum asservatur diligentissime custodiatur, onerata *graviter* conscientia sacerdotis qui ecclesiae vel oratorii curam habet (can. 1269 § 4). Nihil ergo mirum si circa illam custodiam minutissima praescripta urgentur severe.

Districte vetatur ne clavis umquam super mensa altaris aut in claustro ostioli relinquatur, ne tempore quidem quo mane divina officia ad Sacramenti altare peraguntur, vel ibi S. Communio distribuitur. His autem exercitiis expletis, parochus vel rector ecclesiae clavem vel domi custodiat, vel ipse continenter gerat, remoto omnis amissionis periculo, vel reponat in sacrario, in loco tuto et secreto altera clavi claudendo quam alteram clavem uti supra tueatur. Quod si abesse debet parochus vel rector, clavem tabernaculi alii sacerdoti committat. Si tamen eam in sacrario retineat sub alia clavi, hanc (non ipsam clavem tabernaculi) tradere potest aedituo; laici enim, sine apostolico Indulto clavem ciborii retinere non possunt.

Apud moniales et religiosas clavis tabernaculi non potest custodiri inter septa monasterii, sed reponenda est in sacrario in loco tuto et secreto duabus clavibus obserato, quarum altera custodienda est a communitatis antistita, per se vel vicariam, altera a moniali quadam, puta sacrario addicta, adeo ut utriusque concursus ad reserandum locum requiratur; et Episcopi monentur ut in exsequendo

hoc praescripto rigide se gerant, quacumque personarum acceptione posthabita.

In oratoriis seminarii et collegii ecclesiastici, ephebei pro iuvenum utriusque sexus religiosa eruditione, nosocomii aliusque id genus hospitii, clavis tabernaculi custodienda est rectori seu moderatori, *si sacerdos sit,* secus spiritus directori aut capellano celebrationi Missae sacrisque functionibus peragendis addicto ipsique studiose est curandum ne eadem ad aliorum manus perveniat. Hic tamen sicut parochus potest eam retinere in sacrario in loco tuto et secreto alia clave claudendo, quam aliam clavem potest aedituo committere.

Tandem, si aliquando contingit privatum oratorium ex Apostolico Indulto facultate pollere asservandi Ss. Eucharistiam, ciborii clavis custodiri solet in sacrario, cura familiae potius quam capellani. Indultariis laicis in memoriam revocandum est, clericis vero quacumque dignitate fulgentibus perpendendum, *grave* ipsis officium impositum vigilandi ne clavis ad cuiusquam manus perveniat etiam de ipsorum familia vel famulatu.

Ut autem cautelae in hac Instructione praescriptae finem suum plene assequantur, monet S. Congregatio Episcopos aliosque locorum Ordinarios, ut earum observantiam parochis ceterisque qui custodiam Eucharistiae habent, praecipiant. Insuper, saepissime, in visitatione dioecesis et etiam extra illam, per se aut per idoneas ac prudentes ecclesiasticas personas diligenter inquirant quomodo in singulis ecclesiis et oratoriis, etiam privatis, cautum sit securitati custodiae Ss.mae Eucharistiae, et si quid a iure praescriptum defecisse comperiant, id *cito* exsequendum praecipiant sub poena multae pecuniariae, vel etiam suspensionis a divinis pro sacerdotibus aut a munere, pro gravitate culpae ab iis incurrendae, etiam si in antecessum nulla profanatio acciderit; parochos qui graviter neglexerint custodiam Ss.mi Sacramenti severe pu-

niant iuxta can. 2382, item etiam si hucusque nulla sacrilega profanatio acciderit, et curent ut alii sacerdotes quibus haec custodia incumbit, si pariter in hoc suo officio graviter negligentes fuerint, analogis poenis plectantur, etiam si forsan tabernaculum patens relinquitur et claves in tuto non custodiuntur incuria alius sacerdotis, qui tamen sacerdos et ipse severe est puniendus, et ideo locorum Ordinarii facultates necessariae et opportunae tribuuntur ut animadvertere possint etiam in religiosos utriusque sexus, etiam exemptos, cumulative cum eorum Superioribus religiosis Maioribus, quibus pariter idem onus imponitur.

Si furta sacrilega quibus Ss.ma Eucharistia violatur, in sua dioecesi quacumque de causa acciderint, Episcopus sive per se, sive per suae Curiae Officialem oeconomicum conficiat processum adversus parochum aliumve sacerdotem tam saecularem quam religiosum etiam exemptum custodiae Ss.mi praepositum, actaque processus ad S. Congregationem transmittat et poenas canonicas contra sontes infligendas proponat.

Tandem monentur locorum Ordinarii ut inquirant num omnes ecclesiae et oratoria in quibus Ss.mum Sacramentum ex privilegio asservatur, reapse hoc privilegio gaudeant, nec se faciles praebeant in suscipiendis et commendandis precibus pro impetranda hac facultate, immo prorsus abstineant, nisi gravissimae adsint causae, praesertim in ecclesiis vel oratoriis a domibus fidelium nimis dissitis, etsi ita notabili fidelium parti commodum non praebeatur Ss.ae Eucharistiae adorandae, quod tolerabilius declaratur quam ut eadem exponatur sat probabili periculo profanationis. Immo, eisdem Ordinariis locorum datur facultas revocandi privilegium asservandi Ss.mam Eucharistiam quoties graves abusus adnotent, aut videant non omnes conditiones pro secura custodia, reverentia et cultu debito erga Ss.mum Sacramentum concurrere.

Haec Instructio vim habet verae legis, nam Ss.mus Dominus eam approbavit, benigne confirmavit et Auctoritate Sua Apostolica ratam habuit, mandans ut ab omnibus Ordinariis, tum locorum, tum personarum aliisque ad quos speciatim spectat, reliogissime servetur.

Ios. Pauwels, S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

50 - SS. D. N. Pius Pp. XI

A — Bulla *Quod iamdiu,* 9 nov. 1937, archidiocesis Tokiensis in duas dividitur partes, quarum altera archidiocesis Tokiensis territorium efformabit et ex altera nova diocesis « Yokohamaënsis » erigitur, metropolitanae ecclesiae Tokiensi suffraganea (*AAS* xxx [10 iulii 1938] p. 186 ss.).

B — Bulla *Quo facilius,* 23 nov. 1937, diocesium Chaldaici ritus Urmiensis et Sehnaensis fines immutantur (*AAS* xxx [15 iulii 1938] p. 217 s.).

C — Bulla *Si qua in orbe,* 28 nov. 1937, a dioecesi Calbayogana in Insulis Philippinis territorii pars dismembratur, ex qua nova erigitur dioecesis « Palensis », metropolitanae ecclesiae Nominis Iesu seu Caebuanae suffraganea (*AAS* xxx [30 augusti 1938] p. 245 ss.).

D — Bulla *Sicubi per apostolicam,* 2 dec. 1937, praefectura de *Bondo,* iisdem servatis limitibus et nomine, ad Vicariatus Apostolici gradum et dignitatem extollitur, erigitur et constituitur; atque S. Crucis Ordini etiam in posterum committitur (*AAS* xxx [30 augusti 1938] p. 248 s.).

E — Bulla *Si christiana res,* 2 dec. 1937, praefectura apostolica de *Oubangui-Chari* in vicariatum apostolicum provehitur, atque erigitur, et Congregationi S. Spiritus in posterum concreditur (*AAS* xxx [10 iunii 1938] p. 189 s.).

F — Bulla *Pusillus christianorum grex,* 2 dec. 1937, missio sui iuris de *Shihtsien* in Sinis in Praefecturam Apostolicam eiusdem nominis extollitur, erigitur et constituitur; atque apostolicis Missionariorum Ss. Cordis Iesu de Issoudun curis committitur (*AAS* xxx [30 augusti 1938] p. 250 s.).

G — Litteris Apostolicis *Archidiocesis Ultraiectensis,* 8 dec. 1937, titulo ac privilegiis basilicae minoris ditatur templum in loco *Laren,* intra Ultraiectensis archidiocesis fines, in honorem S. Ioannis Baptistae Deo dicatum (*AAS* xxx [10 iunii 1938] p. 194 s.).

H — Bulla *Recta cuiusvis,* 9 dec. 1937, a dioecesi Novarcensi, in Americae Septentrionalis Statibus Foederatis, territorii pars dismembratur, ex qua nova erigitur dioecesis sub nomine « Patersonensis » (*AAS* xxx [30 augusti 1938] p. 253 ss.).

I — Bulla *Universi catholici orbis,* 9 dec. 1937, a dioecesi Ludovicopolitana, in Americae Septentrionalis Statibus Foederatis, territorii pars dismembratur, ex qua nova erigitur dioecesis, « Owensburgensis » nuncupanda (*AAS* xxx [30 augusti 1938] p. 256 ss.).

K — Bulla *Ad maius animarum,* 9 dec. 1937, e dioecesis Trentonensis territorio sex civiles comitatus seiunguntur, atque e territorio ita avulso novam erigitur et constituitur dioecesis, Camdensis nuncupanda. Novae huius dioecesis sedes et cathedra episcopalis in urbe Camdensi statuitur (*AAS* xxx [30 augusti 1938] p. 251 ss.).

L — Bulla *Quo utilius,* 10 dec. 1937, ab ecclesiastica provincia Neo-Eborancesi dioeceses Novarcensis et Trentonensis seiunguntur, quae una cum nuper erectis dioecesibus Patersonensi et Camdensi novam constituent provinciam ecclesiasticam, a dioecesi Novarcensi, quae in metropolitanam erigitur, « Novarcensem » nuncupandam (*AAS* xxx [30 augusti 1938] p. 258 ss.).

M — Bulla *Quo christifidelium,* 10 dec. 1937, ab archidioecesi Cincinnatensi dioeceses Ludovicopolitana, Covingtonensis et Nashvillensis dismembrantur atque nova constituitur provincia ecclesiastica ex ipsa dioecesi Ludovicopolitana uti metropolitana et ex dioecesibus Owensburgensi, nuper erecta, Covingtonensi et Nashvillensi uti suffraganae efformata (*AAS* xxx [30 augusti 1938] p. 260 ss.).

N — Bulla *Quum S. Thomae,* 18 dec. 1937, titulus presbyteralis S. Thomae in Parione de Urbe in ecclesiam Sanctae Mariae in Vallicella transfertur (*AAS* xxx [10 iunii 1938] p. 191).

O — Bulla *Si inter infideles,* 8 ian. 1938, dioecesis Trichinopolitana dismembratur et nova erigitur dioecesis « Madurensis », quae metropolitanae Ecclesiae Bombayensi suffraganea constituitur, sodalibusque Societatis Iesu concreditur (*AAS* xxx [10 iunii 1938] p. 192 ss.).

P — Epistula *Te fauste celebrante,* 12 febr. 1938, Exc.mo P. D. Petro Emmanueli Amigo, archiepiscopo episcopo Southwarcensi, pontificali solio adstanti, Natalem diem sacerdotii quinquagesimum celebranti, S. Pontifex ex animo gratulatur facultatemque concedit ut, statuta die, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Suo Suaque auctoritate benedicat, plenam iisdem admissorum veniam proponens, usitatis Ecclesiae condicionibus lucrandam (*AAS* xxx [30 augusti 1938] p. 263).

Q — Litteris Apostolicis *Edocet Nos,* 3 martii 1938, templum SS.mi Cordis Iesu et B. Mariae V. de monte Carmelo in archidioecesi et civitate S. Iacobi de Chile erectum, basilicae minoris titulo ac privilegiis honestatur (*AAS* xxx [15 iulii 1938] p. 218 s.).

R — Epistula *Appropinquante natali,* 25 mart. 1938, E.mo P. D. Alexandro Tit. Sanctae Mariae in Cosmedin S. R. E. Presb. Cardinali Verde, dena lustra sacerdotii explenti, S. Pontifex laeto animo gratulatur ac felicissima quaeque ominatur (*AAS* xxx [15 iulii 1938] p. 221).

S — Litteris Apostolicis *Veronensis dioecesis,* 26 apr. 1938, templum Sanctae Theresiae a Puero Iesu in loco « Tombetta », intra fines Veronensis dioecesis, honoribus basilicae minoris augetur (*AAS* xxx [15 iulii 1938] p. 219 s.).

T — Epistula Praeclara *Hungarorum fides,* 12 maii 1938, ad E.mum Eugenium Tit. SS. Ioannis et Pauli S. R. E. Presb. Cardinalem Pacelli, a publicis negotiis, eumdemque S. R. E. Camerarium, Legatum a latere Suo mittit ad Congressum ex omnibus gentibus Eucharisticum Budapestini celebrandum, ut ipse, Suam gerens personam sacris ritibus caeremoniisque auctoritate Sua praesideat (*AAS* xxx [15 iulii 1938] p. 22 s.).

U — Epistula *Singulari animi,* 31 maii 1938, E.mum P. D. Rodericum Tit. Sanctae Mariae Angelorum in Thermis S. R. E.

Presbyterum Cardinalem VILLENEUVE, Archiepiscopum Quebecensem, Legatum deligit ad Congressum Eucharisticum Canadensem Quebeci indictum (*AAS* xxx [30 augusti 1938] p. 264).

51 - S. C. Consistorialis

1 - Decreto 20 febr. 1938, paroecia S. Apollinaris in oppido *Paderno* a dioecesi Feretrana seiungitur atque dioecesi Sarsinatensi aggregatur, mutatis hac ratione utriusque dioecesis finibus (*AAS* xxx [10 iunii 1938] p. 196).

2 - Decreto 13 mart. 1938, sedes episcopalis dioecesis hactenus Chatamensis appellatae, in civitate *Bathurst* erigit et constituit; ecclesia vero Sacratissimo Cordi Iesu dicta, in eadem civiltate exsistens, in cathedralem eiusdem dioecesis Bathurstensis in Canada erigitur (*AAS* xxx [15 iulii 1938] p. 227 s.).

3 - Decreto 9 apr. 1938, duo pagi a dioecesi Augustana separantur atque archidioecesi Monacensi et Frisingensi, perpetuo attribuuntur, mutatis hac ratione finibus earumdem dioecesium (*AAS* xxx [15 iulii 1938] p. 228 s.).

52 - S. C. de Prop. Fide

Decreto 30 martii 1938, paroecia de *Freire* ab Administratione Apostolica Valdiviensi segregatur et Vicariatui Apostolico Araucaniae adnectitur, ita ut flumen *Tolten* limites inter Administrationem Apostolicam Valdiviensem et Vicariatum Apostolicum Araucaniae deinceps determinet (*AAS* xxx [30 augusti 1938] p. 268).

53 - S. C. Rituum

Causae beatificationis et canonizationis:

1 - *Savonen.* Decretum 10 aprilis 1938, Super dubio: *an et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur* beatificationis et canonizationis venerabilis Servae Dei MARIAE IOSEPHAE ROSSELLO, e tertio ordine S. Francisci, fundatricis Instituti Filiarum Dominae Nostrae a Misericordia (*AAS* xxx [10 iun. 1938] p. 208 s.).

2 - *Savonen.* Decretum 26 maii 1938, Super dubio: *an, stante heroicarum virtutum et duorum miraculorum approbatione,* TUTO *procedi possit ad solemnem praedictae Venerabilis*

Beatificationem beatificationis et canonizationis venerabilis servae dei Mariae Iosephae Rossello e tertio ordine S. Francisci, fundatricis Instituti Filiarum Nostrae Dominae a Misericordia (*AAS* xxx [15 iulii 1938] p. 231 s.).

3 - *Aquen.* Decretum 26 maii 1938, Super dubio: *an et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur* beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Dominicae Mazzarello, confundatricis Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis (*AAS* xxx [15 iulii 1938] p. 233 ss.).

4 - *Chicagien.* seu *Lauden.* Decretum 31 iul. 1938, Super dubio: *an et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur* beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Franciscae Xaveriae Cabrini, fundatricis Instituti Missionariarum a Sacro Corde Iesu (*AAS* xxx augusti 1938) p. 270 s.).

5 - *Aquen.* Decretum 31 iul. 1938, Super dubio: *an stante approbatione virtutum et duorum miraculorum « Tuto » procedi possit ad solemnem ipsius Venerabilis Servae Dei Beatificationem* Beatificationis et canonizationis Venerabilis Servae Dei Maria Dominicae Mozzarello, confundatricis Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis (*AAS* xxx [30 augusti 1938] p. 272 ss.).

54 - Provisio Ecclesiarum

Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt:

4 martii 1938, Exc. P. D. Iosephus Heintz, cathedrali ecclesiae Metensi.

29 apr. 1938, R. D. Antonius Urbss, cathedrali ecclesiae Liepaiensi.

14 maii 1938, R. D. Albinus Lafortune, cathedrali ecclesiae Nicoletanae.

14 maii 1938, R. D. Albertus Martin y Villaverde, cathedrali ecclesiae Matanzensi.

16 mai 1938, R. D. Antonius Santin, cathedrali ecclesiae Tergestinae.

21 maii 1938, R. D. Petrus Santos, cathedrali ecclesiae Cacerensi.

24 Maii 1938, R. D. Ceslaus Kaczmarck, cathedrali ecclesiae Kielcensi.

26 maii 1938, R. D. Marius de Miranda Villas Boas, cathedrali ecclesiae Garanhunensi.

9 iunii 1938, Exc. P. D. Henricus Montalbetti, Metropolitanae ecclesiae Rheginensi.

9 iulii 1938, R. D. Eduardus Larrain Cordovez, cathedrali ecclesiae Rancaguensi.

21 iulii 1938, R. D. Iraeneus Chelucci, cathedrali ecclesiae Ilcinensi.

30 iulii 1938, R. D. Mattheus Brady, cathedrali ecclesiae Burlingtonensi.

30 iulii 1938, R. P. Ioannes Cavati, cathedrali ecclesiae Caratingensi.

17 augusti 1938, R. D. Hugo Camozzo, cathedrali ecclesiae Fluminensi.

17 augusti 1938, R. D. Vincentius Lojali, cathedrali ecclesiae Amerinae.

17 augusti 1938, R. D. Ianuarius Fenizia, cathedrali ecclesiae Neritonensi.

Decretis S. C. de Prop Fide nominati sunt:

21 maii 1938, R. P. Ludovicus Morel, e Missionariis de Scheut, Vicarius Apostolicus de *Suiyüan*.

21 maii 1938, R. P. Henricus Horts, Societatis Missionariorum Africae sodalis, primus Vicarius Apostolicus de *Lwangwa*.

23 maii 1938, R. P. Georgius Rossi, Piae Societatis Taurinensis a S. Ioseph presbyter, Vicarius Apostolicus Napensis.

14 iunii 1938, R. P. Florentius Sanz-Esparza, C. M., cathedrali ecclesiae de *Cuttak*.

14 iunii 1938, Exc. P. D. Terentius Bernardinus McGuire, cathedrali ecclesiae Gulburnensi.

14 iunii 1938, R. P. Ioannes Maria Masson, metropolitanae ecclesiae Columbensi.

13 iulii 1938, R. D. Hugo Eduardus Ryan, cathedrali ecclesiae de *Townsville*.

13 iulii 1938, R. D. Basilius Roper, cathedrali ecclesiae Toowoombensi.

55 - Nominationes

Decretis S. C. de Prop. Fide renunciati sunt:

20 maii 1938, R. P. Alexander Digard, O. F. M., Praefectus Apostolicus de *Iduhsien*.

21 maii 1938, R. P. Iacob Ioannes Maria Kusters, Congregationis Missionariorum a S. Familia sodalis, primus Praefectus Apostolicus de *Bandjermasin* in Indiis Hollandicis.

21 maii 1938, R. P. Ferdinandus Loy, Societatis Verbi Divini presbyter, primus Praefectus Apostolicus de *Sinkiang*.

21 maii 1938, R. P. Inigus Maxiilianus Koenig, Societatis Divini Salvatoris sodalis, primus Praefectus Apostolicus de *Shaowu*.

31 maii 1938, R. P. Felix Herrmann, O. F. M., primus Praefectus Apostolicus de *Karafuto* in Iaponia.

3 iunii 1938, R. P. Ladislaus Lombos, O. F. M., primus Praefectus Apostolicus de *Paoking*.

10 iunii 1938, R. P. Ioannes Angelus Romaniello, e Societate de Maryknoll, primus Praefectus Apostolicus de *Kweilin*.

10 iunii 1938, R. P. Daniel Gomes Junqueira, e Congregatione S. Spiritus, Praefectus Apostolicus de *Cubango* in Angola.

17 iunii 1938, R. P. Ioannes Henricus Mazoyer, O. M. I., primus Praefectus Apostolicus de *Vientiane* et *Luang Prabang*.

56 - Necrologium

30 maii 1938, D. Iginus Serci, episcopus Octeriensis (Sardinia).

6 iunii 1938, D. Raphael Guizar y Valencia, episcopus Verae Crucis.

27 iunii 1938, D. Franciscus Alberti, archiepiscopus de Plata.

16 iulii 1938, E.mus D. Cardinalis Iulius Serafini, S. Mariae supra Minervam.

20 iulii 1938, Exc.mus D. Aloysius Scheiwiler, Episc. S. Gallensis.

9 augusti 1938, Exc.mus D. Alfonsus Belloso, Archiepiscopus S. Salvatoris in America.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

Ivo Benedetti, *Ordo iudicialis processus canonici super nullitate matrimonii instruendi.* Torino (Marietti) 1938, 15 × 22 cm., 249 p., pretium L. it. 12.

De personis et rebus in causis matrimonialibus - De causis super matrimonio rato et non consummato - Specimen processus matrimonialis.

P. M. Bernard, *Petits enfants.* Histoires récréatives. Paris VIe (P. Téqui Fils) 1938, 12 × 18,5 cm., IX-168 p., pretium fr. 9.

L'arrivée en famille - Fête de Noël - Ah! toujours des visites - Orage - Bonne année - On tire les Rois - Au revoir.

P. Matthaeus Conte a Coronata O. M. C., *Manuale practicum iuris disciplinaris et criminalis regularium.* Torino - Roma (Marietti) 1938, 15 × 22 cm., 270 p., pretium L. it. 18.

Variae procedurae: De proceduris poenalibus extraiudicialibus - De procedura administrativa adhibenda in amotione superiorum localium - De procedura iudiciali criminali (Generalia de Iudicio Criminali - Specialia de Processu Criminali Iudiciali) - De proceduris servandis in dimissione ab ordine.

Elenchus delictorum contra quae superiores regulares procedere possunt vel debent: Elenchus delictorum ex iure communi - Elenchus delictorum et transgressionum ex iure speciali Ordinis Minorum Capuccinorum.

Formulae variae in modo procedendi adhibendae.

P. Gennaro Gamboni S. I., *L'Enciclica « Ad Catholici Sacerdotii », commentata al Clero e agli alunni dei Seminari Teologici.* Torino-Roma (Marietti) 1938, 15 × 22 cm., VIII-245 p., pretium L. it. 8.

Sacerdos alter Christus - Il Sacerdote e il Sacrificio della Nuova Legge - L'ineffabile potere sul corpo reale di Cristo - Il culto Eucaristico in generale - L'Eucarestia mezzo massimo di Santificazione Sacerdotale - L'Ineffabile potere sul Corpo Mi-

stico di Gesù Cristo. Il Sacerdote dispensatore dei Misteri di Dio - La « Potestà formidabile » - Ciò che la confessione deve essere per i sacerdoti - Ciò che devono essere i sacerdoti per ben confessare - Il Sacerdote apostolo di verità - Gesù Cristo tipo e Maestro di preparazione alla predicazione - Gesù Cristo tipo e Maestro di predicazione.

Abbés Lusseau et Collomb, *Manuel d'études bibliques.* Rédigé conformément aux directives données par S. S. PIE X aux professeurs d'Ecriture Sainte. Tome IV, Les Evangiles. Nouvelle édition. Paris VIe (P. Téqui & Fils) 1938, 14×22,8 cm., VII-915 p., pretium fr. 50.

Préliminaires - Notions générales sur les Evangiles: Introduction aux évangiles, Analyse commentée des quatre évangiles. - L'enfance et la vie cachée de Notre-Seigneur Jésus-Christ - La vie publique de Notre-Seigneur Jésus-Christ: Préliminaires de la vie publique - Le ministère du Sauveur en Iudée - Ministère de Jésus en Galilée (De décembre de la première année à la Pâque de la seconde - De la seconde à la troisième Pâque) - Ministère dans la décapole et la tétrarchie de Philippe - Ministère en Pérée (De la Fête des Tabernacles à la Fête de la Dédicace - De la Fête de la dédicace au dernier voyage à Jérusalem) - Du dernier voyage à Jérusalem jusqu'à la Cène du Seigneur) - La Cène du Seigneur - La Passion - La vie glorieuse - Bibliographie générale.

P. Dr. Emerico Piszter S. O. Cist., *Chrestomathia Bernardina ex operibus S. Bernardi,* Abbatis Claravallensis Doctoris Melliflui, collecta et ad systema quoddam theologiae redacta. Torino (Marietti) 1938, 15,5 × 22,5 cm., VIII-392 p., pretium L. it. 10.

Theologia Generalis - Theologia Specialis - Theologia Moralis.

Sancti Aurelii Augustini *Confessionum* Libri XIII, cum notis P. H. Wangnereck S. I. Torino-Roma (Marietti) 1938, 10 × 16,5 cm., XVI-586 p., pretium L. it. 7.

Piera Delfino Sessa, *Lourdes, il sole sul mondo.* Torino-Roma (Marietti) 1938, 12,5 × 20,5 cm., 226 p., pretium L. it. 8.

La fonte che disseta - La cieca di Cumiana - Quanto tempo? - Treno azzurro - Annibale Resasco - *Benedictus qui venit* - Luisa Picasso - Vita Lourdiana - L'Ancella di Maria - Il fiume delle grazie - A colloquio con Gabriele Gargam - Origine dell'Unitalsi - Nuovi incontri col divino - All'Ufficio di constatazione - Come fu? - Come avvenne? - Gli oppositori del mira-

colo - La scienza odierna e il miracolo - Una colomba muta le ali - Guarigioni spirituali - Una visita all'Abate Courtin - Vita e morte - Vigilia di partenza - Ritorno del treno azzurro - Lo spettacolo più grande.

L. Todesco, *Manuale di storia della Chiesa*, Vol. II. Torino-Roma (Marietti) 1937, 15 × 22 cm., 598 p., pretium L. it. 30.

Da Bonifacio VIII alla Riforma - Il secolo XVI - Dal Protestantesimo alla Rivoluzione - La Rivoluzione e la Ristorazione - Pontificati di Pio IX e Leone XIII - Il secolo XX.

Appunti di Sacre Cerimonie, a cura del Sac. Giovanni Sessolo, Norme Generali, Santa Messa privata e prelatizia. Torino (Marietti) 1938, 14×19 cm., 84 p., pretium L. it. 3.

Norme Generali - Del modo di contenersi nella Cappella e nelle Chiese - Della S. Messa privata servita da un solo ministro - Della S. Messa privata servita da due ministri - Della S. Messa prelatizia - Del servizio della S. Messa in alcuni casi particolari.

* * * *Pontificium Athenaeum Lateranense. Anno Academico* 1937-1938. *Commentarium.* (Istit. Grafico Tiberino) MCMXXXVIII. 17×24,5 cm. 286 p.

Pius XI P. M. novas Pont. Athenaei Lateranensis aedes praesens sollemniter auspicatur - Athenaei origo et historia - Novae sedis descriptio -Athenaei chronica 1936-1937 - In memoriam - Excerpta ex Statutis - Auctoritates academicae et Professores - Praelectionum series - Auditores - Gradus academici anno 1936-1937. - Dissertationes - Seminaria, Collegia et Religiosae Familiae quorum alumni Pont. Athenaei Lateranensis scholas frequentant - Horaria praelectionum anno academico 1937-1938 - Kalendarium anno academico 1937-1938 - Professorum scripta - Commentarii - Appendix: Documenta Pontificia quae Athenaeum respiciunt.

E. Janvier O. P., *Esposizione della Morale Cattolica* (Conferenze di Nostra Signora di Parigi) Versione nuova di Federico Rousset O. C. D., Sac. Dott. Giuseppe De Michele, Can. Antonio Tani, Can. Teol. Prof. Decio Donati, Torino-Roma (Marietti), 13×20 cm.

Morale Speciale, Tomo V, 1936 - *La Carità,* vol. II, I suoi effetti. Quaresimale del 1915, pag. 302, pretium Lit. 10.

La gioia - La pace interna - La pace Sociale - La pace Internazionale - La Misericordia - La beneficenza - Esercizi Pasquali (L'elemosina nell'ordine fisico - L'elemosina nell'ordine intellettuale - L'elemosina nell'ordine morale - L'elemosina del

perdono - Il perdono al Calvario) - Fervorino per la Comunione Generale degli Uomini (L'elemosina dell'espiazione nell'eucaristia).

Morale Speciale, Tomo VI, 1937 - *La Carità,* vol. III, Sentimenti e atti contrari a questa virtù. Quaresima del 1916, pag. 293, pretium Lit. 10.

L'odio - Il disgusto delle cose Divine - L'invidia - Il suicidio - Il duello - La guerra - Esercizi Spirituali (La discordia nella famiglia - La discordia nello stato - Lo scisma - Lo scandalo - Il martire dell'invidia) - Fervorino per la Comunione Generale degli Uomini (L'Eucaristia e i vizi contrari alla carità).

Morale Speciale, Tomo VII, 1937 - *La prudenza cristiana.* Quaresimale del 1917, pag. 317, pretium Lit. 10.

La prudenza umana - Gli ausiliari della prudenza - La prudenza cristiana - La prudenza domestica - La prudenza nel governo dei popoli - La prudenza nel governo delle anime - Esercizi Pasquali (L'imprudenza - La negligenza - La prudenza della carne - L'astuzia - La follia della croce) - Fervorino per la Comunione Generale degli Uomini (La prudenza di Cristo e il mistero dell'Eucaristia).

Morale Speciale, Tomo VIII, 1937 - *La giustizia e il diritto.* Quaresimale del 1918, pag. 336, pretium Lit. 10.

La giustizia e il diritto - La giustizia e il diritto delle società sulle persone - La giustizia e il diritto delle persone sulle società - La giustizia e il diritto alla vita - La giustizia e il diritto di proprietà - La giustizia e i diritti del capitale e del lavoro - Esercizi pasquali (La giustizia nei diritti - L'ingiustizia nelle parole - La frode nelle vendite e nelle compere - La restituzione - Le tappe dell'ingiustizia) - Fervorino per la Comunione Generale degli Uomini (Riparazione delle ingiurie fatte a Gesù Cristo nell'Eucaristia).

Morale Speciale, Tomo IX, 1938 - *La giustizia verso Dio.* Quaresimale del 1919, pag. 322, pretium Lit. 10.

La giustizia verso Dio - Culto interno e culto esterno - Il culto pubblico - L'efficacia della preghiera - La grandezza della preghiera - Il sacrificio - Esercizi pasquali (il nome del Signore - Il giorno del Signore - Il giorno del Signore e gli interessi dell'uomo - La preghiera nell'orto degli ulivi - Sacerdote e vittima) Fervorino per la Comunione Generale degli Uomini (L'adorazione Eucaristica).

Morale Speciale, Tomo X, 1938 - *La virtù della fortezza.* Quaresimale del 1920, pag. 310, pretium Lit. 10.

La virtù della fortezza - Il martirio - L'uso della fortezza

nelle comuni contingenze della vita - La magnanimità - La magnificenza - La perseveranza - Esercizi pasquali (L'audacia - La debolezza causata da eccessivo timore - L'ambizione - La vanagloria - Il Re dei Martiri) - Fervorino alla Comunione Generale degli Uomini (Il pane dei forti).

Morale Speciale, Tomo XIII, 1938 - *La perfezione nella vita cristiana.* Quaresimale del 1923, pag. 355, pretium Lit. 10.

Lo spirito di perfezione nel cristianesimo - Gli elementi della perfezione cristiana - Gli stati di perfezione: la vita religiosa - I voti religiosi - Il diritto di entrare in religione - Gli stati di perfezione: l'episcopato - Esercizi Spirituali (Il desiderio della perfezione - La contemplazione nella vita cristiana - Disposizioni richieste per la contemplazione - Gli effetti della contemplazione - La contemplazione di Gesù durante la sua passione) - Fervorino alla Comunione Generale degli Uomini (L'Eucaristia e la perfezione).

Tomi XI, XII et XIV sub prelo sunt.

Tomi singuli soluti 10, ligati 14 libellicis italicis veneunt.

II - Ex Periodicis

A. F. E. R. — AFRICANAE FRATERNAE EPHEMERIDES ROMAE, fasc. 13 (iun. 1938). — Paul Jans, M. S. C., *Musique religieuse pour indigènes,* p. 169-178.

ANALECTA ORDINIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM XIII (1938), fasc. II (April.-Iun.) — Fr. Albertus a Puero Iesu, O. C. D., *De fine primario Ordinis Nostri,* pag. 138-141.

BOGOSLOVSKA SMOTRA XXVI (1938), fasc. 3 (Iul.-Sept.) — Keilbach V., *De stigmatisationis psychologia,* pag. 233-254.

BOLETIN OFICIAL DE LA ACCION CATOLICA ARGENTINA VIII (1938), fasc. 171 (1 iun.) — R. P. Vicente M. Pollet, O. P., *El apostolado de los laicos o la Accion Catolica en formacion,* pag. 317-323. — Fasc. 172 (15 iun.) — Arq. Angel Leon Gallardo, *La familia, celula viva social en la Accion Catolica,* pag. 353-358. — Fasc. 175 (1 aug.) — R. P. Vicente Pollet, O. P., *La Accion Catolica en la Iglesia,* pag. 445-448.

BULLETIN DE L'UNION MISSIONAIRE DU CLERGE XVIII (1938), fasc. 3 (iul.) — Alfred Corman, *Les missions de Chine,* pag. 92-97.

COLLECTANEA COMM. SYNODALIS, Vol. XI (1938), fasc. 6 (iun.) — P. Edmundus Trachternach, O. F. M., *Educatio ad*

S. Missae sacrificium, pag. 549-565. Fasc. 7-8 (iul.-aug.). — P. Ed. Petit, S. I., *Questions Fondamentales* (par le Père René Archen, S. I.), pag. 720-726.

COLLATIONES NAMURCENSES xxxii (1938), fasc. 4 (iul.) — E. Ranwez, *De Astrologia*, pag. 283-289.

COLLECTANEA MECHLINIENSIA xxvii (1938), fasc. iv (iul.) — H. De Mesmaecker, *De dispositionibus moralibus ministri quoad valorem sacramentorum*, pag. 364-384. — V. Heylen, *De liceitate opponendi praescriptionem*, pag. 386-390 — F. Gillet, *De domicilio clericorum et religiosorum*, pag. 390-393 — Fasc. v (aug.-sept.) — A. Van Roey — P. Mylemans — A. De Brouwer, *De Hysterectomiae uteri gravidi morbosi liceitate disputatio*, pag. 457-68.

EPHEMERIDES LITURGICAE lii (1938), fasc. i (ian.-mar.) — Jungmann J. A., S. I., *« Oratio super populum » und altchristliche Büssersegnung*, pag. 77-96.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO E RASSEGNA DI DIRITTO MATRIMONIALE xlix (1938), fasc. 5-6 (maii-iun.) — Spinelli G., *Gli oratori semi-pubblici*, pag. 176-182.

LA CITE CHRETIENNE xii (1938), fasc. 277 (5 iul.) — Francis Hermans, *Mystique de la Communauté*, pag. 518-520. Fasc. 278 (20 iul.) — Giovanni Hoyois, *Aux origines de l'Action Catholique*, pag. 550-553.

NEDERLANDSCHE KATHOLIEKE STEMMEN xxxviii (1938), fasc. 5 (maii) — G. Cloin, *C. ss. R., De devotie-biecht. Haar voorgeschiedenis*, p. 129-40. — Fasc. 6 (iun.). — Dr. W. Mulder, *Het privilegium fori*, pag. 161-167. — Fasc. 7 (iul.) — Dr. L. Buijs C. ss. R., *De devotiebiecht. Theologica en pastoralia*, i, pag. 193-203. — Fasc. 8-9 (aug.-sept.) — Dr. W. Mulder, *Bezoek van niet-katholieke onderwijsinrichtingen*, pag. 225-233. — Dr. L. Buijs C. ss. R., *De devotiebiecht. Theologica en pastoralia*, ii, pag. 234-244.

ONS GEESTELIJK LEVEN xviii (1938), fasc. 2 (iul.-aug.) — Dr. W. Geerts M. S. C., *Evangelische armoede en levenszorgen*, pag. 75-89. — fasc. 3 (sept.-oct.) — A. Munsters, M. S. C., *Het Gemeenschapsleven*, pag. 113-123. — B. v. D., *De christelijke Naastenliefde*, pag. 124-133.

PALESTRA DEL CLERO xvii (1938), vol. i, fasc. 13 (1 maii) — Mons. Nicola Fanelli, *Ancora sulle facoltà dei Vicarii cooperatori*, p. 295-6. — Fasc. 16 (1 iun.) — Don Eusebio Grechi, *Celebrante e natura della Messa nel Venerdì Santo*, pag. 361-70. — Fasc. 18 (20 iun.) — A. Mancini S. S., *De missa praesentifica-*

torum con rapporto al sacrificio eucaristico, pag. 422-424. — Vol. II, fasc. 3 (20 iul.) — Mons. P. Avv. Vito, *Dell'ordine di trattare le cause contro la sacra ordinazione*, pag. 56-57 — Fasc. 4 (1 aug.) — Don Giove, *Aliquid de integritate confessionis*, pag. 76-80. — Fasc. 5 (10 agosto) — Mons. G. Buttignoni, *Per evitare troppi processi matrimoniali*, pag. 97-98.

PASTOR BONUS (Augustae Treverorum) XLIX (1938), fasc. 3-4 (Juni-Juli). — Prof. Dr. Matthias Wehr, *Die Bination*, pag. 73-94. — Prof. Dr. Nikolaus Seelhammer, *Brüderliche Zurechtweisung*, pag. 100-104.

PASTOR BONUS (Romae) II (1938), fasc. 6 (iun.) — M. Mignone, *Quomodo initietur populus ut active intersit Missae sacrificio*, p. 425-31. — Fasc. 7 (iul.) — Paschalis, *Sacramentum Ordinis divinum pignus est ad curam animarum*, pag. 483-485.

RASSEGNA DI MORALE E DIRITTO IV (1938), fasc. 1-2 (ian.-mai.) — Dott. X. Y., *L'uomo com'è*, pag. 3-10. — S. Romani, *Il soggetto morale*, pag. 11-26. — S. Romani, *Il diritto canonico come scienza*, pag. 27-52. — C. Damen, *De recta theologiae moralis excolendae ratione disquisitio*, pag. 53-67. — S. Romani, *Alla ricerca della norma morale*, pag. 68-84. — S. Romani, *Il Vescovo*, pag. 85-99. — F. Fontana, *La condizione giuridica delle Chiese*, pag. 100-128. — S. Romani, *Il sistema del diritto canonico processuale*, pag. 129-136. — A. Mancini, *Dell'Azione Cattolica e suo innesto futuro nel Codice J. C. Accenni de jure condendo*, pag. 137-154.

RAZON Y FE CXIV (1938), fasc. 1 (maii) — R. S. de Lamadrid, *La enseñanza religiosa en la nueva España*, p. 36-49. — Fasc. 2 (iun.) — E. Guerrero, *La obediencia a la autoridad*, pag. 129-140. — Fasc. 3-4 (Jul.-Aug.) — Dr. Henriquez de Salamanca, *Juventud y deporte*, pag. 262-266. — M. Marin Triana, *La mujer trabajadora*, pag. 267-281.

REVUE DES COMMUNAUTES RELIGIEUSES XIV (1938), fasc. 3 (maii-iun.) — J. Creusen, S. J., *Vie religieuse et voeu du plus parfait* (contin.), p. 69-78. — E. J., *Clôture et rigorisme*, p. 83-6. — Fasc. 4 (iul.-aug.) — J. Creusen, S. I., *Vie religieuse et voeu du plus parfait* (contin.), pag. 107-113. — Fasc. 5 (sept.-oct.) — J. Creusen, *Discipline religieuse et vocations*, pag. 129-132. — J. Creusen, *Vie religieuse et voeu du plus parfait* (finis), pag. 145-153.

REVUE ECCLESIASTIQUE DE LIEGE XXIX (1938), fasc. 6 (maii) — F. Litt, *A quelles réparations peut obliger l'homicide?* p. 393.

RIVISTA DEL DIRITTO MATRIMONIALE ITALIANO v (1938), fasc. 4-5 (april-maii) — G. B. Funaioli, *Il timore riverenziale e la validità del matrimonio*, p. 145-50. — Prof. Adolfo Zerboglio, *Il rifiuto della « prestazione sessuale » come reato di violazione dell'assistenza familiare (tentativo di una conclusione)*, p. 151-54. — Pio Ciprotti, *Mista religione e disparità di culto*, p. 158-60. — Fasc. 6 (Giugno) — A. Vernetti, *In tema di patria potestà*, pag. 241-245. — Fasc. 7 (Luglio) — Allegra, *« Jus in corpus » ed « Exercitium juris in corpus »*, pag. 289-293.

SAL TERRAE xxvi (1938), fasc. 5 (maii) — Eduardo F. Regatillo, *Privilegio Paulino*, p. 386-94. — Fasc. 6 (iun.) — José Mostaza, S. I., *El Fuero del Trabajo. Mensaje de paz y felicidad a la clase obrera de parte de la Nueva España*, p. 470-3.

THEOLOGISCH-PRAKTISCHE QUARTALSCHRIFT xci (1938), fasc. 2 — P. Peter Schmitz, S. V. D., *Erziehung und Führung zur heiligen Ehe*, p. 245-57. — Dr. Josef Grosam, *Die soziale Gerechtigkeit im Sinne der Enzyklika Quadragesimo anno* (contin.), p. 258-71. — Fasc. 3 (iul.-sept.) — Otto Cohausz S. I., *Wirklichkeit und Verwirklichung des gottmenschlichen Reiches Jesu Christi*, pag. 401-414. — P. J. Endres C. SS. R., *Zur Philosophie des Gebetes*, pag. 424-429. — P. Damian Klein O. F. M., *Was ist Opfer?* pag. 429-455. — B. Van Acken S. J., *Apostolat zum Beistand der Sterbenden*, pag. 455-71 — Dr. Josef Grosam, *Die soziale Gerechtigkeit im Sinne der Enzyklika 'Quadragesimo anno'*.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

Patres matresque ex Baptismo et Actio Catholica

Aliquot ante annos in hisce *Periodicis* (1) agens de Actione Catholica in Corpore Christi, lectoris animum adverti ad apostolatum quemdam laicum, qui licet ex vetustissimo more Ecclesiae habeatur, eique in Codice Iuris Canonici quattuordecim canones tribuantur, tamen saepe saepius magis umbra videtur quam vera realitas: de patrinis et matrinis loquor, quorum mentio fit *C. I. C.* can. 762 — 769, can. 793 — 797, can. 1335.

Facile igitur intellectu est, me non absque gaudio vidisse, praesides coetus virorum, qui in Helvetia sub nomine Sancti Ignatii militat, in libello quem de cellulis Actionis Catholicae ediderunt, socios suos adhortari, ut munus patrini suscipiant vel suscipiendum curent, ubi periculum vitae religiosae vel moralis minitetur (2).

Quia vero persuasum mihi est ex renovato patrinorum instituto nostris hisce temporibus, haud paucas ob rationes stadio Ecclesiae primaevae similibus, multas animas sal-

---

(1) Cf. *Periodica* XXV (1936) pag. 19* vel editionem separatam: *A. C. in Corpore Christi*, Romae, P. V. G., 1936, pag. 27.

(2) *Zellen der Kath. Aktion*, herausgegeben vom Zentralverband des Schweizerischen Ignatianischen Männerbundes. Imprimatur: Solothurn 1938.

vari posse, novumque campum aperiri salutifero conatui Actionis Catholicae, primum quaedam disseram de patribus matribusque ex fonte baptismi in antiqua Ecclesia (3), deinde quaedam suggeram, quae recentioribus Ecclesiae conditionibus mihi videntur accommodata.

I

« Ex vetustissimo Ecclesiae more nemo sollemniter baptizetur », ita *C. I. C.* can. 762, « nisi suum habeat, quatenus fieri possit, patrinum ». Verba illa esse verissima, immo agi de instituto quodam forsitan apostolico, clare patet ex eo, quod Tertulliani tempore patrinorum munus, etiam in baptismo infantium, apparet ut res notissima et universaliter accepta (4) Graecorumque traditioni conformis (5).

Quodnam fuerit patrinorum munus ex Augustini operibus (6) videre est: Ipsi sunt, qui infantes ad fontem sacrum portant, infantes sacerdoti offerunt, nomine parvulorum fidei professionem faciunt necnon mundo diaboloque renuntiant, in signum adoptionis spiritualis infantes

---

(3) Bibliographiam vide apud Cabrol-Leclercq, *Dict. d'Archéologie et de Liturgie*, 1938 i. v. *parrain et marraine*. Ibi autem desiderantur C. Chardon, *Hist. des Sacr.* 1714, lib. I cap. 14; F. L. Ferraris, *Prompta bibliotheca*, ed. Migne 1863, i. v. *Baptismus*, art. VII, pp. 993-1004; A. A. Pelliccia, *De Christi Ecclesiae primae, mediae et novissimae aetatis Politia libri sex*, Neapoli 1777, et praecipue redactio germanica ultimi libri confecta ab A. J. Binterim, *Die vorzüglichsten Denkwürdigkeiten der Christ-Katholischen Kirche aus den ersten, mittlern und letzten Zeiten*, 7 vol., Mainz, 1825-1841, I-I, cap. II § 9, pp. 187-206: *Von den Taufpathen;* ex quo libro multa recentiora dictionaria hauserunt. Vide etiam Drews in *Realenc. f. prot. Theol.*, ed. 3, XIX, 447-450. Mirum est saeculis XVII et XVIII saltem decem libros data opera de patrinis esse conscriptos, nunc vero ne nomen quidem commemorari in *Dict. de Théol. cath.* — Multa testimonia mox proferenda debeo v. cl. Binterim, multa quoque addidi ex studio proprio.

(4) Cf. *De baptismo* cap. 18, collato *De corona* cap. 3.

(5) Cfr. *Const. Apost.* III, 16: *MG* I, 798; Ps. Dionys. Areop., *De eccl. hier.* II, 2-7: *MG* III, 393-396; Ps. Justin., *Quaest. 56 ad orthod.*: *MG* VI, 1297: *Vita S. Epiphanii* 8: *MG* XLI, 32-33: Concil. Nic., *Can. arab.* 24 et 25: *Mansi* II, 989; Socrates, *H. E.* VII, 4: *MG* LXVII, 745.

(6) Cf. *Epist.* 98, 5-7: *ML* XXXIII, 362; *Epist.* 217, 5, 16: *ML* XXXIII, 984; *Serm.* 294, 11, 12 et 18, 17: *ML* XXXVIII, 1342 et 1346; *De bapt. c. Don.* IV, 24, 31: *ML* XLIII, 175; *De pecc. mer.* 19, 25: *ML* XLIV, 123; *Serm. app.* 168, 3 et 267,5 (163 et 116 de temp.): *ML* XXXIX, 2071 et 2243 collato *Serm. app.* 257,2: *ML* XXXIX, 2220.

ex sacro fonte suscipiunt, tandem in facie Ecclesiae sponsores exsistunt prolis spiritualis religiose educandae. Cuius curae spiritualis a patrinis susceptae nonnumquam signum visibile fuisse videtur vestimentum baptismale, patrinis a parentibus post baptismum traditum (7).

Quanti pretii patrini officium antiquis temporibus sit habitum, multis e rebus elucet.

Et primum quidem ex nomine. Nam licet patrini nonnumquam *offerentes* vel *portantes* vel *gestantes* vel *susceptores* nominati sint (8), voculis sat impropriis ob munera exteriora supra indicata, tamen antiquitus prae ceteris *sponsores, fideiussores, vades* (9) vocabantur ob grave munus coram Ecclesia susceptum, vel quod et pulchrius sonat: *pater vel mater spiritualis, compater vel commater, pater vel mater ex baptismate* (10). Vox autem *patrini*, ec-

(7) Cf. Vict. Vitens., *Hist. pers. Vand.* 5, 9: *ML* LVIII, 246-247.

(8) Cf. *Coll. Prop. Fid.* I p. 180; in specie: « Offerentes » Ps. Iustin, *l. l.*; Gennad., *De eccl. dogm.* 52: *ML* LVIII, 993; Rab. Maur., *De inst. cler.* I, 26: *ML* CVII, 311; « Portantes »: August., *Serm.* 294 nn. 11 et 17: *ML* XXXVIII, 1342 et 1346; « Gestantes »: August., *De pecc. mer.* 19, 25: *ML* XLIV, 123; Rab. Maur., *l. l.*; « Susceptores » seu ἀνάδοχοι: Ps. Dionys. Areop., *De eccl. hier.* II, 5-7: *MG* III, 393-396.

(9) « Sponsores »: Tertull., *De Bapt.* 18; « Fideiussores »: August., *Serm. App.* 168, 3: *ML* XXXIX, 2071; *Vita S. Pelag. meretr.* 8: *ML* LXXIII, 667; S. Hildef. Tol., *De Cognit. bapt.* 114; *ML* XCVI, 159; S. Bonifac., *Serm.* V, 3 et XV: *ML* LXXXIX, 853 et 870; Carol. Magn., *Epist.* 14: *ML* XCVIII, 917; « Vades »: Nicol. I, *Resp. ad Bulg.* 18: *ML* CXIX, 989.

(10) « Pater »: Rufin., *Apol.* I, 4: *ML* XXI, 543; Ps. Ioh. Dam., *Vita Barl. et Iosaph.*: *MG* XCVI, 999 et 1192; « Pater et mater spir. »: August., *Serm. app.* 168, 3: *ML* XXXIX, 2071; Concil. Nic., *can. arab.* 24 et 25: *Mansi* II, 989; *Vita S. Pelag.* 8: *ML* LXXIII, 667; Walfr. Strab., *De reb. eccl.* 26: *ML* CXIV, 960; Nicol. I, *Resp. ad Bulg.* 2 et 18: *ML* CXIX, 979 et 989; « Compater et commater »: *Vita S. Pelag.* 10 et 11: *ML* LXXIII, 668; Gregor. Magn., *Epist.* IV, 42: *ML* LXXVII, 717 et *Decr. App.* VI, 4, ibid. 1340; S. Bonifac., *Epist.* 41: *ML* LXXXIX, 741; *Decr. Grat.* III de Consecr. d. 4, can. 101 et 102; « Pater ex baptismo »: *Vita Sancti Epiphanii* 8: *MG* XLI, 32-33; « De sacro fonte filium suscipere »: August., *Serm. App* 168, 3: *ML* XXXIX, 2071: Vict. Vitens., *Hist. pers. Vand.* 5, 9: *ML* LVIII, 246-247; *Decr. Grat.* III de Consecr. d. 4, can. 101; Zacharias Pp.. *Epist.* 20: *ML* LXXXIX, 957-959; S. Bonifac., *Serm.* 5, 3: *ML* LXXXIX, 853, et *Epist.* 40: *ibid.* 740; Patri spirituali correspondet « filius spirtualis » Augustin., *Serm. App.* 168, 3: *l. l.*; Nicol. I, *Resp. ad Bulg.*, 2 et 18: *ML* CXIX, 979 et 989; *Marm. Oxoniens.* apud Cabrol-Leclercq, *D. A. et L.* i. v. « parrain »; « filius adoptivus »: S. Bonifac., *Epist.* 39 et 40; *ML* LXXXIX, 738-740; « filiolus et filiola »: S. Bonifac., *Serm.* 15: *ML* LXXXIX, 870; *Concil. Lipt.* can. 26: *ML* LXXXIX, 822; *Decr. Grat.* III de consecr. d. 4, c. 100. Vide etiam Du Cange, *Gloss, med. et inf. lat.* in vocibus praedictis et affinibus.

clesiastice adhibita, originis Carolingicae videtur (11), et desumpta ex ritu pagano, quo iuvenis prima vice attondendus a tonsore suo seniore in filium adoptaretur (12).

Aliud indicium est impedimentum matrimoniale, quod antiquitus non solum erat inter patrinum et baptizatum, sed etiam inter patrinum et renati parentes. Ratio autem impedimenti in eo erat, quod susceptio muneris patrini habebatur ut vera adoptio infantis baptizati; quodsi igitur iam adoptio civilis constituit impedimentum — ita Nicolaus papa I ad Bulgaros —, eo magis adoptio spiritualis, ex qua quis spiritualis pater fit spiritualis filii (13). Clarum est numquam factum fuisse, ut Ecclesia tale impedimentum statueret, nisi patrinorum officium rem summi momenti existimasset.

Huic altae existimationi correspondet error quidem Tertulliani. Proponit enim, ut solummodo iam adulti baptizentur infantes (14). Processit autem error ex conscientia gravis obligationis, qua pater et mater ex baptismate ligantur. Si enim parvuli recenter nati baptizantur — ita,

(11) *Charta Pepini* anni 752 apud Calmet, *Hist. Loth.* I col. 273: « vir patrinus seu spiritualis pater »; Almar. Trevir., *De Caer. Bapt. ad Carol. M.* 4: *ML* XCIX, 894 et 898; Ps. Alcuin., *De div. off.* 19: *ML* CI, 1218-1220; Walfr. Strab., *De reb. eccl.* 26: *ML* CXIV, 960. Multa alia apud Du Cange, l. l. in voce.

(12) Cf. Fredegard., *Hist. Franc.* fragm. 4: *ML* LXXI, 702, cum nota; Paul. Diac., *De gest. Lomb.* IV, 40 et VI, 53: *ML* XCV, 576 et 659 cum notis. Ritus primae tensionis ab Ecclesia fuit christianizatus, cf. *Sacram. Gregor.*: oratio ad barbas tondendas: *ML* LXXVIII, 233: « Deus, cuius spiritu creatura omnis adulta congaudet, exaudi preces nostras super hunc famulum N., iuvenilis aetatis decore laetantem et primis auspiciis attondendum, exaudi Domine, ut in omnibus protectionis tuae munitus auxilio, coelestem benedictionem accipiat et praesentis vitae praesidiis gaudeat et aeternae ». Eadem oratio in vetere *Sacr. Gallicano* sub titulo: « benedictio super eum qui in Ecclesia primitus tondetur ».

(13) Cf. *Cod. Iustin.* lib. V, tit. 4: de nupt., lex 26; *Conc. Nic.*, Can. Arab. 25: Mansi II, 989; *Concil. Trull.* can. 54: *Mansi* XI; Nicol. I, *Resp. ad Bulg.* 2: *ML* CXIX, 979; Zachar. Pp., *Epist.* 20: *ML* LXXXIX 957-959; S. Bonifac., *Epist.* 39, 40 et 41: *ML* LXXXIX, 738-741. Dicit S. Bonifacius se non intelligere, quomodo ex cognatione spirituali exoriri possit impedimentum matrimoniale. Omnes enim baptizatos inter sese esse fratres spirituales. Sed in casu agitur de cognatione spirituali ex adoptione spirituali, quae cognatio non est communis omnibus Christianis. Legislationem Concil. Trid. vide sess. 24a cap. 2 de reform. matr. collata sess. 7a, *Denz.* 870.

(14) Cf. *De bapt.* 18.

ni fallor, erat mens Tertulliani – non solum accidere potest, ut puero adulto patrinus iam sit mortuus, sed etiam ut crescente puero talis indoles appareat, qualem si patrinus antea praevidisset, numquam conscientia tranquilla munus sponsoris et patris spiritualis accepisset.

Quare mirum non est, episcopos antiquitus severe cum patrinis et matrinis de munere suscepto egisse. Exemplo sit sermo Augustino adscriptus, sed rectius Caesarii Arelatensis (15): « Hoc itaque admoneo, fratres dilectissimi, ut quoties Paschalis solemnitas venit, quicumque viri, quaecumque mulieres de sacro fonte filios spiritualiter exceperunt, cognoscant se pro ipsis fideiussores apud Deum exstitisse: et ideo semper illis sollicitudinem verae charitatis impendant. — Admoneant, ut castitatem custodiant, virginitatem usque ad nuptias servent, a maledicto et periurio linguam refrenent, cantica turpia vel luxuriosa ex ore non proferant; non superbiant, non invideant, iracundiam vel odium in corde non teneant; auguria non observent, phylacteria vel characteres diabolicos nec sibi nec suis aliquando suspendant, praecantatores velut ministros diaboli fugiant; fidem catholicam teneant, ad ecclesiam frequentius currant, contempta verbositate lectiones divinas attentis auribus audiant; peregrinos excipiant, et secundum quod ipsis in baptismo dictum est, hospitum pedes lavent; pacem et ipsi teneant et discordes ad concordiam revocare contendant; sacerdotibus et parentibus honorem et amorem verae charitatis impendant. — Haec ergo omnia et his similia, si filios et filias vestras admonere contenditis, cum ipsis ad aeternam beatitudinem feliciter pervenietis ». Huic sermoni alius addi potest eiusdem tenoris et eiusdem Caesarii (16) sicut et allocutio similis S. Hildefonsi (17). Etiam

(15) S. Augustin., *Serm. App.* 168,3: *ML* XXXIX, 2071, cum quo conferas *Serm. App.* 257,2 col. 2220, qui certe est S. Caesarii. Ex sermone 168,3 dependet via Concilii Herdensis *Decr. Grat.* III de consecr., dist. 4, can. 103.

(16) S. Augustin., *Serm. App.* 267,5: *ML* XXXIX, 2243.

(17) S. Hildef. Tol., *De cognitione baptismi* 114: *ML* XCVI, 159.

sermo S. Bonifacii de abrenuntiationibus in baptismo (18) prae aliis dirigitur ad patrinos, ut ex verbis patet: « Symbolum tenete et filiis vestris tradite et filiolis vestris, quorum in baptismo fideiussores exstitistis ».

Novum documentum, quanti antiquitus habitum sit munus patrini, nobis praestat responsio Nicolai I ad 106 consulta Bulgarorum (19) modo qui erant conversi ad fidem. Agens enim de apostatis a fide, non solum docet patrinum tamquam patrem spiritualem teneri, ut filium suum instruat et custodiat, sed etiam, ut si forsan fidem respuat, per omnia eum revocare conetur. Si vero apostata patrem spiritualem non audiat, res referenda est Ecclesiae, quae ipsi tamquam mater et magistra suadeat. Si nec Ecclesiam audierit, sit omnibus tamquam ethnicus et extraneus. Vides quam arcta sit ex placitis Nicolai relatio inter patrem spiritualem eum, qui est sponsor baptizandi, et matrem spiritualem eam, quae est pia mater Ecclesia. Nec mirum, nam paternitas patrini et maternitas Ecclesiae originem ducunt ex communi fonte: fonte sacro baptismi.

Nec solum sacerdotes Christiani, sed etiam Christiani imperatores ostendere, quantopere sibi persuasum esset de magno valore muneris eorum, qui filios spirituales exciperent ex baptismate. Quod docet historia Caroli Magni, qui suo modo excercebat actionem catholicam. Anno enim 800 tempore Epiphaniae examinare iussit omnes eos, qui mox infantes ex sacro fonte erant suscepturi, si saltem orationem Dominicam et symbolum fidei catholicae memoriter recitare possent. Multi autem non sine magno rubore suam denudavere ignorantiam. Qua de causa Carolus ad Garibaldum Leodiensem episcopum epistolam direxit, rogans ut praesul conventum iniret cum suis sacerdotibus, et diligenter omnem rei veritatem requireret: ne opus Domini praeteriret et episcopo cum suis sacerdotibus postea alia

(18) S. Bonifac., *Serm.* XV: *ML* LXXXIX, 870 coll. *Serm.* V, 3: *ibid.*, 853.

(19) Vide *ML* CXIX, 989.

requisitio fieret ante conspectum divinae maiestatis (20).

Ut finem huic priori parti imponam: etiam liturgia propositio nostra roboratur, ut apparet ex Missa scrutinii (21), nobis in missali Gellonensi et pontificali Pictaviensi conservati. Ibi enim in canone insertam videmus commemorationem specialem futurorum patrinorum matrinarumque: « Memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui electos tuos suscepturi sunt ad sanctam gratiam baptismi tui », qua oratione prolata sacerdos tacebat, dum a subdiacono recitabantur nomina virorum et mulierum, qui ipsos infantes erant suscepturi (22).

II

Iam ad nostra tempora accedamus.

Doctrina Ecclesiae hodiernae, prout elucet e codice iuris canonici, a doctrina Ecclesiae antiquae nulla omnino ratione differt. Docet enim codex:

1° Ex more vetustissimo Ecclesiae in baptismo sollemni, quantum fieri potest, sit patrinus: can. 762.

2° Patrinus sese habet ad infantem baptizatum, ut pater spiritualis ad filium spiritualem: can. 769.

3° Officium patrini est munus aliquod ecclesiasticum: can. 767 et 769.

4° Ex suscepto munere et cognatione spirituali sequuntur hae obligationes:

---

(20) Carol. M., *Epist.* 15: *ML* XCVIII, 917-918.

(21) Scrutinia erant caeremoniae, quae usque ad saeculum XIII fiebant prius per tres, postea per septem dies ante baptismum solemnem Pasch., Pentec., (Epiph.), qua occasione catechumeni competentes electi severe examinabantur, exorcismis subiciebantur, cinere aspergebantur, illisque sal sapientiae in ore ponebatur. Hoc institutum originaliter spectabat ad baptizandos adultos, postea autem etiam ad infantes applicabatur. Patrini et matrinae erant, quibus onus incumbebat portandi infantes per septem dies ad ecclesiam. Cf. Ioann. Diacon., *Ad Senar.* 4-7: *ML* LIX 402-403 et Amalar. Fortun., ep. Trevir., *De Caer. Bapt.* 4: *ML* XCIX, 893-898. — De evolutione huius instituti vide A. Dondeyne. *La discipline des scrutins* in *Rev. d'hist. eccl.*, XXVIII (1932) 5-33 et 752-787.

(22) Cf. C. Martene, *De antiquis Eccl. ritibus*, ed. noviss. 1673, lib. I, cap. 1, an. 12: tom. I pag. 36 et 39 necnon Iesse Amb., *De bapt.*: *ML* CV, 783.

a) patrinus spiritualem filium perpetuo commendatum habeat: can. 769 coll. 797;

b) curare debet, ut filius spiritualis christianam habeat institutionem et educationem: can. 769 coll. 797: praecipue ut catechetica institutione erudiatur: can. 1335;

c) curare debet, ut filius spiritualis in tota vita talem se praebeat fide et moribus, qualem eum futurum patrinus solemni caerimonia spopondit: can. 769 collato DENZ. 870.

Utinam doctrinae corresponderet praxis! Sed cum *Catechismo Romano* II, p. II, c. 28 etiam hodiedum lamentandum est: « Hoc munus adeo negligenter in Ecclesia tractatur, ut nudum tantum huius functionis nomen relictum sit; quid autem sancti in eo contineatur, ne suspicari quidem homines videantur ». Nam non solum accidit, ut in patrinis eligendis nulla ratio dignitatis huius muneris habeatur; sed haud raro evenit quoque, ut parentes absque patrino vel matrina ad infantis baptismum accedant, et festinanter sacristanus laicus vel vetula quaedam, quae ecclesiae munditiem curat, advocari debeat, ut filium vel filiam spiritualem sibi adoptet, cuius nomen crastina die iam ignoret; ut de patrinis confirmandorum taceam, qui nonnumquam tanta prole spirituali gaudent, ut Abrahamum patriarcham ad invidiam inducerent, si viveret.

Quodsi rationem huius pravae consuetudinis inquiris: paradoxon videatur, sed est ipsa vitae vere christianae tranquillitas. Ubi enim tranquilla floret vita christiana, obligationes patrinorum quasi ad nihilum reducuntur: diminuta autem obligatione, necessario etiam evanescit obligationis conscientia et ipsius muneris dignitas. Quod luce clarius elucet ex iis quae S. THOMAS in *Summa* sua de patrinis disserit (23). Quod si autem post tempora illa tran-

(23) *S. Th.* III, q. 67, a. 8: « Unusquisque obligatur ad exequendum officium quod accepit: dictum est autem, quod ille qui suscipit aliquem de fonte, assumit sibi officium paedagogi, et ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret, sicut eo tempore et loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter catholicos christianos, satis possunt ab hac cura excusari... Ubi

quilla redeunt persecutiones, et post vitam christianam fervidam ac puram morum tepiditas ac fidei corruptio, non nisi omnium virium intentione munus illud in statum pristinum restitui poterit. Quare iam optime observavit Suarezius, licet inter (vere!) catholicos raro urgeat obligatio patrinorum, tamen cavendum esse, ne hoc munus iam ita suscipiatur et negligenter observetur, ut sit pura caeremonia externa sine ullo fructu (24).

Roganti autem, num nostris hisce temporibus, eaedem sint conditiones sociales et religiosae atque eae quas S. Thomas prae oculis habet in libro suo aureo, sat facilis est responsio. Quot regiones, in quibus saevit persecutio sive Neronis sive Iuliani Apostatae exemplo! Quot familiae, quae in diáspora, uti vocant, versantur cum continuo fidei periculo! Quot mixta matrimonia! Quot familiae ob conditiones hodiernas sociales paupertate et laboris inopia oppressae, non absque vitae Christianae ingenti detrimento! Quot regiones, catholicae quae nuncupantur, in quibus serpit socialismus et communismus! Quot familiae nomine tantum Christianae! Quot pueri scholas adire coacti areligiosas et irreligiosas! Quot iuvenes et virgines parentum vitiis quasi hereditarie onustae! Non ignorantibus loquor.

Quae omnia si videmus, redire ad pristinam conceptionem patrum et matrum spiritualium ex sacro fonte baptismatis urgens videtur necessitas et severissimum officium, si saltem canones primarie ad vitam spectent et secundario loco ad disputationes iuridicas. In praxi autem haec mihi videntur facienda:

1° Verbo et scriptis fidelibus proponatur patrinorum et matrinarum muneris dignitas atque necessitas, ut docet Catechismus Romanus loco laudato (25).

---

immineret periculum, oporteret esse aliquem doctum in divinis, qui baptizatum de sacro fonte susciperet; sed ubi hoc periculum non imminet, admittuntur quicumque ad hoc officium ».

(24) *In S. Th.* III, q. 67, a. 8: ed. Vivès XX pag. 398.

(25) Cfr. etiam Instruct. S. C. S. Off. 15 Sept. 1869 ad Adm. Ap. Perthen.: *C. Prop. Fid.* II, 29: « Tandem Sacer Ordo una tecum est in improbanda parentum incuria, qui munus patrini non selectis ido-

2° In paroeciis, maximopere ubi est fidei et vitae Christianae periculum, fiat elenchus virorum et mulierum, fide et moribus excellentium, qui sese paratos promittant munus patrini obire, ubi adest fidei vel morum discrimen.

3° Item fiat elenchus virorum et mulierum, bonis terrenis gaudentium, qui sese promptos spondeant, ut munus patrini suscipiant in familiis conditionibus socialibus oppressis.

4° Fiat elenchus familiarum, in quibus re vera desideratur bonus patrinus vel bona matrina, ut fides et mores infantium in tuto collocentur.

5° Fiat elenchus hominum utriusque sexus, qui sese tempestive ut mediatores interponant inter praedictos patrinandos et praedictas familias, ut actu collocentur boni patrini matrinaeque, ubi est fidei vel morum periculum.

6° Fiat arca pecuniaria, ex qua iuventur patrini pauperiores in leniendis miseriis temporalibus familiarum, cum quibus tamquam compatres et commatres coniunguntur. Saepe emolumentum aliquod temporale erit unica via, ut tepidi et socialismo vel communismo infecti patrinum vere catholicum in familia admittant.

7° Res exsecutioni mandetur, iuvantibus istis organizationibus socialibus et charitativis, quae natura sua cum familiis pauperioribus relationem habeant, et prae aliis sociis Actionis Catholicae (26).

Non absque ratione loquor de Actione Catholica.

Et primum quidem: quid Actioni Catholicae magis correspondet quam patrinorum institutum? Agitur enim de re religiosa, quae secundum Ecclesiae institutum primarie ad laicos spectat (27); agitur de apostolatu auxiliari sacer-

---

neis personis, sed cuicumque, qui eis cum Baptismus conferri debet, occurrit, committunt, licet pro certo habeant ipsum suum filium spiritualem non amplius esse revisurum. Quare Tibi summopere commendat, ut etiam in hac re Ritualis Romani praescriptum fideliter servetur, quod obtinebitur, si parentes de officii gravitate moniti inducantur ad idoneos patrinos, cum commode possint, eligendos ».

(26) Quaedam ex hisce punctis iam in praxim ducuntur a cellulis A. C. Helvetiae, de quibus nota secunda.

(27) Cf. *C. I. C.* can. 766, 4° et 5° et 796. In primitiva Ecclesia

dotum, ut S. Thomas docet (28); agitur de officio et munere ab Ecclesia instituto, cuius finis unus est dilatatio Regni Christi et salus animarum; agitur consequenter de apostolatu ex mandato Ecclesiae et cum Ecclesiae benedictione speciali suscepto.

Quod autem ad puncta illa septem spectat, quae proposui, clarum est — si excipis primum punctum — ea omnia a clero sine laicorum adiutorio exsecutioni mandari non posse. In multis paroeciis sacerdotes nimis onusti sunt aliis laboribus, ut ea omnia quae facienda sunt, bene sedulo et cum fructu efficaci fiant. Si autem ex una parte hic agitur de officio vere sacerdotali, ex altera parte hoc officium ab ipsis sacerdotibus efficaciter impleri non potest, vi ipsius definitionis Actionis Catholicae, Actio Catholica accedat oportet (29).

Et haec dicta sint de patribus matribusque ex sacro baptismate. Audacter scripsi: sed tranquillo animo, quia scio me rem considerasse unice ex mente piae matris Ecclesiae. Quot iam hodiedum inveniuntur, qui sine Deo se vivere gloriantur! Sed multi a Deo non essent separati, si hominem habuissent, cum angelus moveret aquam baptismalem. Quare efflagitemus Deum: Ut in omnibus familiis boni patrini et matrinae habeantur, Te rogamus, audi nos!

Sebastianus Tromp, S. I.

---

alicubi in baptismo adultorum virorum patrinus erat diaconus, mulierum adultarum matrina diaconissa, cf. *Const. Apost.* III, 16: *MG* I, 798, cum ipsi darent instructionem catecheticam baptismalem. Ex Sancti Augustini *epistola* 98, 5-7: *ML* XXXIII, 362 patet saepe dominos fuisse patres spirituales servorum, et virgines Deo sacratas matres spirituales infantium a parentibus expositorum.

(28) *S. Theol.* III, q. 67, a. 7, c; *Catech. Rom.* II, II, 26.

(29) Cf. *Perodica* XXV (1936) pp. 23*-26*. Aliud opus, in quo fructuosissime laici cum clero collaborare possunt, est in invitandis proximis ad peragenda exercitia spiritualia, et in regionibus mixtis ad adeundas conferentias quae fiunt de Religione et Ecclesia Catholica. Apostolatus qui iam floruit tempore S. Ioannis Chrysostomi.

MONUMENTA

57 - SS. D. N. Pius Pp. XI
Nuntius radiophonicus

A BEATISSIMO PATRE AD OMNES ECCLESIAE CATHOLICAE FILIOS ET AD ORBEM UNIVERSUM DATUS, DIE XXIX SEPTEMBRIS ANNO MCMXXXVIII, IN FESTO DEDICATIONIS S. MICHAËLIS ARCHANGELI.

(*AAS* xxx [14 oct. 1938] p. 309 s.)

(*Versio nostra*) Cum decies ac decies centena milia hominum ob instans belli periculum atque inauditarum stragum ruinarumque minas adhuc in angoribus versantur, Nos corde paterno tot filiorum Nostrorum commotionem suscipientes, Episcopos, Clerum, Religiosos, fideles invitamus ad sese fidentissima atque impensissima Nobiscum oratione coniungendos, ut pax in iustitia et caritate servetur. Ad hanc inermem at invictam orationis potentiam denuo properet fidelis populus, ut Deus, in cuius manibus sunt orbis terrarum sortes, velit his praesertim horis in populorum Rectoribus fiduciam sustinere pacificis sincerarum actionum firmorumque foederum rationibus confidendi et in cunctis excitet sensus actionesque quae iteratis pacis verbis pares hanc reapse foveant et in securis iuris atque evangelicae doctrinae fundamentis constituant.

Cum supra quam dici potest grati simus propter precationes quae Nostra gratia, in universo orbe terrarum ca-

tholico, a fidelibus peractae sunt vel aguntur, hanc vitam quam illas preces intuens Dominus Nobis concessit et quasi renovavit, Nos e toto corde offerimus ad mundi salutem et pacem, sive Dominus vitae et mortis inaestimabile et iamiam diuturnum vitae donum a Nobis tollere volet, sive e contrario afflicto et defatigato Operario diem laboris longius producere. Quae Nostra oblatio ut benigne audiatur eo firmius fore confidimus quod in commemoratione liturgica mitis atque heroici martyris Wenceslai acta, festo sancti Rosarii, celeberrimae supplicationi, mensi sancto Rosario dicato obviam it, cum in universo mundo catholico augebitur, quod etiam vehementer hortamur, fervor et devotionis frequentia, qua commota tam magna tamque benefica auxilia Virgo Sanctissima vexatissimi humani generis sortibus iam contulit. Plena cum fiducia quam in nobis hae recordationes suscitant, cunctae atque inmensae catholicae genti gentique humanae universae paternam Nostram Benedictionem impertimus.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper.

(*Textus authenticus*) Mentre milioni di uomini vivono ancora in ansia per l'incombente pericolo di guerra e per la minaccia di stragi e rovine senza esempio, Noi accogliamo nel Nostro cuore paterno la trepidazione di tanti Nostri figli e invitiamo Vescovi, Clero, Religiosi, fedeli ad unirsi a Noi nella più fiduciosa insistente preghiera per la conservazione della pace nella giustizia e nella carità. A questa inerme ma invincibile potenza della orazione ricorra ancora una volta il popolo fedele, affinchè quel Dio nelle cui mani sono le sorti del mondo, sostenga specialmente in questi momenti nei Governanti la fiducia nelle vie pacifiche di leali trattative e di accordi duraturi ed ispiri a tutti, pari alle ripetute parole di pace, sentimenti ed opere atte a favorirla e a fondarla sulle sicure basi del diritto e degli insegnamenti evangelici.

Indicibilmente grati per le preghiere che per Noi sono state fatte e si fanno dai fedeli di tutto il mondo cattolico, questa vita, che in grazia di tali preghiere il Signore Ci ha concesso e quasi rinnovato, Noi di tutto cuore offriamo per la salute e per la pace del mondo, o che il Signore della vita e della morte voglia toglierci l'inestimabile già lungo dono della vita o voglia invece prolungare ancor più la giornata di lavoro all'afflitto

e stanco Operaio. La nostra offerta è tanto più fiduciosa di essere benignamente accolta perchè, fatta nella memoria liturgica del mite ed eroico martire San Venceslao, va incontro alla festa del Santo Rosario, alla celebre Supplica, al mese sacro al Santo Rosario, quando in tutto il mondo cattolico si moltiplicherà, come anche vivamente raccomandiamo, il fervore e la frequenza della devozione, che già ha ottenuto così grandi e così benefici interventi della Vergine Santa nelle sorti della tribolata umanità. E' colla piena fiducia che questi richiami Ci ispirano che diamo a tutta la grande famiglia cattolica ed alla famiglia umana tutta quanta la Nostra paterna Benedizione.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper.

58 - Sacra Congregatio Rituum
Decretum 1 aug. 1938

(*AAS* xxx [15 sept. 1938], p. 292 ss.)

VARIATIONES

FACIENDAE IN RUBRICIS BREVIARII ET MISSALIS ROMANI

Edita nuperrime a Sacra Paenitentiaria Apostolica nova Collectione precum et piorum operum, quae a Sancta Sede indulgentiis ditata sunt, ut ampliores istae largitiones suis quibusvis locis adnotarentur, abrogatis veteribus concessionibus, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa XI tributarum, sequentes variationes in rubricis Breviarii et Missalis Romani faciendas esse decrevit:

I - IN BREVIARIO ROMANO

1. In initio, post verba: *Ordinarium Divini Officii iuxta Ritum Romanum persolvendi,* ponatur haec rubrica:

Clericis in sacris constitutis, qui integrum divinum Officium, quamvis in partes distributum, coram Ssmo Sacra-

mento, sive publicae adorationi exposito sive in tabernaculo adservato, devote recitaverint, conceditur: Indulgentia plenaria, si praeterea sacramentalem confessionem instituerint, ad eucharisticum Convivium accesserint et ad mentem Summi Pontificis oraverint. Pius Pp. XI, 23 Octobris 1930.

Iis vero, qui divinum Officium coram Ssmo Sacramento, ut supra, ex parte tantum recitaverint, conceditur: Indulgentia quingentorum dierum pro unaquaque hora canonica. Pius Pp. XI, 18 Mai 1933.

Iisdem autem clericis, qui divinum Officium in alias preces commutatum rite obtinuerint, si preces eiusmodi coram Ssmo Sacramento, uti supra, devote recitaverint, conceditur: Indulgentia plenaria, additis sacramentali confessione, sacra Communione et oratione ad mentem Summi Pontificis. Pius Pp. XI, 7 Novembris 1932.

2. In eodem Ordinario, rubrica praemissa Orationi *Aperi Domine,* mutetur in aliam:

Antequam inchoëtur Officium laudabiliter dicitur, sub singulari semper numero, sequens Oratio; pro qua Summus Pontifex Pius Pp. XI sub die 17 Novembris 1933 Indulgentiam trium annorum concessit.

3. Item in eodem Ordinario rubrica Orationi *Sacrosanctae* praeposita, mutetur in aliam:

Cum expletum fuerit Officium, laudabiliter dicitur sequens Oratio; pro qua Summus Pontifex Pius Papa XI sub die 1 Decembris 1933 indulgentiam trium annorum concessit. Praeterea Clericis in sacris constitutis et Sacerdotibus eam devote post Officium recitantibus Summus Pontifex Leo X defectus et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas, indulsit. Dicitur autem flexis semper genibus in privata etiam recitatione, praeter quam ab iis, qui ob certam infirmitatem vel gravioris impedimenti causam nequeant genuflectere.

II - IN MISSALI ROMANO

Rubricae de indulgentiis appositis ad Orationes pro opportunitate dicendas ante Missae celebrationem reformentur ut sequitur:

1. Ante antiphonam *Ne reminiscaris*:

Quilibet Sacerdos, ex concessione Pii Pp. XI, sub die 3 Octobris 1936, lucrari potest: Iudulgentiam quinque annorum, si ante Missae celebrationem, recitet Psalmos 83, 84, 85, 115 et 129 cum adnexa antiphona, versiculis et Oremus ut infra; plenariam, si per integrum mensem praedictas preces quotidie recitaverit, additis confessione sacramentali et oratione ad Summi Pontificis mentem.

2. Post inscriptionem *Oratio S. Ambrosii Episcopi* et ante verba *Die Dominica* inseratur rubrica:

Indulgentia trium annorum pro qualibet ex sequentibus orationibus S. Ambrosii si in die assignata recitetur. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936.

3. Ante aliam orationem S. Ambrosii *Ad mensam* reformetur rubrica: Indulgentiam trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936.

4. Ante orationem S. Thomae *Omnipotens sempiterne Deus* sic reformetur rubrica:

Indulgentia trium annorum; plenaria, dummodo quotidiana orationis recitatio in integrum mensem producta fuerit et praeterea sacramentalis confessio, alicuius ecclesiae vel publici oratorii visitatio et ad mentem Summi Pontificis preces additae fuerint. Pius Pp. XI, 10 Decembris 1936.

5. Ante orationem ad B. Mariam V. *O Mater pietatis* ita mutetur rubrica:

Indulgentiam trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936.

6. Ante orationem ad S. Ioseph *O felicem virum* mutetur rubrica ut infra:

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936.

7. Ante orationem ad omnes Angelos et Sanctos *Angeli, Archangeli* sic mutetur rubrica:

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936.

8. Ante orationem ad Sanctum, *O Sancte N.,* in cuius honorem Missa celebratur, mutetur rubrica:

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936.

9. Ad declarationem intentionis ante Missam *Ego volo* ponatur rubrica:

Indulgentia quingentorum dierum. Pius Pp. XI, 12 Iulii 1935.

Rubricae de indulgentiis appositis ad Orationes post Missae celebrationem vel recitandas iuxta *Ritum serv. in celebr. Missae* (tit. XII, n. 6) vel pro opportunitate dicendas, reformentur ut sequitur:

1. Ante antiphonam *Trium puerorum* mutetur rubrica:

Quilibet Sacerdos, ex concessione Pii XI sub die 3 Octobris 1936, lucrari potest: Indulgentiam quinque annorum, si post Missam celebratam, recitet Canticum Trium puerorum et Psalmum 150 cum adnexa antiphona, versiculis et *Oremus* ut infra; plenariam, si per integrum mensem praedictas preces recitaverit, accedente sacramentali confessione et oratione ad mentem Summi Pontificis.

2. Ante orationem S. Thomae *Gratias tibi ago* inseratur rubrica:

Indulgentia trium annorum; plenaria, oratione quotidie in integrum mensem pie reiterata et additis sacramentali confessione, alicuius ecclesiae vel publici oratorii visitatione et precibus ad Summi Pontificis mentem. Pius Pp. XI, 22 Novembris 1934.

3. Ante orationem S. Bonaventurae *Transfige* inseratur rubrica:

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936.

4. Ante rhythmum S. Thomae *Adoro te devote* mutetur rubrica:

Indulgentia quinque annorum; plenaria suetis conditionibus, quotidiana rhythmi recitatione in integrum mensem producta. Pius Pp. XI, 12 Martii 1936.

5. Ante aspirationes *Anima Christi* reformetur rubrica:

Indulgentia septem annorum, si Sacerdos post Missam invocationes pie recitaverit; trecentorum dierum toties quoties; plenaria suetis conditionibus, dummodo quotidie per integrum mensem invocationum recitatio devote peracta fuerit. Pius Pp. IX, 9 Ianuarii 1854.

6. Ad oblationem sui *Suscipe, Domine* reformetur rubrica:

Indulgentia trium annorum; plenaria suetis conditionibus, si quotidie per integrum mensem actus oblationis devote recitatus fuerit. Pius Pp. XI, 4 Decembris 1932.

7. Ante orationem ad D. N. I. C. Crucifixum *En ego* mutetur rubrica:

Indulgentia decem annorum; plenaria recitantibus post Missam et orantibus ad mentem Summi Pontificis. Pius Pp. XI, 2 Februarii 1934.

8. Ad aliam orationem *Obsecro te* sic reformetur rubrica:

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. IX, 11 Decembris 1846. Insuper hanc orationem recitanti flexis genibus, nisi impediatur, conceditur remissio defectuum et culparum in celebratione Missae ex humana fragilitate contractarum. Pius Pp. X, 29 Augusti 1912.

9. Ad orationem ad B. Mariam V. *O Maria, Virgo et Mater,* reformetur rubrica:

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936.

10. Ante orationem ad S. Ioseph *Virginum custos* ponatur rubrica:

Indulgentia trium annorum; plenaria suetis conditionibus, oratione quotidie per integrum mensem pia mente iterata. Pius Pp. XI, 18 Maii 1936.

11. Ante orationem ad Sanctum, *Sancte N.*, in cuius honorem Missa celebrata est, reformetur rubrica:

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936.

Datum Romae, ex Secretaria S. Rituum Congregationis, die 1 Augusti 1938.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. CARINCI, *Secretarius.*

Annotationes

Finis huius decreti in ipso documenti initio exponitur. Nova autem collectio precum et piorum operum quae ibi memoratur illa est quae a S. Paenitentiaria Apostolica nuperrime edita est ac vulgata cum hac inscriptione *Preces et pia opera in favorem omnium christifidelium vel quorundam coetuum personarum indulgentiis ditata et opportune recognita*, Typis polyglottis Vaticanis, MCMXXXVIII, postquam Ss. D. N. PIUS Pp. XI, die 11 dec. anni 1937, eam approbavit ac confirmavit unamque authenticam haberi iussit. Decretum porro quo S. Paenitentiaria haec S. Pontificis mandata referebat datum est die 31 dec. seu postrema eiusdem anni 1937.

Iam vero inter preces his proximis annis novis indulgentiis locupletatas, adsunt praeter ipsius canonici officii recitationem, breves orationes *Aperi Domine* et *Sacrosanctae* quae ante vel post illud laudabiliter dicuntur, et eae fere omnes quae ante missae celebrationem vel post eam recitandae ipso missali Romano proponuntur. Necesse igitur erat ut novarum indulgentiarum mentiones etiam in breviarium et in missale inducerentur. Quod S. Rituum

Congregatio, necessariis facultatibus a S. Pontifice acceptis, decreto hoc, die 1 aug. 1938 edito, effecit.

I - DE ORATIONIBUS BREVIARII

1. Prima rubrica tres memorantur concessiones, quarum prima a S. Pontifice in audientia diei 17 oct. 1930 Cardinali Paenitentiario Maiori concessa est, ut votis sacerdotum in civitate Lauretana occasione X Eucharistici conventus nationalis congregatorum obsecundaretur clerique devotio atque amor erga augustissimum Eucharistiae sacramentum foveretur; ipsum decretum S. Paenit. datum est die 23 oct. 1930, *AAS*, XXII (1930), p. 493. Altera indulgentia, quae priorem complet, concessa est a S. Pontifice in audientia diei 6 aprilis 1933, promulgata vero decreto diei 18 maii eiusdem anni, *AAS*, XXV (1933), p. 322. Tertia pariter cum prima coniungitur; in audientia diei 21 oct. 1932 acta, decreto diei 7 nov. eiusdem anni, *AAS*, XXIV (1932) p. 411, edicta est. — *Preces*, etc., n. 678, p. 543. Adhuc in breviario nulla fiebat harum indulgentiarum mentio.

In audientia porro diei 21 novembris 1930 S. Pontifex concessit ut indulgentia plenaria divini officii recitationi, si coram ss. Sacramento fit, adnexa ad moniales aliasque pias mulieres in communitate viventes extenderetur. Decretum S. Paenit. diei 5 dec. 1930, *AAS*, XXIII (1931), p. 23-24. Concessio autem quingentorum dierum ob unius horae canonicae recitationem non clericos tantum sed etiam moniales aliasque pias feminas in communitate viventes ab initio respexit. Proinde utraque facultas quatenus ad mulieres pertinet, memoratur in *Preces* etc., n. 697, p. 558-559. Verum in breviario neutrius ulla mentio fit, tamquam hic liber solum a clericis adhibendus sit. Tertia concessio cum aliis praeter clericos communicata non est. Denique dubium num indulgentias recitatione officii consequendas etiam novitiae et studentes communitatum mulie-

brium acquirere possint negative S. Paenit. solvit. Responsum 14 dec. 1937, *Periodica*, XXVII (1938), p. 261-262.

2. Huius concessionis decretum in *AAS* non est editum. *Preces*, etc., n. 677, p. 542. Antea, e concessione Pii X, 15 nov. 1911, *Psalter. breviarii Romani edit. typ.*, 1911, p. 1, indulgentia 100 dierum erat.

3. Neque huius indulgentiae decretum in *AAS* prostat. *Preces*, etc., n. 699, p. 543-544. Nulla erat antea indulgentia orationi adnexa. Absolutionem iam a Leone X (1513-1521) concessam Pius X, 15 nov. 1911, confirmavit. — *Preces*, etc., l. c., nota 1.

II - DE ORATIONIBUS ANTE ET POST MISSAM

A. *De orationibus ante missam.*

1. Harum precationum recitatio iam a Leone XIII indulgentiis ditata erat. Rescriptum S. Congr. Indulgent. 20 dec. 1884, *Acta Sanctae Sedis* XVII (1884), p. 403-406; 416. Olim vero praeter psalmos, antiphonam, versiculos et orationes illa prioris orationis S. Ambrosii pars erat dicenda quae singulis hebdomadis diebus assignata est. Ipsa indulgentia autem unius tantum anni erat.

Rescriptum illud diei 20 dec. 1884 in historia indulgentiarum quibus preces praeparationis ad missam et actionis gratiarum instructae sunt longe praecipuum apparet. Nulla namque ante illum annum indulgentia cum omnibus illis orationibus coniuncta erat sed cum earum quibusdam tantum et iis secundariis vel recentioribus vel praeparationis ad missam actionisque gratiarum minime propriis, puta orationem *O Mater pietatis*, vel *O felicem virum*, vel *Anima Christi*, vel *En ego o bone et dulcissime Iesu*. At, res utique mira, illis orationibus quae praeparationem vel gratiarum actionem magis proprie constituunt et ergo iam in missali Pii V omnes et solae adsunt: psalmis cum suis antiphonis, versiculis et orationibus, binis orationibus sancti Ambrosii ac sancti Thomae et uni sancti Bonaventurae, rhythmo *Adoro te devote*, nulla prorsus indulgentia concessa erat. Cum igitur eo anno quem diximus D. Adelelmus Foppiano

O. S. B., cupiens ut omnes sacerdotes in dicendis precibus ante et post missae celebrationem indulgentias aliquas consequerentur, a S. Pontifice Leone XIII petiisset ut non solum unaquaeque illius praeparationis vel actionis gratiarum pars, quae iis careret, suis indulgentiis donaretur, sed etiam indulgentia plenaria, semel in mense dieque ad arbitrium suum electo consequenda, cuilibet sacerdoti concederetur, qui cotidie unius mensis spatio omnes et singulas illas preces atque orationes recitasset, Ss. Pater expetitas indulgentias cunctas libenti animo largitus est, ut sacerdotes tanto spirituali beneficio adlecti facilius ad precationum illarum usum adducerentur.

Verum iam die 3 oct. 1936 non solum aucta est valde indulgentia partialis anno 1884 concessa, sed cum huius tum plenariae indulgentiae consequendae conditio facilior reddita est, quoniam iam non recitanda fuit oratio sancti Ambrosii. Quae separatio bene convenit cum ordine in missali Pii V servato.

In hac enim editione ipsa praeparatio ad missam quinque psalmos tantum complectitur cum eorum antiphona, versibus et septem orationibus; duae vero orationes S. Ambrosii et oratio S. Thomae (*Omnipotens sempiterne Deus*) omnino ab ista praeparatione dividuntur, interiectis videlicet omnibus orationibus a sacerdote vel ab episcopo in assumendis vestibus sacris dicendis, et actione gratiarum post missam, quae, sicut praeparatio, in cantico dumtaxat et psalmo cum horum antiphona, versiculis et tribus orationibus consistit. Inscriptae porro sunt orationes illae S. Ambrosii et S. Thomae: *Aliae orationes pro opportunitate Sacerdotis ante celebrationem et Communionem dicendae,* easque subsequuntur in una quasi serie orationes S. Thomae, *Gratias tibi ago,* ac S. Bonaventurae, *Transfige dulcissime,* et rhythmus *Adoro te,* cum hac communi inscriptione: *Aliae orationes post celebrationem et Communionem dicendae.*

Mirum autem est decretum S. Paenit. diei 3 oct. 1936, quod novae indulgentiarum nostrarum ordinationis verum fundamentum est, nusquam esse editum. *Preces,* etc., n. 688, *a,* p. 551-552.

2. Haec oratio quae in septem quidem partes divisa nihilominus una est - ob eam causam quam diximus usque ad diem 3 oct. 1936 nullam propriam indulgentiam sibi adnexam habebat. — *Preces.* etc., n. 688, *b,* p. 552.

Quod igitur in appendice quorundam breviariorum, usque ad recentissimos annos, in initio orationis *Summe sacerdos* adiungitur rubrica: « Indulgentia 100 dierum, Leo Pp. XIII 20 dec. 1884 », merus est error.

3. Ante indicatum annum haec oratio e concessione diei 20 dec. 1884 indulgentiam 100 dierum conferebat. — *Acta Sanctae Sedis*, XVII (1884), p. 406; *Preces*, etc., n. 688, *b*, p. 552.

4. De hac oratione idem est dicendum quod de proxime superiore scripsimus. Novae autem indulgentiae concessio decreto S. Paen. die 10 dec. 1936 dato promulgata est; ipsum tamen decretum non est editum. Quoniam non necessario cum praeparatione ad missam coniungitur, haec oratio eiusque nova indulgentia in *Preces*, etc., n. 130, p. 70 refertur; cfr. p. 552, nota.

5. Haec oratio die 17 febr. 1883, Rescriptum S. Congr. Indulg., *Acta Sanctae Sedis*, XV (1882-3), p. 372, indulgentia 100 dierum ditata erat. In rescripto autem illo minime cum celebratione missae coniungitur. Num haec coniunctio conditio sit novae indulgentiae trium annorum nobis non liquet. — *Preces*, etc., n. 688, *b*, p. 552.

6. Concessio prioris cuiusdam indulgentiae 100 dierum cum hac oratione coniunctae decreto S. Congr. Indulg., die 4 febr. 1877 dato, promulgata est. Porro oratio ante missam dicenda erat. *Raccolta di orazioni e pie opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze pubblicata per ordine della Santità di N. S. Pio Papa IX*, Roma, Tipografia Poliglotta della S. C. di Propaganda Fide 1877, p. 335-336. — *Preces*, etc., n. 688, *b*, p. 552.

Qui libellus reapse aliud non est quam nova editio, cura ipsius Congregationis Indulgentiarum parata, multo antiquioris opusculi, quod primum anno 1807 prodierat. Porro in huius antiquioribus editionibus, saltem usque ad annum 1818, refertur de oratione *O felicem virum* et de oratione *Virginum custos* Pium Papam VII rescripto 23 septembris 1802 concessisse omnibus sacerdotibus saecularibus et regularibus totius orbis

catholici indulgentiam unius anni, toties quoties acquirendam et etiam fidelibus defunctis applicabilem, si devote duas illas orationes in honorem sancti Iosephi recitaverint, orationem *Virginum custos* quolibet tempore, orationem *O felicem virum* ante missae celebrationem (1). In recentioribus vero editionibus opusculi, saltem ab anno 1831, sublata omni mentione et ipso textu alterius orationis, priori dumtaxat indulgentia a Pio VII data adnectitur (2). Anno tamen 1877 Pius IX, deminuta dumtaxat indulgentia ab uno anno ad 100 dies, utramque orationem in pristinam suam conditionem restituit. *Raccolta di orazioni e pie opere,* 1877, p. 277-278 et 335-336.

7-8. Ambae hae orationes ex iis sunt quibus in rescripto diei 20 dec. 1884 indulgentiam 100 dierum concessam esse declaratur. *Acta Sanctae Sedis,* XVII (1884), p. 407-408. — *Preces,* etc., n. 688, *b,* p. 552.

9. Decretum S. Paen. die 12 iul. 1935 datum vulgatum non est. Antea vero e concessione Gregorii XIII (1572-1585) cum ista declaratione coniuncta erat indulgentia 50 dierum (3). — *Preces,* etc., p. 689, p. 553.

B. *De orationibus post missam.*

« Rubricae de indulgentiis appositis », etc. Haec verba non plene congruunt cum iis quibus *Preces,* etc., n. 690, p. 553 easdem orationes appellant. In hoc namque libello

(1) *Raccolta di orazioni, e pie opere per le quali sono state concedute dai Sommi Pontefici le S. Indulgenze.* Quinta edizione accresciuta dall'Autore, Roma 1818. Dai torchi di Luigi Perego Salvioni. Con licenza de' Superiori, pp. 184-186. Porro pagina 22 opusculi haec leguntur: « Die 21. Novembris 1817. Sacra Congreg. Indulg. Indulgentias in praesenti Opusculo enunciatas, uti authenticas, imprimi posse censuit. Datum Romae ex eadem Secretaria, Angelus Costaguti Secret. » et iterum, p. 492, id est in fine: « Die 30. Septembris 1818 Sacra Congreg. Indulg. Indulgentias in hoc Opusculo accurate collectas et de licentia dictae Congregationis uti authenticas typis impressas, publicari posse censuit. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis Indulg. Pro R. P. D. Angelo Costaguti Secr., Petrus Can. Torraca Substit. ».

(2) *Raccolta di orazioni e pie opere...* Settima edizione Romana... Roma, 1831. Dalla Tipografia Perego-Salvioni. Con permesso. Decretum autem quo S. Congregatio Indulgentiarum hanc septimam editionem approbat atque authenticam declarat legitur pp. 462-465. Est enim prolixius.

(3) *Raccolta di orazioni e pie opere...,* Roma, Tipografia Poliglotta della S. C. de Propaganda Fide, 1898, n. 352, p. 611.

nominantur istae orationes « Preces in Missali Romano pietati sacerdotum propositae ut dicendae, pro eorum opportunitate, post Missae celebrationem », n. 690, p. 553. Cum igitur S. Congr. Rit. post celebrationem missae alias preces semper, alias pro sacerdotis opportunitate recitandas esse memoret, S. Paenit. affirmat illas sine discrimine omnes ipsius missalis Romani verbis pro opportunitate tantum celebrantis dicendas proponi. Liquet autem cum rubricis et titulis editionis typicae missalis Romani (25 iul. 1920) — a qua si quae aliae editiones discrepent, nulla est hodie earum auctoritas — non perfecte concinere nisi distinctionem qua utitur S. Congreg. Rit. In illa enim editione, p. LVII, pro opportunitate sacerdotis recitandae dicuntur solum oratio S. Thomae, *Gratias tibi ago,* et ceterae quae hanc subsequuntur. Priores autem actionis gratiarum preces, id est canticum *Benedicite,* psalmus 150, cum eorum antiphona, versiculis et tribus orationibus, isti opportunitatis conditioni subiectae minime exhibentur; quin immo *Ritus servandus in celebratione missae,* tit. XII, 6, sine exceptione praescribit ut post missam dicat sacerdos « antiphonam *Trium puerorum* cum cantico et aliis orationibus, ut suo loco ponuntur », ita ut, si fieri possit, antiphonam et canticum iam in reditu ab altari recitet.

Quae verba quoniam iam in missali Pii V leguntur, ad priorem partem actionis gratiarum referenda esse videntur, illis orationibus exclusis quae hodie pro opportunitate celebrantis adiungendae sunt. Voluit igitur S. Congregatio Rit. ut decreto suo missalis Romani praescripta intacta servarentur. At vix minus certum nobis videtur ne S. Paenitentiariam quidem illarum praescriptionum vim ullatenus immutare voluisse, sed cum hoc unum intenderet, declarare quaenam indulgentiae essent singulis actionis gratiarum partibus vel orationibus adnexae, communem moralistarum opinionem esse secutam qui tenent rubricas quae ad res ante vel post missam agendas attinent, probabiliter mere directivas, non praeceptivas esse, seu sub peccato non

obligare. Quae sententia non adversatur distinctioni orationum quae post missam ad rubricarum « directionem » semper seu sine exceptione, et earum quae ad eandem normam pro opportunitate tantum celebrantis recitandae proponuntur. Ceterum duas recitationis rationes non ita inter se discrepare facile intelleget, qui animadverterit orationes alterius partis non pro sacerdotis libitu vel arbitrio sed opportunitate esse dicendas.

Quomodocumque voluerit quis diversas rationes dicendi duarum S. Congregationum explicare, dubium esse non potest quin integra maneat vis praescriptionum missalis Romani de actione gratiarum post missam et... quaestio de eius obligatione. De huius quaestionis probabili solutione adeundi sunt « probati auctores ».

1. Post ea quae diximus aliquantum mirum videbitur recitationem prioris partis actionis gratiarum ita proponi quasi sacerdoti prorsus integrum esset eam agere vel omittere. Res tamen explicatur: hic namque conditiones tantum indulgentiarum definiuntur et quoniam acquisitio alicuius indulgentiae libera est, etiam illius acquisitionis conditiones, prout conditiones sunt, tamquam actiones liberae exhibendae sunt, quamvis sint aliis de causis praescriptae.

De utraque hac indulgentia ea essent repetenda quae supra de similibus indulgentiis priori praeparationis parti concessis scripsimus. Olim porro orationibus nunc praescriptis subiungenda erat oratio S. Thomae et oratio S. Bonaventurae. *Acta Sanctae Sedis* XVII (1884), p. 408-409. - *Preces*, etc., n. 690 *a*, p. 553-554.

2-3. Distinctae harum orationum recitationi nulla concessa erat indulgentia in rescripto 20 dec. 1884. Indulgentia trium annorum priori orationi adnexa est anno 1934, alteri anno 1936; hoc declarant decreta S. Paenit. 22 nov. 1934 et 3 oct. 1936, quorum neutrum editum est. Oratio S. Thomae etiam post communionem tantum et ergo non a sacerdotibus dumtaxat sed a ceteris clericis et a laicis

quoque adhiberi potest. — *Preces*, etc., n. 132, p. 72-73; n. 690, *b*, p. 554.

4. Rhythmus hic in rescripto anni 1884 indulgentia 100 dierum donatus erat. *Acta Sanctae Sedis*, XVII (1884), p. 409-410. Quae concessio anno 1895 cum omnibus fidelibus communicata est. Decretum S. Congr. Indulg., 15 iun. 1895, *Acta Sanctae Sedis*, XXVIII (1895-6), p. 188. Decretum vero diei 12 mart. 1936 non est editum. Non est huius rhythmi recitatio cum communione vel missa necessario coniungenda. — *Preces*, etc., n. 137, p. 78-79; cfr. n. 690, *b*, nota, p. 554.

5. Haec brevis oratio amplioribus indulgentiis sane augenda non erat. Si orationem *En ego bone et dulcissime Iesu* excipias, alia nulla tam locuples erat et etiam in praesentia est. — *Preces*, etc., n. 105, p. 60-1; cfr. n. 690, *b*, nota, p. 554.

6. Ante annum 1932 haec oratio indulgentiam habebat 300 dierum e concessione Leonis xiii. Decretum S. Congreg. Indulg. 26 maii 1883, *Acta Sanctae Sedis*, XV (1882-3), p. 560. Eius recitatio non erat cum missae celebratione vel communione peculiari modo connexa neque hodie est. *Preces*, etc., ibid. num. 39, p. 15; cfr. n. 690, *b*, nota, p. 554-555.

7. De indulgentiis huic celeberrimae orationi adiunctis haec legebantur in prioribus opuscoli *Raccolta di orazioni e pie opere* editionibus: « Quicumque acta confessione et communione hanc orationem ad SS. Crucifixum coram quavis huius imagine recitabit precans pro necessitatibus SS. Ecclesiae etc., poterit indulgentiam plenariam consequi unamque animam e purgatorio eripere. Clemens VIII talem indulgentiam concessit, qualis a Benedicto Papa XIV confirmata est et summus Pontifex Pius VII anno 1807 vivae vocis oraculo iterum eam confirmavit volens ut inter conditiones istius indulgentiae acquirendae haec adiungeretur quae antea non exprimebatur, sacramentalis videlicet confessio et communio, sicut supra notatum est, et proinde

licentiam dedit typographo Reverendae Camerae Apostolicae Aloysio Lazzarini illam typis suis promulgandi, quod fecit illo anno 1807 » (4). In editione vero eiusdem collectionis seu *Raccolta* anno 1898 vulgata, p. 155, eadem nota ad haec pauca verba coartata apparet: « Summus Pontifex Pius IX decreto S. Congregationis Indulgentiarum, 31 iulii 1858, confirmavit indulgentiam plenariam concessam a Clemente VIII ac Benedictio XIV et confirmatam a Pio VII ac Leone XII fidelibus qui recitabunt istam orationem coram imagine SS. Crucifixi. Conditiones: confessio, communio et oratio ad intentionem Summi Pontificis » (5). Non erat igitur oratio *En ego* cum communione vel missa coniuncta sed communio inter ordinarias conditiones indulgentiae plenariae consequendae memoratur. Denique *Preces*, etc., in ea parte quae est de precibus ad Iesum Crucifixum et de indulgentiis in favorem omnium christifidelium concessis, n. 171, p. 110, haec statuunt: « Fidelibus supra relatam orationem coram Iesu Christi Crucifixi imagine pie recitantibus conceditur: *Indulgentia decem annorum; Indulgentia plenaria*, si praeterea sacramentalem confessionem instituerint, caelestem panem sumpserint et ad mentem Summi Pontificis oraverint ». Verum praeter expectationem orationem *En ego* inter orationes post missam recitandas non ponunt. Credendum ergo est decreto diei 2 febr. 1934, quod editum non est, nullam induci specialem coniunctionem orationis cum missae celebratione et ergo mentionem huius esse inter conditiones indulgentiae plenariae acquirendae auctoritate praesentis S. Rit. Congregationis decreti adiunctam. Haec tamen adiunctio non est ita intellegenda quasi minueret generaliorem concessionem quam referunt *Preces*, etc.

8. Decretum diei 29 aug. 1912 est Sancti Officii. *AAS*, IV (1912), p. 642; V (1913), p. 123. Ipsam orationem *Preces*,

(4) Editio anni 1818, p. 181. In ea textus declarationis italicus est; quem nos latine reddidimus.

(5) Hic etiam textum italicum in latinum vertimus.

etc., separate a ceteris precibus post missam dicendis continent, n. 691, p. 555, cum hac tamen inscriptione: *Oratio post missae celebrationem.* Missale vero illam ipsi orationi *En ego* sibiungit cum titulo hoc: *Alia oratio.*

9. Haec oratio ex iis est quae anno 1884 indulgentia 100 dierum erat ditata. *Acta Sanctae Sedis,* XVII (1884), p. 416. — *Preces,* etc., n. 690, *b,* p. 554.

10. De hac oratione vide quae supra scripsimus ubi agebamus de oratione *O felicem virum.* Nulla est extra missale eius coniunctio cum missae celebratione. Decretum anni 1936 editum non est. — *Preces,* etc., n. 435, p. 329; cfr. n. 691, *b,* nota, p. 555.

11. Ante annum 1936 huic orationi adnexa erat indulgentia 100 dierum e concessione Benedicti XV. Decretum S. Paenit., 16 nov. 1917, *AAS,* X (1917), p. 30. — *Preces,* etc., n. 690, *b,* p. 554.

Praeter orationes post missae celebrationem adhibendas quas hic percensuimus, *Preces,* etc., alias quasdam proponunt, videlicet: *Orationes S. Alfonsi M. de Lig. per singulos hebdomadae dies dispertitas* « Amantissime Iesu », etc. et *Aliam orationem post missam dicendam,* « O serenissima Virgo et Mater Domini », quibus singulis adnexa est indulgentia 3 annorum. N. 690, *b,* p. 554 : n. 692, p. 555-6. Decretum vero S. Congr. Rit. eas omittit, utique quia in missali Romano desunt neque ad liturgiam sed ad privatam sacerdotum devotionem pertinent.

Ad instar conclusionis comparemus inter se indulgentias quae anno 1920, id est cum prodiit ultima editio typica missalis Romani, omnibus et singulis orationibus in decreto S. Congr. Rit. percensitis adnexae erant et indulgentias quibus hodie eaedem istae orationes ditantur.

	Anno 1920	*Hodie*
I. 1. Totum off. — Una hora	Nulla	Pl.-500 dier.
2. *Aperi Domine*	100 dies	3 anni
3. *Sacrosanctae*	Nulla	3 anni

	Anno 1920	*Hodie*
II. Omnes et sing. orationes	Plenaria	
A. 1. Praep. prior pars	1 annus	5 anni-Plen.
2. Orationis S. Ambrosii sing. partes	Nulla	3 anni
3. *Ad mensam*	100 dies	3 anni
4. *Omnipotens semp. Deus*	100 dies	3 anni-Plen.
5. *O Mater pietatis*	100 dies	3 anni
6. *O felicem virum*	100 dies	3 anni
7. *Angeli, Archangeli*	100 dies	3 anni
8. *O Sancte*	100 dies	3 anni
9. *Ego volo*	50 dies	500 dies
B. 1. Act. grat. prior pars	1 annus	5 anni-Plen.
2. *Gratias tibi ago*	Nulla	3 anni-Plen.
3. *Transfige*	Nulla	3 anni
4. *Adoro te*	100 dies	5 anni-Plen.
5. *Anima Christi*	7 anni-Plen.	7 anni-Plen.
6. *Suscipe, Domine*	300 dies	3 anni-Plen.
7. *En ego*	Plen.	10 anni-Plen.
8. *Obsecro te*	3 anni	3 anni
9. *O Maria Virgo*	100 dies	3 anni
10. *Virginum custos*	100 dies-Plen.	3 anni-Plen.
11. *Sancte N.*	100 dies	3 anni
Summae:	Ind. plen. 3 Anni 12 Dies 1450	Ind. plen. 10 Anni 80 Dies 1000

Ioannes Michael Hanssens S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

59 - SS. D. N. Pius Pp. XI

A — Litteris Apostolicis *Inter Ordinis*, 1 ian. 1938, ordinis Sancti Benedicti abbatia « Sui Iuris » Sancti Martini de *Cucujaes* ad prioratum reducitur eiusque titulus abbatialis in monasterium S. Petri de *Singeverga* transfertur. (*AAS* xxx [15 sept. 1938] p. 284 s.).

B — Bulla *Quo evangelica*, 8 ian. 1938, a praefectura apostolica de *Broken Hill* territorii pars dismembratur, et nova exinde praefectura apostolica erigitur « de *Ndola* » nuncupanda atque ordini fratrum minorum conventualium concredenda (*AAS* xxx [15 sept. 1938] p. 278 s.).

C — Bulla *In remotas orbis*, 8 ian. 1938, a vicariatu apostolico de *Saigon* in Indosinis territorii pars seiungitur et ex ea novus erigitur vicariatus apostolicus, « de *Vinh-Long* » nuncupandus, qui clero indigenae committitur (*AAS* xxx [15 sept. 1938] p. 279 s.).

D — Bulla *Si pusillus*, 8 ian. 1938, missio « Sui Iuris » de *Kienning* ad praefecturae apostolicae gradum et dignitatem evehitur, sub nomine « de *Kienow* » (*AAS* xxx [15 sept. 1938] p. 281 s.).

E — Bulla *Si christifidelium*, 9 febr. 1938, missio sui iuris « Be beni » in Congo Belgico in vicariatum apostolicum extollitur et praefatae Piae Societati Presbyterorum ab Assumptione concreditur (*AAS* xxx [15 sept. 1938] p. 282 s.).

F — Bulla *Quo Christi verbi*, 9 febr. 1938, a praefectura apostolica de *Wuchow Septentrionalis* pars seiungitur, quae in novam erigitur Praefecturam sub nomine « de *Kweilin* », et apostolicis Societatis de *Maryknoll* pro Missionibus exteris curis committitur (*AAS* xxx [14 oct. 1938] p. 310 s.).

G — Bulla *Merito,* 9 febr. 1938, constituitur eodem servato nomine, atque Fratrum Minorum Ordini concreditur (*AAS* xxx [14 oct. 1938] p. 312 s.).

H — Bulla *Ad Christi nomen,* 9 febr. 1938, a praefectura apostolica de *Yungchowfu* territorii pars seiungitur, ex qua nova erigitur praefectura apostolica « de *Paoking* » nuncupanda et fratrum minorum ordini concredenda (*AAS* xxx [19 nov. 1938] p. 325 s.).

I — Bulla *Ad animarum bonum,* 26 febr. 1938, ab archidioecesi Detroitensi et a dioecesi Grandormensi territorii pars dismembratur, ex qua nova erigitur dioecesis, « Saginavensis » nuncupanda, archidioecesi Detroitensi suffraganea (*AAS* xxx [19 nov. 1938] p. 327 ss.).

K — Bulla *Intra Nigeriae fines,* 13 martii 1938, de *Calabar* praefectura apostolica dismembratur et nova erigitur praefectura apostolica « de *Ogoja* », Sancti Patritii Societatis Missionariis concredenda (*AAS* xxx [19 nov. 1938] p. 329 s.).

L — Bulla *Quo commodius,* 29 martii 1938, vicariatus apostolicus « Papuasiae » dismembratur et avulsum territorium dioecesi Victoriensi et Palmerstonensi adnectitur, cuius nomen in dioecesi « Darwinensis » mutatur (*AAS* xxx [19 nov. 1938] p. 331 s.).

M — Bulla *Si qua, Evangelii,* 29 martii 1938, missio « Sui Iuris » de *Tukuyu* in praefecturam apostolicam, eodem servato nomine, evehitur et Societatis Missionariarum Africae Sodalibus committitur (*AAS* xxx [19 nov. 1938] p. 332 s.).

N — Bulla *Ad dominicum,* 7 maii 1938, ab archidioecesi Fortalexiensi territorii pars seiungitur, ex qua dioecesis Limoeirensis erigitur.

Mandatur insuper ut quam primum fieri poterit saltem parvum Seminarium in ipsa dioecesi erigatur iuxta Codicis iuris canonici praescripta et normas a Sacra Congregatione de Seminariis et Universitatibus Studiorum traditas; duo vero delecti iuvenes, aut modo saltem unus, ex hac quoque dioecesi et eius sumptibus, non intermissa vice ad Collegium Brasilianum de Urbe nuper erectum mittantur, ut sub Romani Pontificis fere oculis in spem Ecclesiae instituantur (*AAS* xxx [19 nov. 1938] p. 334 ss.).

O — Epistula *Per dilectum Filium,* 15 maii 1938, S. Pontifex E.mo P. D. Iustiniano Georgio Tit. Sanctorum Andreae et Gregorii ad clivum Scauri, S. R. E. Presb. Cardinali Serédi, ar-

chiepiscopo Stringoniensi, eiusque adiutoribus ob parata sollemnia conventus eucharistici, XXXIV ex omnibus nationibus, Budapestini celebrandi congratulatur (*AAS* xxx [14 oct. 1938] p. 315 s.).

P — Bulla *In infidelium regiones,* 21 maii 1938, missio sui iuris de *Shaowu* in Sinis ad praefecturae apostolicae gradum et dignitatem, eodem servato nomine, evehitur Societati Divini Salvatoris etiam in posterum concredenda (*AAS* xxx [19 nov. 1938] p. 336 s.).

Q — Litteris Apostolicis *Capituli ecclesiae,* 25 iun. 1938, iuribus ac privilegiis basilicae minoris decoratur templum votivum S. Ioannes de Arc, in loco « *Bois Chenu* » intra fines dioecesis Sancti Deodati Deo dicatum (*AAS* xxx [14 oct. 1938] p. 313 s.).

R — Epistula *Praeclarissimum cathedrale,* 29 iunii 1938, E.mus P. D. Emmanuel Caelestinus Tit. Sancti Honuphrii in Ianiculo S. R. E. Presbyter Cardinalis Sihard, Archiepiscopus Rhemensis legatus renuntiatur ad sollemnia in cathedrali templo Rhemensi recens instaurato celebranda (*AAS* xxx [14 oct. 1938] p. 316 s.).

S — Litteris Apostolicis *Collensi in dioecesi,* 18 aug. 1938, templum Deo in honorem Sancti Francisci Assiensis, apud podium Bonitii in Collensi dioecesi, dicatum basilicis minoribus accensetur (*AAS* xxx [19 nov. 1938] p. 338 s.).

T — Litteris Apostolicis *Honoris sacrarum rerum,* 27 aug. 1938, basilicae minoris titulo decoratur templum in urbe mediolanensi in honorem Sancti Caroli Borromaei Deo dicatum (*AAS* xxx [19 nov. 1938] p. 339 s.).

U — Epistula *Sollemnia iubilaria,* 21 sept. 1938, ad E.mos PP. DD. Gulielmum Tit. S. Clementis S. R. E. Presb. Cardinalem O'Connel, archiepiscopum Bostoniensem, Dionysium Tit. SS. Nerei et Achillei S. R. E. Presb. Cardinalem Dougherty, archiepiscopum Philadelphiensem, Georgium Gulielmum Tit. S. Mariae de Populo S. R. E. Presb. Cardinalem Mundelein, archiepiscopum Chicagiensem ceterosque archiepiscopos et episcopos foederatorum Americae Septentrionalis statuum; ob sollemnia, post dena lustra a Washingtoniensi universitate condita, celebranda data, hortatur S. Pontifex ne eiusmodi iubilaei celebratio praeteritorum modo laborum fructus respiciat, sed ad futuras quoque necessitates providenter spectet, adeoque subiungit. « Pro certo enim habemus — hoc potissimum ad scribendum suasit Nobis — Catholicae isti Universitati ampliora

esse in futurum, quam in praeterito, munia reservata, propterea que officia graviora eidem fore obeunda. Enimvero universus fere orbis terrarum inpraesentiarum vehementer commovetur atque angitur perturbationibus, controversiis, erroribus, novisque inventis, quae singularia historiae momenta signare plane videtur. Doctrina ipsa moresque christiani in discrimen multifariam vocantur; opiniones ancipites et lubricae, de quibus paucos ante annos in secretis dumtaxat cupidorum novarum rerum conventiculis submissus rumor versabatur, nunc praedicantur super tecta inque exsecutionem palam adducuntur; depravatio privatorum morum et rei publicae patens licentia infesta signa adversus Christi crucem pluribus locis sustelerunt. Magno tamen solacio Nos perfundimur, sicut et vos, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, quod scimus Ecclesiam vestram in promptu esse ac paratam ad huius temporis discrimina fortiter adeunda, in primisque Universitatem Washingtoniensem validissimum exstare instrumentum ad catholicam fidem tuendam atque vulgandam, ad perniciosos errores detegendos atque refellendos. In eadem porro Universitate gravissimae nostrae aetatis quaestiones tuto ac docte agitabuntur, et idoneae solutiones, principiis iustitiae et caritatis innixae, haud difficulter invenientur. Has profecto quaestiones in Litteris Nostris Encyclicis pluries pertractavimus. Hic tantummodo meminisse iuvat, ubinam tota christiane docendi ratio consistat atque fulciatur. Scientiae enim profanae, quas vocant, rei socialis atque oeconomicae doctrina, bonum sive singulorum sive societatis nequeunt subduci principiis philosophicis ac religiosis, quae attinent ad hominis originem, naturam et finem. Nullo autem modo intelligi potest, notitia Dei posthabita, ipsa hominis natura, ad imaginem et similitudinem Dei creata, ab Unigenito Dei Filio redempta. Quare solummodo christiana doctrina, maiestate sua atque integritate, iuribus et libertatibus humanis indubie penitusque respondere potest, quia illa tantum personae humanae affert valorem ac dignitatem. Viri igitur catholici, naturam ac dona hominis propria perspicue agnoscentes, iurium ac libertatum, quae ad homines legitime spectant, necessario exstant praecones ac defensores; iidemque Dei nomine clamant adversus philosophiam fallacem, quae hominem a suo dignitatis gradu ad foedam servorum condicionem deicere studet, inque sordidum iniqui dominatus arbitrium proicere, aut a sociis humanae familiae crudeliter avellere; nomine ipsius Dei catholici viri refutant quamcumque de re sociali philosophiam, quae hominem tamquam merum instrumentum ducit inter commerciorum certamina in feraque classium socialium dimicatione. Universitas itaque Catholica, propterea quod Catholica est, munus sibi traditum habet hereditatem hominis naturalem ac supernaturalem religiosissime tuendi. In hoc praeclaro munere obeundo necesse omnino est ad scientias de re civili, sociali atque oeconomica

peculiares curas conferre. Litterae autem Encyclicae, ut superius memoravimus, ad recentiores de iis rebus quaestiones praecipue spectant, immutabilia philosophiae religionisque principia ad easdem transferentes. Inspectis ergo perpensisque hisce doctrinarum documentis, Universitas Washingtoniensis perutile poterit actioni sociali studium suum tribuere, congrua consilia pro locorum necessitatibus decernendo. Nos enim nihil cordi magis habemus, quam ut Facultates earum scientiarum, quas supra attigimus, ... quam maxime evolvantur atque amplificentur, ita ut quam plurimi homines, lumina ac moderamina in re sociali quaerentes, ad eas facile utiliterque accedant » (*AAS* xxx [19 nov. 1938] p. 340 ss.).

X — Nuntio radiophonico *Dum Christus Dominus,* die 18 octobris anno 1938, ad urbem novas aurelias in initio congressus eucharistici VIII christifidelium e statibus Americae Septentrionalis dato, declarat S. Pontifex Sanctae Sedi universaeque Ecclesiae meliora sperari posse tempora, cum fere ubique gentium pietatem in Augustum Altaris Sacramentum reflorescere atque incensiore cotidie studio augeri conspiciatur (*AAS* xxx [19 nov. 1938] p. 343 s.).

60 - S. C. Consistorialis

1 - Decreto 9 apr. 1938, quaedam praedia a paroecia *Winhöring* atque a dioecesi Passaviensi seiunguntur et paroeciae *Erharting* in archidioecesi Monacensi et Frisingensi perpetuo attribuuntur (*AAS* xxx [15 sept. 1938] p. 286).

2 - Decreto 9 apr. 1938, quaedam loca a dioecesi Passaviensi separantur atque archidioecesi Monacensi et Frisingensi iuxta petita perpetuo adiunguntur (*AAS* xxx [15 sept. 1938] p. 287).

3 - Decreto 4 iun. 1938, insulae *Tremiti* e dioecesi Larinensi separantur et archidioecesi Sypontinae tam in spiritualibus quam in temporalibus perpetuo aggregantur (*AAS* xxx [15 sept. 1938] p. 288).

4 - Decreto 30 iul. 1938, archidioecesi Beneventanae perpetuo adiungitur etiam paroecia Beatae Mariae Virginis Perdolentis in oppido *Pratula* extans quae proinde a dioecesi Abellinensi separatur atque paroecia Criptaecastanearum S. Aegidii Abbatis, dismembrata ex archidioecesi Beneventana, perpetuo unitur cum dioecesi Abellinensi (*AAS* xxx [19 nov. 1938] p. 345).

61 - S. C. de Prop. Fide

1 - Decreto 14 iun. 1938, Vicariatum Togonensem deinceps « Lomensem » appellandum esse statuitur (*AAS* xxx [19 nov. 1938] p. 346 s.).

2 - Decreto 14 iun. 1938, statuitur praefecturam apostolicam insularum Mayottae, Nossibeae et Comorae deinceps « de *Ambanja* » nuncupandam esse (*AAS* xxx [19 nov. 1938] p. 347 s.).

3 - Decreto 13 iul. 1938, territorii pars tum a vicariatu apostolico de *Eshowe* tum a praefectura apostolica de *Lydenburg* separatur et praefecturae apostolicae de *Swazilan* adnectitur (*AAS* xxx [19 nov. 1938] p. 348 s.).

62 - S. C. Rituum

Causae beatificationis et canonizationis:

1 - *Albanen.* seu *Senogallien.* Decretum 1 iun. 1938, Super dubio: an signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur beatificationis seu declarationis martyrii Servae Dei Mariae Goretti, Virginis Saecularis (*AAS* xxx [19 nov. 1938] p. 349 ss.).

2 - *Leodien.* seu *Anicien.* Decretum 1 iun. 1938, Super dubio: an signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur beatificationis et canonizationis Servae Dei Eugeniae Joubert, e congregatione sororum Sanctae Familiae Sacratissimi Cordis (*AAS* xxx [19 nov. 1938] p. 352 ss.).

3 - *Chicagien.* seu *Lauden.* Decretum 6 aug. 1938, Super dubio: an stante approbatione virtutum et duorum miraculorum « tuto » procedi possit ad sollemnem eiusdem Venerabilis Servae Dei Beatificationem, beatificationis et canonizationis Venerabilis Servae Dei Franciscae Xaveriae Cabrini, fundatricis instituti sororum missionariarum a S. Corde Iesu (*AAS* xxx [15 sept. 1938] p. 289 ss.).

63 - S. C. pro Neg. Ecclesiasticis Extraordinariis

Decreto 10 aug. 1938, Delegatio Apostolica Antillarum supprimitur eiusque territorium partim nuntiaturae apostolicae penes rempublicam Cubanam, partim nuntiaturae apostolicae penes respublicas de Haiti et Dominicam tribuitur.

64 - Provisio Ecclesiarum

Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt:

27 iul. 1938, Exc. P. D. Paulus Richaud, cathedrali ecclesiae Valleguidonensi.

27 iul. 1938, R. D. Iosephus Lefebvre, cathedrali ecclesiae Trecensi.

27 iul. 1938, R. D. Firminius Lamy, cathedrali ecclesiae Lingonensi.

24 aug. 1938, R. D. Franciscus Thill, cathedrali ecclesiae Concordiensi in America.

30 aug. 1938, R. P. Ioannes Peschges, cathedrali ecclesiae Crookstoniensi.

1 sept. 1938, R. D. Aloysius Chavez, metropolitanae ecclesiae S. Salvatoris in America.

12 sept. 1938, Revmus D. Paulus Babini, cathedrali ecclesiae Comaclensi.

14 sept. 1938, R. D. Ioannes Baptista Llosa, cathedrali ecclesiae Adiacensi.

14 sept. 1938, R. D. Leo Terrier, cathedrali ecclesiae Tarantasiensi.

26 sept. 1938, R. D. Iosephus Meile, cathedrali ecclesiae S. Galli.

13 oct. 1938, R. D. Renatus Pontes, cathedrali ecclesiae Valentinae in Brasilia.

21 oct. 1938, R. D. Aloisius Rastouil, cathedrali ecclesiae Lemovicensi.

26 oct. 1938, Exc. P. D. Ioannes Chimento, metropolitanae ecclesiae Platensi.

4 nov. 1938, Exc. P. D. Iosephus Cogoni, metropolitanae ecclesiae Arborensi.

65 - Nominationes

Decretis de S. C. de Prop. Fide renunciati sunt:

12 aug. 1938, R. P. Ioannes A. Wall, Praefectus Ap.cus de *Kodok*.

21 oct. 1938, R. P. Gulielmus F. O'Shea, Praefectus Ap.cus de *Peng-Yang*.

21 oct. 1938, R. P. Stephanus Mlakic, Praefectus Ap.cus de *Bahr-el-Gebel*.

66 - Designationes pro appellatione

Ad normam canonis 1594 § 2 Codicis iuris canonici pro appellatione Vicarius Apostolicus Sueciae designavit Tribunal Vicariatus Apostolici Daniae. Quam designationem Ss.mus approbavit in Audientia diei 5 mensis Maii a. 1938 (*AAS* xxx [14 oct. 1938] p. 320).

Item Vicarius Apostolicus de Lulua et Katanga designavit ad eundem effectum Tribunal Vicariatus Apostolici de Kassai superiore, approbante Ss.mo in Audientia diei 21 mensis Maii a. 1938.

Similiter Praefectus Apostolicus de Kwoshu atque Praefectus Apostolicus de Zenshu designaverunt Tribunal Vicariatus Apostolici de Taikou: quas designationes Ss.mus ratas habuit in Audientia diei 24 mensis Maii a. 1938 (*AAS* xxx [14 oct. 1938] p. 320).

Ad normam Canonis 1594 § 2 *Codicis Iuris Canonici,* Archiepiscopus Ludovicopolitanus designavit pro appellatione in secunda instantia tribunal Ordinarii Cincinnatensis.

Quam designationem S. Congregatio Consistorialis die 8 Septembris 1938 adprobavit (*AAS* xxx [14 oct. 1938] p. 319).

67 - Necrologium

8 iul. 1938, Franciscus Person, episcopus Paraetoniensis.

4 sept. 1938, E.mus D. Patritius Ioseph Hayes, episcopus Neo-Eboracensis.

6 sept. 1938, E.mus D. Camillus Laurenti, Tit. S. Mariae della Scala.

7 sept. 1938, D. Hernestus Neveux, episcopus Arsinoitanus in Arcadia.

8 sept. 1938, D. Titus M. Cucchi, episcopus Senigalliensis.

10 sept. 1938, D. Adolphus Vorbuchner, episcopus Alba Iuliensis.

23 sept. 1938, D. Thomas Henshaw, episcopus Salfordensis.

30 sept. 1938, D. Adalbertus Stanislaus Owczarek, episcopus Ascalonensis.

8 oct. 1938, D. Augustus Leopoldus Huys, episcopus Rusicadensis.

28 oct. 1938, D. Franciscus O'Rourke, episcopus Ostracinensis.

3 nov. 1938, D. Paulus Bergen Misner, episcopus Myricenus.

13 nov. 1938, Leopoldus Duarte Silva, episcopus S. Pauli in Brasilia.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

Mgr. Millot, *Histoires pour l'Explication du Catéchisme à l'usage des Diocèses de France.* Paris (Téqui) 1938, 11×17 cm., 257 p., pretium Fr. 12.

Les Vérités à croire - Les Commandements à pratiquer - Les sacrements à recevoir - Leçon supplémentaire.

Francis P. LeBuffe, S. I., Ph. D. and James V. Hayes, LL. B., *Jurisprudence with cases to illustrate principles.* New York (Fordham University Press) 1938, 15×22 cm., xxiii-286 p., pretium $ 3.00.

Bibliography - Tables of Cases - Definition of Jurisprudence - Nature of Law - Natural Law - Positive Law - American Schools of Jurisprudence - Totalitarian Theories of Law - Implications of Law - Juridical Origin of Law - Effect of Law - Limitations Upon Civil Law - Vindication of Rights - Conflict of Rights and Duties - Justice - The Genetic Origin of Law.

Dantes M. Munerati S. S., *Promptuarium pro ordinandis et confessariis examinandis.* Romae (Typis Scholae Salesianae) 1938, 10,5×18 cm., 174 p., pretium L. 6.

Pro Ordinandis: De ordine in genere - De Tonsura - De Ordinibus minoribus - De Ordinibus maioribus. Pro confessariis: De Poenitentia - De Actibus humanis - De Conscientia - De Legibus - De Peccatis - De Censuris - De libris prohibitis - De Restitutione - De Contractibus - De Matrimonio - De abstinentia et ieiunio.

Gulielmus Onclin, *De territoriali vel personali legis indole; historia doctrinae et disciplina Codicis iuris canonici.* Gemblaci (J. Duculot), 1938, 17×25 cm., xxiv-393 p.

I. Historia doctrina. A. Doctrina medii aevi: Scriptores eorumque methodus - Primordia scientiae - Subiecto indirecta peregrinorum ratione contractus - Subiecto indirecta peregrinorum ratione delicti - Subiectio indirecta peregrinorum ratione rei sitae - Ius in litis ordinatione applicandum - Regula « Locus regit actum » — Successiones ab intestato et habilitas personaé - Obligatio absentium a territorio - Legis indoles per-

sonalis vel territorialis apud civilistas et canonistas. B. Doctrina aevi moderni: Doctrina civilistarum - Doctrina canonistarum et theologorum. C. Doctrinae recentiores: Doctrinae civilistarum de iure internationali privato - Doctrina canonistarum et moralistarum. II. Disciplina Codicis iuris canonici.

Introductio: Notio personalitatis et territorialitatis legis - Indoles legis particularis - Obligatio peregrinorum et vagorum - Obligatio absentium a territorio - Leges particulares derogatoriae legi universali - Praeceptum et lex.

P Th. Uyttenbroeck O.F.M., *Sacerdotes hominum salvatores.* Wuchang (Franciscan press), Hupeh, China, 1937, 13×17,5 cm., 266 p., pretium L. it. 10.

« Adimpleo in carne mea quae desunt passionum Christi ». Concausa meritoria: Sacerdos orationi instans - Sacerdos Christo compatiens. Concausa exemplaris: Sacerdos forma gregis. Concausa vitalis: Sacerdos pastor animarum (Curae necessitas et dotes - Sacerdotis munia) - Sacerdos gentilium apostolus - Sacerdos apostolatus laicorum promotor - Sacerdos Deo devotus. - Apostolatus media: Sacerdos minister altaris - Sacerdos caelitum amicus - Sacerdos Christi praeco. - Apostoli finis: Sacerdos inter caelites exceptus. - Conclusio: Sublimis honos; graves onus; grandes opes.

II - Ex Periodicis

ANALECTA ORDINIS CARMELITARUM X (1938), fasc. II (oct.-dec.) — A. M. Forcadel, O. Carm., *Conspectus Historicus Liturgiae Carmelitanae,* p. 85-105.

APOLLINARIS XI (1938), fasc. 2 — Ciprotti P., *De territoriali Ecclesiae divisione quatenus attinet ad civilem potestatem,* p. 189-200 — Felici P., *De favore poenalium legum,* p. 264-284 — Fasc. 3 — Staffa D., *De S. C. pro Ecclesia Orientali competentia,* p. 358-376.

BOGOSLOVSKA SMOTRA XXVI (1938), fasc. 4 (oct.-dec.) — Balic Fra C., *De auctoritate ecclesiastica relate ad thomismum et reliquas scholas catholicas,* p. 375-392.

BOLETIN OFICIAL DE LA ACCION CATOLICA ARGENTINA VIII (1938), fasc. 179 (1 oct.) — Mons. Luis Civardi, *El apostolado individual,* p. 573-577.

CHRISTUS III (1938), fasc. 35 (oct.) — *Editorial*: La Redaccion, *El derecho de Propiedad en la Doctrina Tradicional*, p. 863-865.

COLLATIONES BRUGENSES XXXVIII (1938), fasc. 5 (sept.-oct.) — *Nonnulla practica circa facultates quinquennales in re matrimoniali*, p. 409-416.

COLLATIONES NAMURCENSES XXXII (1938), fasc. 6 (nov.) — E. Ranwez, *Officium pro officio*, p. 415-418.

COLLATIONES DIOECESIS TORNACENSIS XXXIII (1938) fasc. 8 (sept.) — J. Thomas, *Pouvoir d'ordre et paternité spirituelle de l'Evêque*, p. 489-507.

COLLECTANEA MECHLINIENSIA XXVII (1939) fasc. 6 (nov.) — Son Eminence le Cardinal J. E. van Roey, *Le mystère du sang dans l'économie du salut*, p. 573-593.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO XLIX fasc. 9-10 (sept.-oct.) — Bona E. Flaminio, *I Santuari italiani nel regime del Concordato e delle leggi concordatarie*, p. 373-384.

ESTUDIOS LX (1938) fasc. 325 (iul.) — Dr. Celestino I. Marcó, *Acerca de una política docente*, p. 9-20. — Leonardo Castellani, *Puntos para un plan de Estudios*, p. 21-52. — Eilhard Schlesinger, *Humanismo escolar*, p. 57-74. — Hildegard Pasch, *La enseñanza primaria*, p. 75-90. — Oscar J. Dreidemie, *El significado de la enseñanza media*, p. 91-106. — Juan García, *La literatura como elemento de formación*, p. 107-132. — Ismael Quiles, *Filosofía y humanismo*, p. 133-150. — Antonio Ennis, *Las ciencias y el humanismo*, p. 151-158. — Pedro Martinez Saralegui, *Examenes y promociones*, p. 159-170. — Manuel Rio, *Formación y utilidad en la educación*, p. 171-182. — Juan C. García Santillán, *Alcances sociales del humanismo*, p. 183-222. — Mons. Dr. Gustavo J. Franceschi, *El problema vocacional en el magisterio*, p. 223-230. — José González del Pino, *La libertad de enseñanza*, p. 231-264. — Fasc. 326 (aug.) — Raúl Montes Ugarte, *Leyendo las Enciclicas*, p. 301-310. — Fasc. 328 (oct.) — Catul Jobson, *Libertad de enseñanza. — Sus fundamentos naturales*, p. 525-566.

JUS PONTIFICIUM XVIII (1938) fasc. II R. Souarn A. A., *De origine Vicarii Generalis*. Vicarius Generalis est successor

Archidiaconi, p. 90-100. Fasc. III — A. Toso, *De errore communi* ad normam can. 209, p. 161-169. G. Oesterle, O. S. B., *De baptismo infantium e tepidis catholicis progenitorum*, p. 186-191.

LA CITE CHRETIENNE XIII (1938) fasc. 285 — Albert Muller, S. I., *Les Catholiques et la vie internationale*, p. 12-15. Fasc. 287 — André Woronof, *Le problème de l'éducation civique*, p. 80-81.

NEDERLANDSCHE KATHOLIEKE STEMMEN XXXVIII (1938) fasc. 10 — Dr. L. Buijs C. ss. R., *De devotiebiecht*. Theologica en pastoralia. III., p. 295-311.

ONS GEESTELIJK LEVEN XVIII (1938) Fasc. 4 (nov.-dec) — A. Munsters, M. S. C., *Gemeenschapsleven*, p. 177-187.

PALESTRA DEL CLERO XVII (1938) fasc. 9 (sept.) — Don Giove, *Ancora sull'integrità della Confessione*, p. 193-197. — Fasc. 10 (oct.) — Sac. A. Mancini, *Della distinzione numerica degli atti umani*, p. 222-226. — Fasc. 13 (nov.) — Gaetano M. Perella, C. M., *Il potere della Chiesa circa i Sacramenti*, p. 289-298. — D. Eusebio Greghi, *La liturgia è un opinione?*, p. 298-302. — Fasc. 16 (dec.) — Mons. G. Buttignoni, *Distinzione specifica e numerica dei peccati in ordine alla confessione*, p. 364-367.

INDICES

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

Hub. Beijersbergen, S. I., Prof. iur. can. et liturg. in Fac. theol. Collegii Maximi S. I. Traiecti ad Mosam, 27.

Ios. Creygthon, S. I., Prof. Theol. Mor. Missionum et Iuris Can. in Fac. Missiol. Pont. Univ. Gregorianae, 69 ss, 91 ss, 96, 116 s, 133, 137, 155 s.

Pasch. D'Elia, S. I., Prof. sinologiae in Fac. missiol. Pont. Univ. Gregorianae, 340 ss.

Adam. Ellis, S. I., Prof. Text. et interp. leg. eccles. in Fac. Iuris Can. Pont. Univ. Gregorianae, Consult. S. C. de Relig., 106 ss, 157 ss, 348 ss.

Eliseus Escanciano, S. I., Prof. theol. mor. et iur. can. in Fac. theol. Collegii Maximi S. I. Zi ka wei ad Shanghai, Sina, 281 ss.

Ios. de Guibert, S. I., Prof. method. gener. et theol. ascet. in Fac. theol. Pont. Univ. Gregorianae, Cons. S. Congr. SS. Rit., 368 ss.

Ioann. M. Hanssens, S. I., Prof. instit. liturg. in Fac. theol. Pont. Univ. Gregorianae, Cons. SS. Congr. pro Eccl. Orient. et SS. Rit. in sect. liturg. 21 ss, 105 s, 227 ss, 361, 427 ss.

Fr.-Xav. Hecht, P. S. M., Prof. iur. Can. et Liturg., Proc. Gener. Piae Soc. Miss., 140 ss, 247 ss, 259 ss, 262 ss.

Aemilius Herman, S. I., Prof. iur. can. orient. in Pont. Instituto Orientali, Praeses eiusdem Instituti, 7 ss.

L. Hertling, S. I., Prof. hist. eccles. et theol. ascet. in Fac. theol. Pont. Univ. Gregorianae, 167 ss.

U. López, S. I., Prof. theol. moral. et part. in fac. theol. Pont. Univ. Gregorianae, Consult. S. Congr. de Disciplin. Sacrament., 32 ss, 117 ss, 162 s, 203 ss, 353 ss.

C. Mazón, S. I., Prof. Instit. can. orient in Pont. Instituto Orientali et in fac. theol. Pont. Univers. Gregorianae, 237 ss.

Gerard. Oesterle, O. S. B., Prof. iur. can. in Pontif. Instituto Intern. S. Anselmi, 185 ss.

Ios. Pauwels, S. I., Prof. Sacr. Liturg., Namurci in Belgio, 112 ss, 265 s, 386 ss.

P. Rayanna, S. I., 395 ss.

Ioann. O. Smit, Ecc. Dom., Canonicus S. Petri in Vat., Praeses Com. pro Instit. Sem. Synod., Cons. S. C. Prop. Fide 56 ss.

Seb. Tromp, S. I., Prof. theol. fundam. in fac. theol.; histor. relig. in fac. missiol. Pont. Univ. Gregorianae, 127 ss, 409 ss.

Numeri indicant paginas.

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

DISSERTATIONES

	Pag.
Regunturne Orientales dissidentes legibus matrimonialibus Ecclesiae latinae? Aemilius Herman, S. I.	7
« Dummodo cadaver sit physice praesens » Ioannes M. Hanssens, S. I.	21
Casus conscientiae - I, Solutio, Ulpianus Loópez, S. I.	32
Addendum quoddam in textu Missalis Romani, Ioannes M. Hanssens, S. I.	105
Nota liturgica, Ios. Pauwels, S. I.	112
Notandum (De novis Statutis piae Unionis Cleri pro Missionibus) Ios. Creyghton, S. I.	116
Casus conscientiae - II, Ulpianus López, S. I.	117
De confessione alumnorum Seminarii	117
Solutio	118
Francisco Triebs Sacerdoti et Doctori iubilanti, G. Oesterle O. S. B.	185
De calendariis ecclesiasticis communitatum religiosarum ritus byzantini-slavici propriis, Ios. Schweigl, S. I.	191
Theoria legis mere poenalis et hodiernae leges civiles, Ulp. López, S. I.	203
De occupatione bonorum in locis belli causa desertis, E. Escanciano, S. I.	281
Condicio bonorum in locis desertis	282
De bonorum occupatione	286
De emptione spoliorum	290
Conclusiones practicae	293
De constitutione S. Pii Papae V « Romani Pontificis » (3 Augusti 1571), Puthota Rayanna, S. I.	295
I - Fata constitutionis « Romani Pontificis » historica	301
II - Constitutio « Romani Pontificis » apud auctores	311
De forma exteriore pietatis erga Ss. Cor Iesu, quae ritui byzantino congruat, Ios. Schweigl, S. I.	332
De primigenia forma baptismatis signis sinensibus expressa, Paschalis D'Elia, S. I.	340
« Triginta millia libellarum seu francorum », Adamus Ellis, S. I.	348
Ante Codicem	349
Post Codicem	351
Pro praxi hodierna	351
Casus conscientiae - III, Ulpianus López, S. I.	353
Patres matresque ex Baptismo et Actio Catholica, S. Tromp, S. I.	409

Numeri indicant paginas.

QUAESITA VARIA

Quaesitum liturgicum, Hub. Beijersbergen, S. I. 27
I - Quando caput bireto opertum habere rubricae praescribunt? 27
II - Quando caput bireto coopertum habere prohibetur? . 29
III - Quando saltem permittitur caput bireto coopertum habere? 31
Quaesita varia de religiosis, Adamus Ellis, S. I. 106
I - De licentia a religiosis requisita ut Universitates laicas frequentent 106
II - De translatione Noviciatus ab uno situ in alium situm eiusdem loci 108
III - De testamento Noviciorum 111
Quaesitum de operibus requisitis ad indulgentias plenarias lucrandas, Franc. Xav. Hecht, P. S. M. 217
Quaesitum de diebus menstruam Missam Iesu Sacerdotis lucrandas, Franc. Xav. Hecht, P. S. M. 220

Numeri indicant paginas.

INDEX ANALYTICUS MONUMENTORUM

SS. D. N. PIUS PP. XI.

1 - Sacrum Consistorium secretum die 13 dec. 1937 habitum 36
2 - Sacra Consistoria habita die 16 dec. 1937 42
12 - Sacra Consistoria habita die 17 mart. 1938 . . . 123
28 - Constitutio Apostolica de Cryptoferratensi Coenobio in Abbatiam « nullius » erigendo 223
Annotationes 227
29 - Motu proprio 25 mart. 1938, de iurisdictione S. C. pro Eccl. Orientali 230
Annotationes 237
30 - Sacrum Consistorium habitum die 31 mart. 1938 . . 240
31 - Canonizationes 17 april. 1938 241
42 - Constitutio Apostolica de nova dioecesi seu eparchia Planensi Graecorum erigenda 356
Annotationes 361
43 - Nuntius radiophonicus ad urbem Budapestinum . . 361
44 - Nuntius radiophonicus ad urbem Quebecensem . . 364
57 - Nuntius radiophonicus 420

Acta summatim relata.

7 - A - Bulla Missio sui iuris, (13 april. 1937) . . . 96
Notandum 96
B - Bulla Quidquid Christi, (13 april. 1937) . . . 96
C - Bulla Ad regni Dei, (13 april. 1937) 96
D - Epistola Laeto gratoque, (25 april. 1937) . . . 96
E - Bulla Romani Pontifices, (16 maii 1937) . . . 97
F - Bulla Nostrae mentis, (18 maii 1937) 97
G - Bulla Non mediocri, (18 maii 1937) 97
H - Bulla Quo melius, (18 maii 1937) 97
I - Bulla Supremum quo fungimur, (18 maii 1937) . 97
L - Epistola Perquam gratum, (27 maii 1937) . . . 98
M - Bulla Si catholicum nomen, (1 iun. 1937) . . . 98
N - Epistola Non sine peculiari, (29 iun. 1937) . . 98
O - Epistola Haud parva animi, (5 iul. 1937) . . . 98
P - Bulla Missionalium rerum, (14 sept. 1937) . . . 98
Q - Allocutio SS. Patris, (24 dec. 1937) 98
R - Litterae de ecclesiis 100
22 - A - Bulla Quo christiani, (17 iun. 1937) 172
B - Bulla Quidquid ad spirituale, (17 iun. 1937) . . 172
C - Bulla Ad Evangelicam, (1 iul. 1937) 172
D - Bulla Enascentium Ecclesiarum, (1 iul. 1937) . . 172

Numeri indicant paginas.

E - Bulla Quo maiores, (1 iul. 1937) 172
F - Bulla Recta Ecclesiarum, (1 iul. 1937) 173
G - Bulla Quo in Rhodesia, (1 iul. 1937 173
H - Bulla Ad christianae, (31 iul. 1937) 173
I - Epistola Laetanti animo, (17 sept. 1937) . . . 173
J - Epistola Iucundus profecto, (8 sept. 1937) . . 173
K - Epistola Quadringentos feliciter, (12 sept. 1937) . 173
L - Epistola Suavi semper, (14 oct. 1937) 174
M - Epistola Pergratus profecto, (31 oct. 1937) . . 174
N - Nuntius radiophonicus Audite populi, (31 dec. 1937) 174
O - Motu proprio Con l'art. 21, (31 dec. 1937) . . . 174
P - Litterae de Patronis 174
Q - Litterae de Ecclesiis 174
34 - A - Bulla in ora Malabarica, (1 iul. 1937) 267
B - Bulla Intra Luxemburgensis, (4 aug. 1937) . . 267
C - Epistula Clarissima in urbe, (21 nov. 1937) . . 267
D - Epistula Singulari animo, (22 nov. 1922) . . . 267
E - Epistula Ineunte anno, (30 nov. 1937) 267
F - Epistula Paterna quidem, (18 ian. 1938) . . . 268
50 - A - Bulla Quod iamdiu, (9 nov. 1937) 393
B - Bulla Quo facilius, (2[illegible] nov. 1937) 393
C - Bulla Si qua in orbe, (28 nov. 1937) 393
D - Bulla Sicubi per apostolicam, (2 dec. 1937) . . 393
E - Bulla Si christiana res, (2 dec. 1937) 393
F - Bulla Pusillus christianorum grex, (2 dec. 1937) . 393
G - Litterae Apostolicae Archidioecesis Ultraiectensis, (8 dec. 1937) 394
H - Bulla Recta cuiusvis, (9 dec. 1937) 394
I - Bulla Universi catholici orbis, (9 dec. 1937) . . 393
K - Bulla Ad maius animarum, (9 dec. 1937) . . . 394
L - Bulla Quo utilius, (10 dec. 1937) 394
M - Bulla Quo christifidelium, (10 dec. 1937) . . . 394
N - Bulla Quum S. Thomae, (18 dec. 1937) 394
O - Bulla Si inter infideles, (8 ian. 1938) 395
P - Epistula Te fauste celebrante, (12 febr. 1938) . . 395
Q - Litterae Apostolicae Edocet Nos, (3 martii 1938 . 395
R - Epistula Appropinquante natali, (25 mart. 1938) . 395
S - Litterae Apostolicae Veronensis dioecesis, (26 apr. 1938) 395
T - Epistula Praeclara Hungarorum fides, (12 maii 1938) 395
U - Epistula Singulari animi, (31 maii 1938) . . . 395
59 - A - Litterae Apostolicae Inter Ordinis (1 ian. 1938) . 439
B - Bulla Quo evangelica (8 ian. 1938) 439
C - Bulla In remotas orbis (8 ian. 1938) 439
D - Bulla Si pusillus (8 ian. 1938) 439
E - Bulla Si christifidelium (9 febr. 1938) 439
F - Bulla Quo Christi verbi (9 febr. 1938) 439
G - Bulla Merito (9 febr. 1938) 440
H - Bulla Ad Christi nomen (9 febr. 1938) 440
I - Bulla Ad animarum bonum (26 febr. 1938) . . 440
K - Bulla Intra Nigeriae fines (13 martii 1938) . . . 440
L - Bulla Quo commodius (29 martii 1938) 440
M - Bulla Si qua Evangelii (29 martii 1938) . . . 440
N - Bulla Ad dominicum (7 maii 1938) 440

Numeri indicant paginas.

O - Epistula Per dilectum Filium (15 maii 1938) . . 440
P - Bulla In infidelium regiones (21 maii 1938) . . 441
Q - Litterae Apostolicae Capituli ecclesiae (25 iun. 1938 441
R - Epistula Praeclarissmum cathedrale (29 iun. 1938) 441
S - Litterae Apostolicae Collensi in dioecesi (18 aug. 1938) 441
T - Litterae Apostolicae Honoris sacrarum rerum (27 aug. 1938) 441
U - Epistula Sollemnia iubilaria (21 sept. 1938) . . 441
X - Nuntius radiophonicus Dum Christus Dominus (18 oct. 1938) 443

S. C. S. OFFICII.

3 - I - Decretum damnationis libri, cui titulus « Die natürliche Geistlehre », auctore E. Bergmann, (25 nov. 1937) 44
II - Decretum quo tres damnantur libri a Petro Martinetti conscripti (3 dec. 1937) 45
13 - Decretum quocum damnatur liber cui titulus: « Von der Arbeit zum Erfolg », auctore Raoul Francé (30 dec. 1937) 127
Annotationes 127
14 - Decretum damnationis libri a G. Mensching editi, cui titulus: « Der Katholizissimus. Sein Stirb und Werde. (22 ian. 1938) 129
45 - Decretum quo damnatur liber cui titulus: « Initiation au nouveau testament », auctore O. Lemarié (17 iun. 1938) 366
46 - Decretum de speciali devotione erga sacrum caput D. N. Iesu Christi non introducenda (18 iun. 1938) . . . 367
Annotationes 368
47 - Decretum 26 iul. 1938, quo damnatur opera Alfr. Loisy 370
48 - Decretum 31 aug. 1938, proscriptio librorum . . . 371
Annotationes 372

S. C. CONSISTORIALIS

Acta summatim relata

8 - Decretum determinationis finium inter duas dioeceses (27 febr. 1937) 100
23 - 1 - Decretum mutationis finium dioecesium (20 nov. 1937) 175
2 - Decretum quo duarum dioecesium fines mutantur (28 nov. 1937) 175
35 - 1 - Decretum clarioris determinationis finium dioecesium statuuntur (18 dec. 1937) 268
2 - Decretum mutationis finium Archidioecesium (29 ian. 1938) 268
3 - Decretum Consistorii semipublici pro canonizatione sanctorum (18 mart. 1938) 268
51 - 1 - Decretum mutationis finium dioecesium (20 febr. 1938) 396
2 - Decretum mutationis episcopalis sedis dioecesium (13 mart. 1938) 396

Numeri indicant paginas.

3 - Decretum 9 apr. 1938, quo duarum dioecesium fines mutantur 396
60 - 1 - Decretum separationis et adiunctionis (9 apr. 1938) 443
2 - Decretum separationis et adiunctionis (9 apr. 1938) 443
3 - Decretum separationis et adiunctionis (4 iun. 1938) 443
4 - Decretum separationis, dismembrationis et adiunctionis (30 iul. 1938) 443

S. C. DE SACRAMENTIS

4 - Rescriptum de forma extraordinaria matrimonii (24 apr. 1936) 45
49 - Instructio 26 maii 1938, de Sanctissima Eucharistia sedulo custodienda 373
Annotationes 386

S. C. CONCILII

15 - *Bogoten.* Resolutio 18 ian. 1936 130
Notandum 133
16 - Dioecesium X ... Resolutio 13 nov. 1937 133
17 - Prorogatio privilegii 22 dec. 1937. Prorogatur ad triennium concessio satisfaciendi praecepto paschali quocumque tempore pro assistentibus missionibus a Capuccinis datis in Belgio 137
Annotatio 137

S. C. DE PROP. FIDE

5 - Instructio 9 mart. 1937, de coordinatione Piae Unionis Cleri pro Missionibus cum Operibus Missionalibus . . 46
Annotationes 91
6 - Decretum, 14 april. 1937, quo Statuta Generalia Piae Unionis Cleri pro Missionibus revisa ac recognita, approbantur 48
Annotationes 56
I - Conspectus historicus, Johannes O. Smit, E. D. . 56
Generalis condicio Missionum saeculo XX . . . 57
Renovatum studium Missionum 57
Periodus magni belli 60
Origo consociationum Clericorum in Germania . . 61
Quid in Hollandia gestum sit 63
Quid in Italia 64
Pia Unio in totum mundum extenditur . . . 66
Ulterior piae Unionis evolutio 67
II - In nova statuta piae Unionis Cleri pro Missionibus Commentarius, Ios. Creyghton, S. I. . . . 69
De iis quae in statutis - 1937 sunt nova . . . 70
De Natura et Fine 71
De Sodalibus 83
De Regimine 85
De Congressibus 90
De Gratiis et Favoribus Spiritualibus 91
III - De coordinatione piae Unionis cum Operibus missionalibus, Ios. Creyghton, S. I. 91
De iuridica ratione Operum 91

Numeri indicant paginas.

De Comitatu Supremo Cooperationis Missionalis . 92
De Comitatibus Nationalibus Cooperationis Missionalis. 94
De Commentario Generali 94
18 - Elenchus recognitus favorum spiritualium membris Piae Unionis Cleri pro Missionibus concessorum 138
Commentarium in favores Spirituales piae Unionis Cleri pro Missionibus, Franc.-Xav. Hecht, P. S. M. 140
§ 1 - De duplici sectione favorum spiritualium . 140
§ 2 - De indulgentiis plenariis 143
§ 3 - De quinque consuetis scapularibus . . . 144
§ 4 - De facultate anticipandi Matutinum et Laudes 153
De facultatibus reservatis seu alterius sectionis . . 247
§ 5 - De facultate applicandi indulgentias apostolicas 248
§ 6 - De facultate applicandi indulgentias Crucigerorum 250
§ 7 - De facultate benedicendi coronas Septem Dolorum B. M. V. 252
§ 8 - De facultate benedicendi crucifixos Viae Crucis 253
§ 9 - De facultate applicandi crucifixo indulgentiam plenariam pro moribundis 255
§ 10 - De indulto altaris privilegiati personalis . 256

Acta summatim relata

9 - Designatio Ordinarii pro appellatione 100
36 - 1-2 - Decreta Missionum atque Praefecturarum Ap.arum 268
52 - Decretum segregationis paroeciae 396
61 - 1 - Decretum de nova appellatione inducenda . . . 444
2 - Decretum de nova appellatione inducenda . . . 444
3 - Decretum separationis et adiunctionis (13 iul. 1938) 444

S. C. RITUUM

58 - Decretum, 1 aug. 1938, de variationibus faciendis in rubricis breviarii et missalis romani 422
Annotationes 427

Acta summatim relata

10 - Causae beatificationis et canonizationis 101
24 - Causae beatificationis et canonizationis 175
37 - Causae beatificationis et canonizationis 269
53 - Causae beatificationis et canonizationis 396
62 - Causae beatificationis et canonizationis 444

S. C. PRO NEG. ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

63 - Decretum supressionis Delegationis Apostolicae et novae attributionis illius territorii (10 aug. 1938) . . . 444

S. PAEN. APOST.

19 - Decretum 31 dec. 1937, de precibus et piis operibus indulgentiis ditatis, nova collectione editis 154
Notandum 155

19 - Decretum 31 dec. 1937, de precibus et piis operibus indulgentiis ditatis, nova collectione editis 259
Annotationes 259
32 - Responsum 14 dec. 1937, de indulgentiis divini officii recitationis adnexis deque indulgentiis festo translato adnexis 261
Annotationes 262
33 - Decretum 12 mart. 1938, de conditionibus ad validam sacrarum « Viae Crucis » stationum erectione ex novo statuuntur 264

S. R. ROTA

38 - Tabulae synopticae Causarum S. R. Rotae anni 1937 . 270

PONT. COMM. INTERPR. CODICI

20 - Responsa ad varia dubia, 30 dec. 1937, de communicatione privilegiorum (can. 613) necnon de excusatione a poenis (can. 2229) 156
Annotationes 157

ORDINARIATUS DIOECESIS LINCIENSIS

21 - Monitum de vitandis exaggerationibus in re liturgica 163
Annotationes 167

PROVISIO ECCLESIARUM

11 - A - Ex Consistorio secreto diei 13 dec. 1937 . . . 101
B - Ex Consistorio secreto diei 16 dec. 1937 . . . 101
C - Decretis S. C. Consistorialis 102
D - Decretis S. C. de Prop. Fide 102
25 - A - Ex Consistorio secreto diei 17 mart. 1938 . . . 175
B - Decretis S. C. Consistorialis 176
C - Decretis S. C. de Prop. Fide 176
39 - A - Decretis S. C. Consistorialis 273
B - Decretis S. C. de Prop. Fide 273
54 - A - Decretis S. C. Consistorialis 397
B - Decretis S. C. de Prop. Fide 398
64 - Decretis S. C. Consistorialis 445

NOMINATIONES

26 - A - Decretis S. C. Orientalis 176
B - Decretis S. C. de Prop. Fide 176
40 - Decretis S. C. de Prop. Fide 273
55 - Decretis S. C. de Prop. Fide 398
65 - Decretis S. C. de Prop. Fide 445

DESIGNATIONES PRO APPELLATIONE

66 446

NECROLOGIUM

27, 41, 56, 67 . . . . . 177, 274, 399, 446

Notae bibliographicae 104, 178, 275, 400, 447

Numeri indicant paginas.

INDEX CHRONOLOGICUS MONUMENTORUM

NOTANDUM

Diplomata quae in dissertationibus vel aliis locis memorantur, numeris ordinariis indicantur.

Quae inter Monumenta vel Acta summatim relata sunt edita, numeris cursivis seu italicis.

ANNUS	DIES	DIPLOMA	AUCTOR	PAGINA
1474	31 aug.	Constit. Ap.	Sistus IV	158
1493	4 maii	Motu Proprio	Alexander VI	307, 308
»	25 sept.	Breve	»	308
1506	28 iul.	Constit.	Iulius II	158
1509	1 iun.	Constit. Ap.	»	160
1519	10 dec.	Constit. Ap.	Leo X	159
1571	7 iul.	Bulla	Pius V	309
»	2 aug.	Constit. Ap.	»	295, 297, 303, 305
1579	10 febr.	Breve	Gregorius XIII	309
»	11 oct.	Decretum	»	309
1597	20 dec.	Constit. Ap.	Clemens VIII	159
1607	19 maii	Rescripta	S. C. Rituum	131
1628	9 dec.	Decretum	»	30, 31
1631	7 maii	Propositum	S. C. S. Officii	13
»	4 iunii	Responsum	S. C. de Prop. Fide	13
»	5 dec.	Decretum	»	329
1649	23 ian.	Decretum	S. C. Rituum	29, 30
1651	23 sept.	Decretum	»	28
1657	1 dec.	Decretum	»	30
1667	2 apr.	Decretum	»	30
1669	17 iul.	Dubia	S. C. S. Officii	310
1672	14 maii	Rescripta	S. C. Rituum	131
1676	21 mart.	Decretum	»	29
1679	18 mart.	Rescripta	»	131
1686	20 mart.	Decretum	S. C. S. Officii	256, 258
1688	25 sept.	Decretum	S. C. Rituum	30
1690	2 sept.	Decretum	»	30, 31
1693	10 ian.	Decretum	»	29
1699	21 febr.	Rescripta	»	131
»	4 apr.	Decretum	»	29
»	29 iul.	Decretum	S. C. Officii	258
1706	20 mart.	Decretum	S. C. Rituum	160
1708	28 apr.	Decretum	»	28, 31

Numeri indicant paginas.

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina
1716	4 mart.	Decretum	S. C. de Prop. Fide	254
1738	26 aug.	Constit. Ap.	Benedictus XIV	134
1747	21 ian.	Decretum	S. C. Indulg.	248
»	27 febr.	Constit. Ap.	Benedictus XIV	161
1751	9 febr.	Encyclica	»	380
1753	30 maii	Constit. Ap.	»	134
1772	17 aug.	Decretum	S. C. de Prop. Fide	251
1777	17 aug.	Instructio	»	311
1784	9 dec.	Decretum	S. C. S. Officii	251
1795	19 maii	Decretum	S. C. Paen.	220
1796	10 sept.	Decretum	S. C. Rituum	30, 31
1802	23 sept.	Rescriptum	S. Paen. Ap.	431
1880	31 ian.	Resolutio	S. C. Concilii	135
»	11 iun.	Decretum	S. C. Rituum	28
»	19 iun.	Decretum	S. C. Indulg.	257
»	3 dec.	Encyclica	Leo XIII	58, 74
1804	16 ian.	Decretum	S. C. de Prop. Fide	257
1831	12 nov.	Decretum	S. C. Rituum	29
1835	23 maii	Decretum	»	30
1836	27 aug.	Decretum	»	29
1837	23 sept.	Decretum	»	30, 31
1839	27 maii	Decretum	S. C. Indulg.	258
1840	12 febr.	Decretum	»	145, 149, 151
»	7 mart.	Decretum	»	147
»	28 iul.	Decretum	»	257
»	23 sept.	Decretum	»	148
1841	5 febr.	Decretum	»	143
1842	25 ian.	Decreta	»	142
1843	12 maii	Decretum	»	142
1845	14 iun.	Decretum	S. C. Rituum	29
1848	6 ian.	Litt. Ap.	Pius IX	76
1852	15 mart.	Decretum	S. C. Indulg.	257
1855	12 mart.	Decretum	»	148, 258
1861	14 mart.	Decretum	S. C. Rituum	28, 31
1862	18 sept.	Decretum	S. C. Indulg.	148, 149
1864	29 febr.	Decretum	»	252, 257
»	29 aug.	Decretum	»	147
»	16 sept.	Epistula	S. R. et U. Inquisit.	77
»	26 sept.	Decretum	S. C. Indulg.	146
1865	8 nov.	Epistula	S. R. et U. Inquisit.	77
1866	20 iun.	Decretum	S. C. S. Officii	329
»	2 iul.	Instructio	»	296
1868	18 aug.	Decretum	S. C. Indulg.	144, 145, 146, 148, 151
»	8 sept.	Litt. Ap.	Pius IX	77
»	13 »	Litt. Ap.	»	77
1872	31 aug.	Decretum	S. C. Rituum	30
1875	25 sept.	Decretum	»	28
1877	4 febr.	Decretum	S. C. Indulg.	431
»	18 aug.	Decretum	S. C. Rituum	28
1878	2 maii	Decretum	»	381
»	27 iul.	Decretum	»	28, 29
1879	31 mart.	Decretum	»	28
1881	17 febr.	Responsum	»	375

Explicatio indicis p. 462

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina
1881	29 iun.	Encyclica	Leo XIII	203, 204
1882	5 nov.	Litt. Enc.	S. C. de Prop. Fide	14
1883	26 maii	Decretum	S. C. Indulg.	435
»	30 iun.	Decretum	S. C. Rituum	30
»	5 dec.	Decretum	S. C. S. Officii	258
1884	20 dec.	Rescriptum	S. C. Indulg.	429, 431, 432
1886	5 apr.	Decretum	S. C. de Prop. Fide	252
1887	27 apr.	Decretum	S. C. Indulg.	146
»	25 iun.	Decretum	»	147
1891	5 maii	Decretum	S. C. Rituum	31
»	8 iul.	Responsum	S. C. S. Officii	296
»	26 aug.	Decretum	»	258
»	2 dec.	Decretum	S. C. Rituum	263
1892	4 maii	Decretum	S. C. S. Officii	369
»	26 sept.	Decretum	S. C. Indulg.	148
»	3 dec.	Decretum	»	151
1893	10 maii	Decretum	S. C. S. Officii	369
1894	20 iun.	Litt. Ap.	Leo XIII	11, 77
»	24 dec.	Epist.	»	58, 77
1895	19 mart.	Motu Proprio	»	77
»	14 apr.	Litt. Ap.	»	77
»	11 iun.	»	»	77
»	15 »	Decretum	S. C. Indulg.	435
1896	30 ian.	Decretum	»	150
»	19 mart.	Motu Proprio	Leo XIII	77
»	6 maii	Decretum	S. C. Indulg.	144
»	19 »	»	S. C. Rituum	25
»	29 iun.	Litt. Encycl.	Leo XIII	77
»	21 iul.	Instructio	S. C. EE. et RR.	107
»	13 sept.	Litt. Ap.	Leo XIII	77
1897	12 ian.	Decretum	S. C. Rituum	26
»	13 »	Responsum	»	26
»	18 apr.	Litt. Encycl.	Leo XIII	134
»	28 maii	Responsum	S. C. Rituum	26
1898	18 mart.	»	S. C. Rituum	376
»	18 iun.	Decretum	S. C. Indulg.	145
1899	26 apr.	Responsum	S. C. S. Officii	296
»	20 iun.	Decretum	S. C. Rituum	28
1900	15 maii	»	»	28
1901	1 maii	»	S. C. S. Officii	369
»	14 iun.	»	S. C. Indulg.	151
1904	25 mart.	Epistula	Secr. Stat.	301, 302
»	25 »	Epistulae	Pius X	58
»	6 apr.	Litterae	P. Comm. C. I.	302
»	11 iun.	Decretum	S. C. Rituum	153
1905	27 febr.	Resolutio	S. C. Concilii	135
1906	18 ian.	Allocutio	Pius X	77
1907	12 iun.	Responsum	S. C. Ind. et SS. R.	251
»	7 sept.	Encyclica	Pius X	107
1908	28 mart.	Responsum	S. C. Concilii	9, 20
»	1 apr.	»	S. C. Rituum	376
»	4 iul.	Decretum	S. C. Ind. et SS. Rel.	265
»	10 nov.	Responsum	S. C. Rituum	26

Numeri indicant paginas.

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina
1909	13 mart.	Responsum	S. C. S. Officii	251
»	18 »	Decretum	»	250
1910	29 apr.	Responsum	S. C. Rituum	263
»	1 sept.	Motu Proprio	Pius x	107
»	16 dec.	Decr. et Decl.	S. C. S. Officii	152, 153
1911	2 febr.	Litt. Ap.	Pius x	77
»	25 aug.	Responsum	S. C. Rituum	263
1912	28 ian.	Monitum	»	191
»	22 mart.	Grazia	Secret. Stat.	148
»	12 iul.	Epistula	Pius x	59
»	29 aug.	Decretum	S. C. S. Officii	426, 436
»	24 sept.	Litt. Encycl.	Pius x	78
1913	20 febr.	Decretum	S. C. S. Officii	258
»	5 iunii	»	»	153
»	23 oct.	»	S. C. Rituum	191, 263
1914	28 febr.	»	»	191
»	18 maii	»	S. C. S. Officii	152, 248
»	22 »	»	S. C. Rituum	192
»	11 iun.	Declaratio	S. C. S. Officii	256
»	10 nov.	Rescriptum	S. C. Neg. Ec. Extr.	149
1915	17 iun.	Decretum	S. C. S. Officii	257, 258
»	10 aug.	Litt. Encycl.	Benedictus xv	134
1916	ian.	Epistula	»	58
»	12 febr.	Dubia	S. C. Rituum	263
»	25 »	Litt. Ap.	Benedictus xv	78
»	15 apr.	»	»	78
»	11 maii	Rescriptum	S. C. S. Officii	148, 153
»	31 oct.	Litteris	S. C. de Prop. Fide	65
»	16 nov.	Decretum	S. C. S. Officii	256
1917	1 maii	Motu Proprio	Benedictus xv	20, 233, 237
»	1 »	Constit. Ap.	»	237
»	3-6 iul.	Responsum	S. Paen. Ap.	257
»	16 nov.	Resolutio	S. C. Concilii	135
1918	30 apr.	Decretum	S. C. Consist.	106
»	19 iul.	Epistula	S. C. de Prop. Fide	66
»	15 nov.	Gratia	S. Paen. Ap.	141
1919	20 mart.	Rescriptum	S. C. de Prop. Fide	141
»	11 apr.	Breve	»	64
»	30 nov.	Litt. Enc.	Benedictus xv	62, 67, 72
1920	19 mart.	Epistula	S. C. de Prop. Fide	71
»	6 oct.	Allocutio	Benedictus xv	81
1921	15 maii	Litterae	S. C. de Prop. Fide	81
»	11 nov.	Epistula	»	82
»	2 dec.	Rescriptum	»	153
1922	17 febr.	Monita	S. Paen. Ap.	249
»	1 apr.	Litterae	S. C. de Prop. Fide	72
»	3 maii	Motu Proprio	Pius xi	50, 75, 80
»	14 iun.	Responsum	S. Paen. Ap.	250
»	16 »	Decretum	S. C. Rituum	222
1923	23 ian.	Resolutio	S. C. Concilii	351
1924	11 febr.	Breve	S. C. Rituum	150
1925	8 maii	Responsum	»	146

Explicatio indicis p. 462

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina
1925	3 iun.	Rescriptum	S. C. Rituum	145
»	14 dec.	Allocutio	Pius XI	78
1926	28 febr.	Encyclica	»	68, 72, 74, 82
»	4 apr.	Decretum	S. C. de Prop. Fide	70, 68, 141
»	9 aug.	Decisio	S. R. Rota	20
1927	28 mart.	Responsa	S. C. de Prop. Fide	142, 143
»	27 apr.	Decretum	S. C. Rituum	114
1928	6 ian.	Litt. Encycl.	Pius XI	78
»	8 maii	»	»	335, 368
1929	1 mart.	Rescriptum	S. C. Concilii	137
»	26 »	Instructio	S. C. Sacram.	374, 386
»	19 maii	Decretum	S. C. pro Eccl. Or.	228, 229
»	23 iun.	Declaratio	S. Paen. Ap.	256
»	24 iun.	Motu Proprio	Pius XI	69, 91, 92, 93, 94, 95
1930	13 ian.	Responsa	S. Paen. Ap.	219
»	2 iun.	Epistula	Pius XI	362
»	5 iul.	Decretum	S. Paen. Ap.	218
»	26 iul.	Dubium	»	239
»	6 aug.	Epistula	Pius XI	362
»	23 oct.	Decretum	S. Paen. Ap.	423, 428
»	5 dec.	»	»	428
1931	15 maii	Litt. Encycl.	Pius XI	75
»	24 maii	Constitutio	»	239
»	20 oct.	Decretum	S. Paen. Ap.	255, 265
1932	3 maii	Litt. Enc.	Pius XI	335, 336
»	6 aug.	Decretum	S. C. de Sem. et Un.	59
»	7 nov.	»	S. Paen. Ap.	423, 428
1933	6 ian.	Litterae	Pius XI	78
»	20 mart.	Decretum	S. Paen. Ap.	140, 265, 266
»	22 apr.	»	»	261
»	18 maii	»	»	423, 428
»	1 sept.	»	S. C. de Sem. et Un.	59
»	20 »	Declaratio	S. Paen. Ap.	219
»	9 nov.	Decretum	»	251, 252, 254
»	17 »	»	»	423
»	1 dec.	»	»	423
1934	2 febr.	»	S. Congr. Indulg.	426, 436
»	3 apr.	Monitum	S. Paen. Ap.	220
»	22 nov.	Decretum	»	425, 434
1935	12 iul.	»	»	425, 432
»	21 »	Declaratio	S. C. pro Eccl. Or.	239
1936	18 ian.	Resolutio	S. C. Concilii	*130* ss
»	3 mart.	Responsum	S. C. Rituum	112
»	11 »	Decretum	»	220, 221
»	12 »	»	S. Congr. Indulg.	426, 435
»	24 apr.	Rescriptum	S. C. de Sacram.	*45* s
»	3 oct.	Decretum	S. Paen. Ap.	424, 425, 430, 434
»	25 nov.	Rescriptum	S. C. Rituum	221
»	10 dec.	Decretum	S. Paen. Ap.	424, 431
1937	2 ian.	Rescriptum	S. C. Rituum	221
»	27 febr.	Decretum	S. C. Consist.	*100*
»	2 mart.	Responsa	S. Paen. Ap.	141

Numeri indicant paginas.

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina
1937	9 mart.	Instructio	S. C. de Prop. Fide	*46*, 70
»	31 »	Decretum	S. Paen. Ap.	261, 262
»	13 apr.	Bulla	Pius XI	*96*
»	13 »	»	»	*96*
»	13 »	»	»	*96*
»	14 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	*48*, 70, 138, 247
»	25 »	Epistula	Pius XI	*96*
»	6 maii	Bulla	»	*97*
»	16 »	Decretum	S. C. Rituum	*101*
»	18 »	Bulla	Pius XI	*97*
»	18 »	»	»	*97*
»	18 »	»	»	*97*
»	18 »	»	»	*97*
»	26 »	Decretum	S. C. S. Officii	367
»	27 »	Epistula	Pius XI	*98*
»	27 »	Decretum	S. C. Rituum	*101*
»	27 »	Instructio	S. C. Orient.	332
»	1 iun.	Bulla	Pius XI	*98*
»	17 »	»	»	*172*
»	17 »	»	»	*172*
»	27 »	Decretum	S. C. Rituum	*101*
»	29 »	Epistula	Pius XI	*98*
»	1 iul.	Bulla	»	*172*
»	1 »	»	»	*172*
»	1 »	»	»	*172*
»	1 »	»	»	*173*
»	1 »	»	»	*173*
»	1 »	»	»	*267*
»	5 »	Epistula	S. C. de Prop. Fide	*84*
»	5 »	»	Pius XI	98
»	12 »	Breve	»	*100*
»	18 »	»	»	*174*
»	31 »	Bulla	»	*173*
»	4 aug.	»	»	*267*
»	1 sept.	Breve	»	*174*
»	1 »	»	»	*175*
»	7 »	Epistula	»	*173*
»	8 »	»	»	*173*
»	12 »	»	»	*173*
»	14 »	Bulla	»	*98*
»	26 »	Constitutio	»	*223*
»	14 oct.	Epistula	»	*174*
»	21 »	Rescriptum	S. C. de Prop. Fide	100
»	26 »	Const. Ap.	Pius XI	*356* ss
»	31 »	Epistula	»	*174*
»	9 nov.	Bulla	»	*393*
»	13 »	Resolutio	S. C. Concilii	*133* ss
»	20 »	Decretum	S. C. Consist.	*175*
»	21 »	»	S. C. Rituum	*175*
»	21 »	»	»	*175*
»	21 »	Epistula	Pius XI	*267*
»	22 »	»	»	*267*
»	23 »	Bulla	»	*393*

Explicatio indicis p. 462

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina
1937	25 nov.	Decretum	S. C. S. Officii	*44*
»	28 »	»	S. C. Consist.	*175*
»	28 »	Bulla	Pius XI	*393*
»	30 »	Epistula	»	*267*
»	2 dec.	Bulla	»	*393*
»	3 »	Decretum	S. C. S. Officii	*45*
»	8 »	Litt. Ap.	Pius XI	*394*
»	9 »	Bulla	»	*394*
»	10 »	»	»	*394*
»	13 »	Allocutio	S. C. Consist.	36
»	14 »	Responsum	S. Paen. Ap.	*261*, 429
»	18 »	Decretum	S. C. Consist.	*268*
»	18 »	Bulla	Pius XI	*394*
»	19 »	Decretum	S. C. Rituum	*269*
»	22 »	Rescriptum	S. C. Concilii	*137*
»	24 »	Allocutio	Pius XI	*98*
»	30 »	Decretum	S. C. S. Officii	*127*
»	30 »	Responsa	Pont. Com. Int. Cod.	*156*
»	31 »	Decretum	S. Paen. Apost.	*154*
»	31 »	Nuntius	Pius XI	*174*
»	31 »	Motu Proprio	»	*174*
»	31 »	Decretum	S. Paen. Ap.	427
»	31 »	»	»	*259*
1938	1 ian.	Litterae	Pius XI	*439*
»	5 »	Decretum	S. C. Rituum	*269*
»	8 »	Bullae	Pius XI	*395*, *439*
»	18 »	Epistula	»	*268*
»	22 »	Decretum	S. C. S. Officii	*129*
»	23 »	»	S. C. Rituum	*269*
»	29 »	»	S. C. Consist.	*268*
»	9 febr.	»	S. C. de Prop. Fide	*268*
»	9 »	»	»	*268*
»	9 »	Bullae	Pius XI	*439*, *440*
»	12 »	Epistula	»	*395*
»	16 »	Motu Proprio	»	174
»	20 »	Decretum	S. C. Rituum	*269*
»	20 »	Decretum	S. C. Consist.	*396*
»	26 »	Bulla	Pius XI	*440*
»	3 mart.	Litt. Ap.	»	*395*
»	12 »	Decretum	S. Paen. Ap.	*264*
»	13 »	»	S. C. Rituum	*269*
»	13 »	»	S. C. Consist.	*396*
»	13 »	Bulla	Pius XI	*440*
»	18 »	Decretum	S. C. Consist.	*268*
»	25 »	Motu Proprio	Pius XI	227, *230*, ss
»	25 »	Epistula	»	*395*
»	29 »	Bullae	»	*440*
»	30 »	Epistula	S. C. de Prop. Fide	*396*
»	31 »	Allocutio	Pius XI	240
»	9 april.	Decretum	S. C. Consist.	*396*
»	9 »	Decreta	»	*443*
»	10 »	Decretum	S. C. Rituum	*396*
»	17 »	Homilia	Pius XI	244 ss

Numeri indicant paginas.

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina
1938	26 apr.	Litt. Ap.	Pius XI	*395*
»	7 maii	Bulla	»	*440*
»	12 »	Epistula	»	*395*
»	15 »	Epistula	»	*440*
»	21 »	Bulla	»	*441*
»	26 »	Instructio	S. C. de Sacram.	*373* ss
»	26 »	Decretum	S. C. Rituum	*396*
»	26 »	»	»	*397*
»	29 »	Nuntius	Pius XI	*362*
»	31 »	Epistula	»	*395*
»	1 iun.	Decreta	S. C. Rituum	*444*
»	4 »	Decretum	S. C. Consist.	*443*
»	14 »	Decreta	S. C. de Prop. Fide	*444*
»	17 »	Decretum	S. C. S. Officii	*366*
»	18 »	»	»	*367*
»	25 »	Litt. Ap.	Pius XI	*441*
»	26 »	Nuntius	»	*364*
»	29 »	Epistula	»	*441*
»	13 iul.	Decretum	S. C. de Prop. Fide	*444*
»	26 »	»	S. C. S. Officii	*370*
»	30 »	»	S. C. Constit.	*443*
»	31 »	»	S. C. Rituum	*397*
»	1 aug.	»	»	*422*
»	6 »	»	»	*444*
»	10 »	»	S. C. pro Neg. Ec. Ex.	*444*
»	18 »	Litt. Ap.	Pius XI	*441*
»	27 »	»	»	*441*
»	31 »	Decretum	S. C. S. Officii	*371*
»	21 sept.	Epistula	Pius XI	*441* ss
»	26 »	Constit. Ap.	»	223
»	29 »	Nuntius	»	420
»	18 oct.	»	»	*443*

Explicatio indicis p. 462

INDEX ALPHABETICUS GENERALIS

Acciari (R. P. Floridus Ambrosius — O. F. M.) 273.
Acebedo (R. D. Michaëlem —)101
Acosta (Ios. —) 299, 306, 320, 321.
Adam (R. D. Greg. —) 102.
Adolphus a Vinge (R. P. — O. M. C.) 177.
Agagianan (Exc. D. F. —)39.
Ahaus (Dr. H. — S. S. Jos.) 63.
Aijro Yamaguchi (R. P. Paul. —) 102.
Albanesi (R. D. Adelchis —) 101.
Alberti (R. D. Franciscus —) 399.
Alexander Pp. vi 307.
Alloza (Ioannes —) 299.
Alphonsus a Vera Cruce, v. Verdcrux.
Amigo (Exc. P. D. Petro —) 395.
Anastasius Bibliothecarius 17.
Andrade (Thomas — E. S. A.) 339.
Antezana y Rojas (Exc. P. D. A. Is. —) 176.
Arce y Ochotorena (Exc. P. D. Em. —) 176.
Archimandrita Leonid 194, 200, 201.
Archim (Sergij —) 194.
Arpiarian (Exc. P. D. A. P. —) 38, 177.
Arraya (Mart. de —) 318.
Augustinus (S. —) 413.
Avendano (Didacus de —) 299, 320.
Azpilcueta (Martinus ab — O. S. A.) 208, 299, 317.
Babini (R. D. Paulus —) 445.
Baptismatis forma primigenia signis sinensibus expressa 340 ss.
Bacci (R. P. D. Ant. —) 242.
Bainvel S. I. 337, 339.
Ballerini S. I. - Palmieri S. I. 299, 324, 331.
Ballester y Nieto (R. P. D. Carm. — C. M.) 176.
Barin (L. —) 23.
Barry (D. Ioannes —) 274.
Bauer (D. Ant. —) 177.
Bechis (R. D. Barth. — C. M.) 176.
Beijersenbergen (Hub. — S. I.) 32.
Bekkers (Th. —) 83.
Belloso (Exc. D. Alf. —) 399.
Benedictus Pp. xiv 11, 14, 15, 20, 27, 134, 161, 299, 311, 322, 324, 329, 380, 435, 436.
Benedictus Pp. xv 58, 62, 64, 65, 72, 78, 81, 134, 153, 233, 237, 437.
Bergmann (E. —) 44.
Bergna (R. P. Constant. — O. F. M.) 176.
Beringer S. I. 148, 149, 250, 252, 253.
Berrios Gainza (R. P. Bern — O. F. M.) 273.
Berutti (R. P. Christ. — O. P.) 109, 348.
Bjelajev (Al. D. —» 339, 340.
Billé (R. D. V. —) 368.
Billot (R. P. Lud. — S. I.) 334.
Binterim (A. J. —) 410.
Birretum — quando ferri debet, quando non potest, quando potest 27 ss.
Bobola (S. Andrea —) 242, 243, 245, 268.
Boetto (Em. Dom. Petrus Card. —) 268.
Bonifacius (S. —) 414.
Bouix S. I. 108.
Bourgeoys Margarita 365.
Bouscaren (R. P. Lincoln T. — S. I) 299, 351.
Brady (R. D. Matt. —) 398.
Braun (I — S. I.) 168.
Brom (Prof. Dott. Gerard —) 60.

Numeri indicant paginas.

Brunault (D. Ios. Simon Hermann. —) 177.
Bucceroni S. I. 349.
Bucholz (R. P. Matt. — M. S. C.) 177.
Butorac (R. D. Paul. —) 176.
Byrne (D. Iacobus —) 177.
Cabrini (Ven. Franc. Xav. —) 397, 444.
Cabrol-Leclercq 410.
Cadaveris physica praesentia — ad quasnam missas necessaria 21 ss. antiquior disciplina 25 ss.
Calendaria ecclesiastica communitatum religiosarum ritus byzantini propria 191 ss. — ius illarum communitatum sequendi calendarium proprium 194 ss. — quibus rationibus calendarium proprium ab universali differat 196 ss. — normae practicae de usu calendarii proprii 202.
Callewaert (R. D. Cam. —) 29, 30.
Calzolari (R. P. Pac. — O. F. M.) 273.
Camozzo (R. D. Hugo —) 398.
Canali (Em. P. D. Card. —) 43.
Capotosti (Em. Dom. Card. Al. —) 177.
Cappello (F. — S. I.) 17, 163, 296, 299, 348.
Carpenter-Garnier (M. R. —) 78.
Catalanus (Ios. —) 298.
Cavati (R. P. Ioannes —) 398.
Cerqueira (Ludovicus —) 299, 304.
Chambon (Exc. P. D. Ioann. Al. —) 102.
Chardon (C. —) 410.
Charier-Baumann (A. —) 339.
Chavez (R. D. Al. —) 445.
Chávez (R. D. Richard. —) 176.
Chelodi 109, 348.
Chelucci (R. D. Iraeneus —) 398.
Chimento (Exc. P. D. Io. —) 445.
Choquet (P. D. Georg. —) 176.
Chrysostomus (S. Ioannes —) 337.
Cicognani (R. D. Hamletus I. —) 299.
Clemens Pp. viii 159, 231, 435, 436.
Clemens Pp. xi 232.
Clericatus (Ioannes —) 299.
Codd (D. Gulielmus —) 274.
Cogoni (Exc. P. D. Ios. —) 445.
Coimbra (R. D. Ios. Andr. —) 273.
Colin-Pastells 299.
Colturato (Exc. P. D. Ant. —) 273.
Communicatio privilegiorum inter religiosos — eius natura, historia, ambitus, limites 156 ss.
Conception (Juan de la —) 312.
Confessio alumnorum Seminarii (Casus) 117 ss.
Conforti (Exc. D.no G. —) 65, 66.
Congregationis (S. —) pro Ecclesia Orientali iurisdictio extenditur 230 ss.
Congressus Eucaristicus Internationalis Budapestini — Nuntius radiophonicus a S. Pontifice datus 362 ss.
Congressus Eucharisticus Natiolis Canadensis — Nuntius radiophonicus a S. Pontifice datus 364 ss.
Conte a Coronata (Matth. —) 74, 109, 348.
Copello (Em. Dom. Iac. Al. Card. —) 98.
Cor Iesu SS. — Forma exterior pietatis erga illud quae cum ritu byzantino congruat 332 ss. — imago seu icon ss. Cordis 333 s. — invocatio *Ss. Cor Iesu miserere nobis* 334 s. — conceptus reparationis et satisfactionis 335 s. — pietas erga ss. Cor in traditione duodecim priorum saeculorum et propagatio eius in oriente 337 ss.
Constantini (Exc. D. C. —) 69, 81, 84, 85.
Cotton (R. D. Franciscus —) 101.
Creyghton (Ios. — S. I.) 91, 95, 96, 117, 133, 137, 156.
Croce (R. P. Archim. Isidorus —) 228.
Cryptoferratense Coenobium in monasterium exarchicum erigitur 223 ss.
Cucchi (D. Titus M. —) 446.
Dabin (Ioannes —) 210.
Dalpiaz 7, 10, 19, 20, 262.
D'Annibale 349.

Numeri indicant paginas.

Dauvillier (J. —) 7, 17.
De Antoniana (M. —) 23.
De Castro (Alphon. —) 208.
De Cercq (C. —) 7, 17.
Dedicatio ecclesiae missa dicenda 113 s.
de Guibert (Ios. — S. I.) 369, 370.
De Herdt 29.
D'Elia (P. M. — S. I.) 59, 345, 348.
De Lilienfeld (Dom. — O. S. B.) 79.
Della Rovere (Iul. —) 225.
dell'Isola (D. Pasch. —) 177.
Delrio (D. Georgius —) 274.
De Lugo (Ioannes —) 299.
Del Vecchio 210.
de Miranda Villas Boas (R. D. Marius —) 397.
De Montmorency-Laval (Franc. —) 365.
Denuntiatio apud S. Officium de « crimine pessimo » (Casus) 32 ss.
de Paiva (D. Emm. Ant. —) 177.
de Ruggiero (R. —) 210.
de Santa (D. Fortunatus —) 274.
Descuffi (R. P. Ios. — C. M.) 176.
de Trannoy (Exc. D. I. —) 81.
Devotio specialis erga Sacrum Caput D. N. Iesu Christi — non est introducenda 367 ss. — alia et antiquiora decreta S. Sedis super cultu diversis partibus ss. humanitatis Christi tribuendo 368 ss.
Digard (R. P. Al. — O. F. M.) 398.
Dimitry 198.
Dioecesis Planensis ritus graeco byzantini erectio 356 ss.
Dmitrievsky (A. —) 193, 197.
Doheny 348.
Doi Tatsuo (R. P. Petr. —) 102.
Dolci (Em. Dom. Card. Ant. M. —) 174.
Duarte Silva (Leopul. —) 446.
Duprat (R. P. Reg. —) 176.
Durand (R. P. Prosp. —) 273.
Durchschein (R. P. Narcisus — O. S. I. d. D.) 173.
Elemosynae missarum binatarum 133 ss.
Ellis (Adamus — S. I.) 111, 162, 353.
Escanciano (E. — S. I.) 295.
Eucharistiae (Ss. —) custodia 373 ss. — in tabernaculo innamobili et undique clauso servanda 375 ss. — ipsum tabernaculum sedulo custodiendum est 377 ss. — clavis tabernaculi sedulo a sacerdote custodienda 380 ss. — annotationes 386 ss.
Eustace (R. D. Barth. —) 102.
Excessus vitandi in fovenda vita liturgica 163 ss.
Fahs (Ch. H. —) 78.
Fanfani O. P. 152, 257.
Feije (Henricus —) 299, 325, 326.
Fenizia (R. D. Ianuarius —) 398.
Fernandez (Hier.) 102.
Ferraris 108, 410.
Ferreres S. I. 207.
Fischer (Herm. — S. D. V.) 60.
Flocard (D. Alafridus —) 274.
Floersh (Ioann. —) 102.
Fragoso (Baptista —) 300.
Francé (Raoul —) 127.
Futy (R. P. Ios. —) 177.
Gallo (Thomas —) 299, 319.
García y García (P. D. Ant. —) 176.
Gardellini 131.
Gasparri (P. —) 8, 10, 66, 299, 303, 375, 381, 382.
Guthey (Rev. Dom. —) 339.
Gerlier (Em P. D. Petrus Card. —) 40, 42, 43,
Germania — Status religiosus in ea et ratio agendi S. Sedis 98 ss.
Gleeson (P. D. Edm. —) 267.
Golubinski (Eug. —) 193, 194, 197.
Gomes Junqueira (R. P. Daniel —) 399.
Gonçalez Holguin (Didacus —) 300.
Goretti (S. D. Maria —) 444.
Gougnard (A. —) 143, 146, 148, 151, 152, 253.
Gouvea (Christ. — S. I.) 304.
Goyeneche 109.
Gregorius Pp. xiii 161, 231, 308, 309, 324, 432.
Gregorius Pp. xv 232.
Grentrup (Th. — S. V. D.) 74.
Gsell (R. P. Fr. Xav. —) 273.
Guizar y Valencia (D. Raph. —) 399.

Numeri indicant paginas.

Gutierez (Alph. — O. S. A.) 311.
Gutturis benedictio in festo s. Blasii 112.
Guzman (D. Gilb Fuenzalida —) 274.
Haag (R. P. Lud. —) 273.
Haberstroh (R. P. Hieron. —) 177.
Hamon (A. —) 334, 337, 339.
Hanssens (I. M. — S. I.) 27, 106, 229, 361.
Harold (Franciscus —) 300.
Hayes (E.mus D. Patr. Ios. —) 446.
Hecht (Fr. Xav. — P. S. M.) 154, 220, 222, 258, 261, 264.
Heiner (Fr. —) 15.
Heintz (Exc. P. D. Ios. —) 397.
Davis (Helen E. —) 78.
Henriquez (Henricus —) 300, 306, 307.
Henshaw (D. Thomas —) 446.
Heredia (Ios. Fel. — S. I.) 102.
Herman (E. — S. I.) 7, 14, 20.
Hermus (A. —) 64.
Hernaez (Fr. Xav. —) 300.
Herrmann (R. P. Felix —) 399.
Hertling (L. — S. I.) 171, 338.
Higginson (Hel. —) 368.
Hidelfonsus (S. —) 413.
Hilling 190.
Hinschius 187, 190.
Hinsley (Em. D. Card. A. —) 40, 42, 43.
Horts (R. P. Henricus —) 398.
Hove (A. van. —) 187.
Huonder (Ant. — S. I.) 60.
Huys (D. Aug. Leop. —) 446.
Hyacinthus a Tergeste (R. P. D. — O. F. M. Cap.) 101.
Hykary (P. D. Eph. —) 41.
Indulgentiae novae precibus ante et post recitationem breviarii vel missae celebrationem adhibendis concessae — earum indicatio in rubricis breviarii et missalis 422 ss.
Indulgentiae plenariae — opera requisita ad earum acquisitionem 217 ss.
Iulius Pp. ii 158, 160.
Jansen (J. L. —) 60.
Javouhey (Ven. Anna Maria —) 101.
Jorio (Em. P. D. Card. —) 348.
Joubert (S. D. Eugenia —) 444.
Joyce (George Hayward —) 300.
Jungmann (J. A. — S. I.) 168.
Kaczmarck (R. D. Ceslaus —) 397.
Kahl (Dr. —) 187, 188.
Kanters (Ch. —) 337, 339.
Kerr (Caec. —) 368.
Kierkels (Exc.mus P. D. L. Petr. —) 267.
Klumper (R. P. Bernardinus —) 298, 302.
Koechlin (A. —) 79.
Koening (R. P. Max. —) 399.
Kohl (Alfredum —) 333.
Kohler 187, 188.
Kusters (R. P. Iacob Ioan. M. —) 398.
Lafortune (R. D. Alb. —) 397.
Lamy (R. D. Firm.) 445.
Larrain Cordovez (R. D. Eduard —) 398.
Larraona (A. — C. M. F.) 109, 348.
Laurenti (E.mus D. Cam. —) 242, 446.
Lavitrano (Card. —) 359.
Leeming (R. P. B. —) 368.
Lefebvre (R. D. Ios. —) 445.
Leges Ecclesiae latinae tenentner Orientales dissidentes 10 ss.
Lehmkuhl (Augustinus —) 300, 307.
Lemarié (O. —) 366.
Leo Pp. x 159, 423, 429.
Leo Pp. xii 436.
Leo Pp. xiii 11, 58, 74, 77, 134, 165, 203, 215, 250, 335, 429, 430, 431, 435.
Leonard (P. D. Ios. P. —) 176.
Leonardi (S. Ioann. —) 268, 269.
Lesêtre (H. —) 337.
Letierce (E. —) 339.
Lex mere poenalis — theoria eius et hodiernae leges civiles 203 ss. — notiones et sententiae diversae 206 ss. — legislatoris hodierni mens 210 ss.
Liagre (R. D. Al. —) 273.
Licharreva 339, 340.
Lira (Exc.us P. D. Raph. —) 175.
Llosa (R. D. Io. B. —) 445.
Lojali (R. D. Vincentius —) 398.
Lombos (R. P. Ladislaus —) 398.
Lonergan (R. D. Ioann. —) 176.

Numeri indicant paginas.

Longobardo (Nic. — S. I.) 347.
López (Ulp. — S. I.) 35, 122, 163, 216, 355.
Louvet (L. E. —) 60.
Loy (R. P. Ferd. —) 399.
Ludwig (P. Beda — O. S. B.) 373.
Lugo 283, 321.
Madriga (R. D. Marian. —) 176.
Manna (Paolo — Ap. Miss.) 60, 61, 65, 66.
Mansi 13.
Mansuetov (I. —) 193, 195, 197.
Marcellianus a Guerchen (R. P. — O. M. Cap.) 176.
Marchetti Selvaggiani (S. R. E. Card. —) 225.
Marcondez Homen de Mello (D. Ios. —) 177.
Marc-Raus (P. — C. SS. R.) 206, 207, 214.
Maroto (Ph. — C. M. F.) 143.
Martin (Ferd. — S. M.) 177.
Martinetti (P. —) 45.
Martinov S. I. 201.
Mascarinas (R. D. Emmanuelem —) 101.
Masson (R. P. Ioan. M. —) 398.
Matrimonium — Forma extraordinaria 45 ss. — Orientalium dissidentium regiturne legibus Ecclesiae latinae 7 ss.
Mazón (C. — S. I.) 239.
Mazoyer (R. P. Ioan. Henr. —) 399.
Mazzarello (Ven. Maria —) 397.
Mazzieri (R. P. Franc. — O. F. M. Conv.) 177.
McGuinnes (R. D. Eug. —) 102.
McGuire (Exc. P. D. Bernar. —) 398.
McLaughlin (Exc. P. D. Thomas —) 101.
Meile (R. D. Ios. —) 445.
Mendieta (Geronimo de —) 300.
Mendizabal y Martín (L. —) 210.
Mendonça (R. D. Iac. —) 273.
Mensching (Gustav —) 129.
Merkelbach (R. P. B. H. — O. P.) 206, 207, 214.
Michel (P. —) 300.
Miklósy (D. Stef. —) 177.
Milani (Augustus —) 241.
Minoretti (Em. P. D. Card. Carolus —) 274.
Miranda (R. D. Mich. Dar. —) 102.
Missa in dedicatione ecclesiae 113 s. — OO. SS. Pontificum S. R. Ecclesiae 114 — votiva Ss.mi Sacramenti in fer. VI post octavam Ascensionis 114 — ordine commemorationum in missa sollemnitatis in dominicam translatae 111 s. — orationes de tempore in missa de dominica infra octavam 115 missa de Requie in quadragesima et in Commemoratione OO. FF. Defunctorum 115 s.
Misner (D. Paulus Bergen —) 446.
Missa menstrua Iesu Sacerdotis dies eam excludentes 220 ss.
Missale romanum addendis quibusdam perficiendum 105 s.
Mlakic (R. P. St. —) 445.
Moccheggiani 146, 150, 151, 248, 257.
Montalbetti (Exc. P. D. Henr. —) 397.
Morel (R. P. Ludovicus —) 398.
Morelli (Cyriacus —) 300, 308, 321.
Morgan (A. —) 79.
Moss (L. B. —) 79.
Mostel (D. Ant. —) 177.
Mott (John R. —) 79.
Mulders (Alph. —) 59, 80.
Murphy (R. D. Gugl. —) 176.
Murphy (E. L. — S. I.) 78.
Neveux (D. Hernestus —) 446.
Nicolaus Pp. I 412.
Nicolskij (K. —) 195.
Nilles (J. — S. I.) 194, 339.
Nix (Jos. —) 339.
Noble (W. J. —) 79.
Novitiatus translatio 108 ss.
Novitii testamentum 111.
Nuptiarum benedictio 116.
O'Connor (R. P. M. Aug. —) 273.
Occupatio bonorum in locis belli causa desertis 281 ss. — bonorum condicio in locis desertis 282 ss. — bonorum occupatio 286 ss. — emptio bonorum occupatorum 290 ss.
Occurrentia festi pr.mi Sanguinis cum octava Ss.mi Cordis 112 s.
Oesterle (Gerhard — O. S. B.) 7, 9, 10, 19, 185, 191.
Officii divini recitatio coram ss.

Sacramento — indulgentiae illi adnexae 261 ss. — num etiam a novitiis et studentibus communitatum muleibrium acquiri possint 261 ss.
Ojetti (B. — S. I.) 109.
Oldham (J. H. —) 79.
O'Leary (D. Henr. —) 274.
Oppenraaij (P. van — S. I.) 64.
O'Reilly (D. Thomas —) 274.
Orientales dissidentes regunturne in genere legibus Ecclesiae latinae 10 ss. — legibus latinis in re matrimoniali 15 s. — subiciunturne can. 1070 16 ss.
O'Rourke (D. Franc. —) 446.
O'Shea (R. P. G. F. —) 445.
Owczarek (D. Adalb. Stan. —) 446.
Pacelli (Emo. P. D. Eug. Card. —) 36, 98, 395.
Pamphilius (Card. —) 13.
Paton (William —) 79.
Patriarchae Armenorum electio confirmatur 38 ss.
Patrini et matrinae baptismatis in baptismate — eorum munus in actione catholica 409 ss.
Paulus Pp. iii 308.
Pauwels (Ios. — S. I.) 116, 266, 392.
Payen (G. — S. I.) 300.
Pecuniae turisticae legitimus usus 353 ss.
Pellegrinetti (R. P. D. Card. Her. —) 40, 42, 43.
Pelliccia (A. A. —) 410.
Pereira (D. Laur. —) 177.
Person (Franciscus —) 446.
Pesch (Chr. — S. I.) 334.
Peschges (R. P. Ioannes —) 445.
Pius Pp. vii 431, 432, 435, 436.
Petazzi (P. — S. I.) 64.
Petrani (A. —) 11.
Pia Unio Cleri pro Missionibus coordinatur cum operibus missionalibus 46 ss. — Statuta generalia recognita approbantur 48 ss. — Eorum textus 49 ss. — Piae Unionis ortus et progressus 56 ss. — Commentarius in nova statuta 69 ss; 116 s. — Ratio coordinationis P. U. cum operibus missionalibus 91 ss. — Elenchus recognitus favorum spiritualium membris P. U. concessorum 138 ss. — Commentarius in eosdem favores 140 ss. 247 ss.
Piat 108.
Piazza (Exc. P. D. A. I. —) 40, 42, 43.
Piccareta (Aloys. —) 371, 372.
Pignatelli (Iac. —) 320.
Pii v Constitutio *Romani Pontificis* (3 aug. 1571) 395 ss. — eius fata historica 301 ss. — eius interpretatio apud auctores 311 ss.
Pisani (Ex. c. P. D. Petrus —) 226.
Pistocchi (M. —) 349.
Pius Pp. v 161, 297, 304, 331, 430, 433.
Pius Pp. ix 77, 232, 250, 426, 431, 432, 436.
Pius Pp. x 27, 58, 59, 63, 77, 78, 251, 252, 301, 426, 429.
Pius Pp. xi 42, 44, 45, 48, 68, 69, 72, 74, 78, 82, 129, 133, 147, 155, 186, 237, 367, 368, 371, 386, 442 ss.
Pizzardo (Em. P. D. Card. Ios. —) 40, 42, 43.
Placidus a S. Ioseph (R. P. — T. O. C. D.) 333.
Poenae latae sententiae excusatio ab iis 156, 162 s.
Pontes (R. D. Ren. —) 445.
Pontius (Basilius —) 300, 331.
Poulet 347.
Praeceptum paschale quolibet anni tempore impleri potest ab iis qui in Belgio missionibus PP. Capuccnorum intersunt 137.
Preces et pia opera indulgentiis ditata nova collectio 154 ss. 259 ss.
Pronti (R. D. Ios. —) 176.
Proserpio (Leo — S. I.) 102.
Provolovic (Alex. —) 193.
Pruemmer 349.
Rastouil (R. D. Al. —) 445.
Ratti (Exc. D. Achilles —) 65.
Rayanna (P. — S. I.) 331.
Religiosi — necessaria licentia ad universitates frequentandas 106 ss.

Renard (D. —) 207.
Reyes (D. Fran. S. —) 177.
Ricard (Robert —) 300.
Ricci (P. Matthaeus — S. I.) 341, 345.
Rice (D. Ios. Ioan. —) 274.
Richa (Exc. P. D. Elias —) 41.
Richaud (Exc. P. D. Paulus —) 445.
Richter (J. —) 79.
Richtstaetter (K. — S. I.) 339.
Rijckevorsel (L. van — S. I.) 60, 63.
Roberts (R. P. Thom. — S. I.) 102.
Rocaberti (Hipol. —) 369.
Rodié (Exc. P. D. Ioann. —) 273.
Romaniello (R. P. Ioan. Ang. —) 399.
Roper (R. D. Basilius —) 398.
Rossello (Ven. Maria —) 396, 397.
Rosset (Michael —) 300, 324, 326.
Rossi (R. P. Georgius —) 398.
Rossum (E.mus P. D. G. van —) 64, 66, 72, 82.
Rostovskij (Dimitrij —) 340.
Rudigier (F. J. —) 170.
Ruggieri (Michaël — S. I.) 341.
Ruotolo (R. D. Ioseph —) 101.
Ryan (R. D. Eduardus —) 398.
Saenz de Aguirre (Ioseph —) 298.
Saegmüller 190.
Salaville (S. — A. A.) 339, 340.
Salvator ab Horta (B. —) 101, 268.
Sanchez (Thomas —) 300.
Sanabria (R. D. Vict. —) 273.
Santin (R. D. Antonius —) 397.
Santos (R. D. Petrus —) 397.
Sanz-Esparza (R. P. Florentius — C. M.) 398.
Schaefer 109.
Scheiwiler (Exc.mus D. Aloysius —) 399.
Schmalzgrueber 108, 131.
Schmidlin (Dr. Ios. —) 59, 62.
Schreiber (Exc.mus D. Dr. —) 186.
Schuster (Em.us P. D. —) 98.
Schweigl (Ios. — S. I.) 198, 201, 202, 338, 340.
Schwager (Friedr. — S. V. D.) 60.
Sedillot (René —) 351.
Segura y Saenz (Em.us P. D. —) 43.
Serafini (Em.us P. D. —) 65, 156, 399.
Serci (D. Iginus —) 399.
Sixtus Pp. iv 158.
Sleutjes-Kurtscheid 253.
Sleyffers (J. — S. I.) 76.
Slijpen (P. — S. I.) 64.
Smit (Dr. Iohan. O. —) 63, 69.
Sole (D. —) 162.
Spinazzola 341.
Spratt (D. Mich. Ios. —) 177.
Stappen 28, 29, 31.
Streit (R. — O. M. I.) 60.
Strong (E. —) 79.
Suarez (F. — S. I.) 204, 209.
Tacchi-Venturi S. I. 344.
Tamburini 159.
Tappouni (Em.us P. D. —) 174.
Tatjer (R. P. Honesti —) 157.
Tejada y Ramiro (Juan —) 300.
Tekakwitha (Catharina —) 365.
Termier (D. Lud. —) 274.
Terrier (R. D. Leo —) 445.
Tertullianus 410, 412.
Thill (R. D. Franc. —) 445.
Tisserant (Em.us P. D. Eug. —) 41, 227, 360.
Triebs (R. D. Prof. Dr. Franc. —) 185, 191.
Trigault (Nicolaus —) 343.
Triginta milia libellarum seu francorum — quem pecuniae valorem in singulis nationibus significent 348 ss.
Trocchi (Ex. P. D. Titus —) 173.
Tromp (S. — S. I.) 73, 77, 129.
Tugio (Michael a — O. F. M. Cap.) 304.
Urbanus Pp. viii 232.
Urbss (R. D. Ant. —) 397.
Ursaya (Dominicus —) 300, 329, 304.
Vasquez (Gabriel —) 300, 311.
Vera (F. H. —) 300.
Veracrux 300, 301.
Verde (Em.us P. D. —) 395.
Verdier (Em.us P. D. —) 173.
Verhoeks (R. P. Mich. —) 177.
Vermeersch (A. — S. I.) 17, 73, 109, 186, 204, 206, 207, 208, 296, 300, 339.
Vermeersch-Creusen (PP. — S. I.) 301, 349.
Verricelli (Angelus —) 301, 325.
Viae crucis erectio-conditiones illius validitatis 264 ss.

Villa (R. P. Petrus —) 176.
Villaverde (R. D. Albertus Martin y —) 397.
Villeneuve (Em.us P. D. —) 396.
Vitali (D. Alfr. —) 241.
Vogt (D. Ios. —) 177.
Vorbuchner (D. Adolphus —) 446.
Votum ab Ordinario olim factum tenetne nunc clerum 130 ss.
Vromant (G. — C. I. C. M.) 74, 301. 326, 349.
Wall (R. P. I. A. —) 445.
Walsh (Exc.us P. D. Th. Ios —) 102.
Warnshuis (A. L. —) 79.
Wenceslaus (S. —) 421.
Wernz S. I. 109, 143, 317, 349.
Wernz-Vidal (PP. — S. I.) 73, 158, 190, 301, 317, 331, 349.
Whale (J. S. —) 79.
Whitney (R. P. Ios. —) 273.
Wilberforce (R. P. — O. P.) 368.
Woods (Francis F. —) 301.
Zitelli (Zephirinus —) 301.

INDEX CANONUM CODICIS IURIS CANONICI

Canon	Pagina	Canon	Pagina	Canon	Pagina
1	17, 19	613	156, 157, 310	1240	9
12	8	708	49	1244	132, 133
13	201	731	9, 19	1265	374, 384, 387
14	201	751	9	1267	381
15	199, 201	762	409, 410, 415	1269	389
20	221	765	9	1271	374, 379, 388
26	411	766	418	1277	201
39	153	767	415	1310	130
63	157	769	409, 415, 416	1325	9, 18
64	158	793	409	1335	409, 416
65	158	795	9	1350	72, 73, 74
87	8	796	418	1358	118
88	34	797	409, 416	1361	118, 119, 121
101	411	806	134, 135	1388	249
102	411	824	134, 135	1453	9
103	413	827	355	1470	9
108	73	840	135, 136, 355	1514	135
129	108	850	18, 137	1532	348, 350, 351
130	108	904	35	1542	351
142	355	905	119	1555	33
150	199	906	18	1935	33
239	266	918	258	1960	8
249	374	919	249	1990	190
252	75	921	143	1992	190
258	239	923	262, 263	2205	162, 163
319	226-229	933	251	2217	162
402	303	984	219, 252	2218	162
415	381	985	9	2229	156, 162, 163
468	256	1269	161, 373, 375	2314	9
497	108-110	1038	8	2318	9
519	119	1060	9, 19	2339	9, 19
520	119	1070	10, 15	2347	351
523	119	1098	46	2350	163
534	348-350-351	1099	8, 9	2359	32, 33, 34
554	109	1125	295, 297, 301,	2368	32, 35
569	111		303, 306, 307,	2372	9
583	111		308	2382	384, 391
590	108	1162	109		

ADDENDA ET CORRIGENDA

Ad Tom. XXVII (1938)

	Errata	Corrige
Pag.	23, l. 5: oratoria	oratorio
»	45, tit. Doc. 4: 1936	1935
»	85-86, l. 30-1: (Stat., 15, b) . . . . . pendentes;	et Operum (Stat., 15, b);
»	123, l. 7: XVI	XVII
»	143, l. 1: quae	quas
»	153, l. 30: 4136 ad 2	4158 ad 1
»	» l. 32, *post verba* p. (104) *addatur*:	12 p. (84)
»	248-258, *anni quibus tomi* Periodicorum *editi significantur, non recte indicantur.*	

INDEX INDICUM

Index scriptorum huius tomi 453
Index dissertationum et quaestiorum 454
Index analyticus monumentorum 456
Index chronologicus monumentorum 462
Index alphabeticus generalis 470
Index canonum Codicis Iuris Canonici 478
Addenda et corrigenda 479

Periodica de re morali

v.27
1938

CBPac

v.27
1938

17262

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
3 2400 00335 6874